47 F. 10 1 143

DE PERPETVA ECCLESIÆ CHRISTI GVBERNATIONE.

D 6 35

IN QVA TRACTANTVR

Patria potestas quam Deus primùm in Patriarchis pro regenda Ecclesia sua instituit; Deinde in Tribu Leui & Prophetis continuauit; Postremò in nouo Testamento Apostolis eorumque successoribus confirmauit.

Vt etiam quæ hodiè in quæstione versantur de Iudæorum Synedrio; vero Christi regno: authoritate & legatione Apostolica: laico Presbyterio: Episcoporum à Presbyteris distinctione: eorumq; ab Apostolorum temporibus Potestate ac Successione: Diœcesium assignatione; populari Pastorum electione: Synodorum in Ecclesia Dei antiquitate & necessitate; atque earundem in quauis Prouincia conuocatione & moderatione per Metropolis Episcopum:

Cum multis alijs quæ ad Pastoralem domus Dei procurationem pertinent.

Liber ad vtilitatem Patriæ primùm Anglicè scriptus, nunc demum ab Authore THOM. BILSONO *Episcopo Wintoniensi recognitus, auctus, & in publicum Ecclesiæ bonum Latinè redditus.*

I. COR. 14.

Num à vobis sermo Dei profectus est? num ad vos solos peruenit?

IRENAE. lib. 3. cap. 3.

Habemus annumerare eos qui ab Apostolis instituti sunt Episcopi in Ecclesiis, & successores eorum vsque ad nos, qui nihil tale docuerunt, neque cognouerunt, quale ab his deliratur.

BIBL. CANT. ACAD.

LONDINI,
Impensis Iohannis Billij.
1611.



209:03

POTENTISSIMO ET PRVDENTISSIMO PRINCIPI *IACOBO* DEI GRATIA MAGNAE BRITANNIÆ, FRANCIÆ & HIBERNIÆ REGI, FIDEI APOSTOLICÆ *Defensori, &c. Domino suo clementissimo.*

CVm multa sint Principum ornamenta, nobilissime & sapientissime Rex, quibus nominis splendor, populi salus, reipublicę tranquillitas continentur, tum nihil apud omnes bonos illustrius, nihil ipsi Deo acceptius, quàm ardens veræ pietatis studium, & constans Ecclesiæ Christi patrocinium. Ad proferendos Imperij fines incumbant, qui suis non contenti latiùs regnare cupiunt; victorijs ab hostibus reportandis operam dent, qui bellicis tumultibus & miserijs delectantur. Ad ista tamen facti non sunt homines, nec horum gratia rerum publicarum moderatores diuinitùs primùm instituti: (non quòd illicitum putẽ Christiano magistratui armis experiri, *vel necessariæ defensionis, vel recuperandi sui iuris causa*) sed longè sunt alia, quæ nos Paulus iubet à Regibus expectare, & sub eorum dominatu à Deo votis omnibus exposcere, nempe vt pacatam & quietam vitam agamus cum omni pietate & honestate. Hæc enim diuinæ bonitati magis similia, humano generi ma-

gis salutaria, partibus & laudibus verè regijs magis finitima sunt, quàm illa militaris vrbium expugnatio, regionum direptio, sanguinis effusio, miserorum denique cædes aut seruitus, quæ præliorum semper sunt exitus, & furiosam vim Martis nunquam non comitantur. Tam miserandas orbis terræ calamitates, in quibus tamen alij vehementer & seriò triumphant, sereniſſima Maiestas tua sæpissimè cum animo tuo cogitans, & rectissimè perpendens, omnes curas & cogitationes tuas ad iustitiam, æquitatem, clementiam, pacem, pietatem contulisti; sic vt bellis per vniuersum regnum tuum sedatis, & armorum strepitu remoto, nihil nisi verum Dei cultum, florentem Ecclesiæ statum, populi priùs dissidentis concordiam, legum optimarum lationem, promptam innocentiæ defensionem, celerem malorum depulsionem mediteris. Ad quas præclarissimarum virtutum actiones ita te finxit natura, firmauit industria, diuina locupletauit gratia, vt nemo tibi paulisper astiterit, vel differentem te de causis grauissimis aliquando audiuerit, qui non statim te maximis rebus gerendis natum, instructum, comparatum perspexerit. Es enim admirabili ingenio, incredibili memoria, excellenti & admodum exquisito iudicio: tantam etiam legendo & commentando diuinarum & humanarum rerum peritiam assecutus es, vt non in Theologia solùm, aut Philosophia, sed in omni doctrinarum genere vera facillimè videas, falsa coarguas acutissimè. Nihil opus erit Regij generis & sanguinis tui deriuatam ab vltima antiquitate claritatem proferre, quam omnes norunt; nec egregiam ex tempore dicendi facultatem, quam nemo, qui te conuenit, non agnoscit, meminisse; comitatem, placabilitatem, temperantiam, patientiam, mansuetudinem,

mise-

miſericordiam, bonitatem, beneficentiam, ſolertiam, ſapientiam, cæteraſque dotes Chriſtiano & pectore, & Principe digniſſimas nullus recenſeo, quas tamen in ſacra Maieſtate tua & planè intuentur omnes, & ſummè admirantur: mihi, quippe Epiſcopo, memoranda ſunt potiùs ſinceræ pietatis in te profeſſio, erudita veritatis per te tum voce, tum ſcriptis propugnatio, ſolicita pacis Eccleſiæ conſeruatio, ne vel erroribus implicetur, vel in partes diſtrahatur; munificę & Academijs & Epiſcopis factæ donationes, illis ſtipendia lectorum Theologicorum augendo, hijs in primo cuiuſque ingreſſu vacuitatum, vt appellant, prouentus & vectigalia relaxando; inopum vi oppreſſorum, vel fraude circumuentorum, commiſeratio, & in integrum reſtitutio; quibus muneribus frequentiſſimè & libentiſſimè fungendo gratiſſimum Deo præſtas obſequium, immortale decus tuo nomini comparaſti; doctiſſimi, iuſtiſſimi & religioſiſſimi Principis exemplum apud animos tuorum teſtatum, & hominum memoriæ ſempiternæ commendatum relinques. Non temerè loquor de rebus incognitis, ſæpe cum alijs multis interfui, dum hæc, quæ dico, & hijs ſimilia ſponte ſuſceperis, laborioſè ſuſtinueris, cum maxima laude perfeceris. De tuis hijſce pulcherrimis factis nemo quicquam detrahit, nemo derogat; præterquam factio Ieſuitarſi, qui erigendo & ornando Idolo ſuo Romano mirificè dediti & addicti, non humana ſolùm officia, iuramenta, imperia, ſed etiam diuina mandata, inſtituta, ſacramenta, eius authoritati & voluntati ſubſternunt, modò promouendæ fidei, aut tutandæ Eccleſiæ ſpeciem aliquam poſſit aut velit prętexere, licet reuera Pontificiæ ſuperbiæ, ſuperſtitionis, aut auaritiæ negotium agatur: Tantumque de veritate

Rom. 13. doctrinæ Apostolicæ deflexerunt, vt vbi Paulus *omnem animam potestatibus supereminentibus subijci* iubeat, & recusantibus *damnationem*, tanquam *ordinationi diuinæ resistentibus*, minetur; isti semetipsos & suos omnes Episcopos, regulares, & clericos à potestate Regum liberent, & de numero subditorum eximant; nec eo contenti, Diaconos omnium postremos dignitate Regibus superiores *esse præ se ferant & prædicēt*. Quinimò quò Pseudoprophetarū, quos Apostolus Iudas apertis ver-
Ep. Iudæ ver. 8 bis designat, se probent simillimos, *dominatū* pariter atque illi reijciunt & *aspernātur*, & *dignitates* (etiā regias) *cōuicijs onerāt*. Intacta mansit ab hijs iniurijs sacra Maiestas tua, donec Pontificem Romanum tuis se rebus iniuriosiùs admiscentem, & se tanquam Christi vicarium in tuo regno superbissimè iactantem, & edicto suo prohibentem, ne subditi tui iurisiurandi vinculo fidem tibi suam firmarent, sacrarum literarum sagittis confixisses. Cuius minimè Christianam elationem, & arrogantiam non ferendam, cum refutassent & vulnerassent Apologetica tua Scripta, mirandum in modum tumultuari ac fremere cœperunt Iesuitæ, scurras personatos agere, quò liberiùs omne virus acerbitatis & impuritatis suæ euomerent, & omni mendaciorum & contumeliarum genere certarent. Ita scilicet iuratos Antichristi satellites decebat ruentem sanctissimi Patris sui magnitudinē sustinere, vt quod veritate non possent, saltem clamore perficerent, & rationum momentis destituti, ad probra & dicteria se conuerterent. In probationibus certè cum desudarent, feruent eorum maledicta, frigent argumenta. Firmissimum enim monarchiæ Pontificiæ fundamentum in eo iaciunt, quod Christus Petro dixerit,
Iohan. 21. *Pasce oues meas*; quasi Christus alteri nemini, nisi Petro,

pascendas

pascendas oues suas commiserit. Quid ergo facient illis Pauli verbis ad Presbyteros Ephesinos, vbi ait, *Spiritus sanctus vos constituit Episcopos ad pascendam Ecclesiam Dei?* Quomodo vim verborũ ipsius Petri declinabunt, ad omnes Presbyteros hoc modo scribentis: *Presbyteros qui inter vos sunt, adhortor ego compresbyter, pascite gregẽ, qui penes vos est, eius inspectioni vacantes; non coactè, sed libenter?* Illas enim *oues* (de quibus Christus locutus est) *non solùm tunc beatus suscepit Petrus, sed & nobiscum eas suscepit, & cum illo eas nos omnes suscepimus*, inquit Ambrosius. Si igitur ouium pastio sit mundi dominatio, næ multos orbis terrarũ Dominos nobis excogitârunt Iesuitæ, sic vt Romanus Pontifex, non in Anglia tantùm, sed vbique gentium possit otiari. Sed beatis se pascunt insomnijs homines malè feriati, qui docendi laborem, quem à multis iam seculis recusauit summus illorum Episcopus, ad dominandi libidinem conuerterunt, cuius immensa cupiditate rapitur & inflammatur Pontifex, sed qua sibi, cæteriscque tum Presbyteris tum Apostolis interdictum, & nouit, & scripsit Petrus. Pascite gregem, inquit, *non vt dominantes in cleros*, id est, in hæreditates Dei, *sed qui sitis exemplaria gregis.* Priùs etiam audiuerat Christum seuerissimè suos discipulos à dominatu prohibentem: *Scitis*, inquit ille, *quòd Principes Gentium dominentur eis, & magnates potestatem in eas exercent; verùm inter vos non erit ita; sed quicunque voluerit in vobis primus esse, sit vester seruus: sicut Filius hominis non venit vt sibi ministretur, sed vt ministret.* Quî igitur Christo magis resistere & repugnare posset Romanus Pontifex, quàm vt Pastoris operam in verbi diuini pabulo præbendo toties Petro commendatam prorsus fastidiat ac reijciat, & dominationẽ à Filio Dei

Act. 20.

1. Pet. 5.

Ambros. de dignitate Sacerdotali, c. 2.

1. Pet. 5.

Matth. 20.

ſuis diſcipulis expreſſè vetitam, & ipſis Apoſtolis exquiſitè denegatam, manibus, pedibus aſſequi conetur. Hanc enim imperandi poteſtatem tam miſerè cupit, vt nihil aliud dies noctesque ſtruat & moliatur; tam longè latéque diffundit, vt nullus orbis angulus ab eius ambitione ſit vacuus; tam inſolenter gerit & adminiſtrat, vt inſidijs, ſicis, venenis, periurijs, paricidijs, ſerui in dominos, propinqui in conſanguineos, liberi in parentes, ſubditi in Principes, ruptis omnibus diuini iuris, & humanæ ſocietatis repagulis, ab eius emiſſarijs excitentur, inſtruantur, armentur. Immanes ac barbaræ temporum ſuperiorum omittantur tragediæ per Romanos Pontifices conflatæ contra Henricum quartum, Fridericum primum, Philippum Sueuum, Fridericum ſecundum, Ludouicum Bauarum, Imperatores: ſimiliter aduerſus Philippum pulchrum, & Ludouicum duodecimum Galliæ Reges, ac Iohannem Angliæ Regem: quarum plenæ ſunt hiſtoriæ, annales refertiſſimi, nemini mediocriter docto latentes, tibi autem, doctiſſime Princeps, in literarum ſtudijs diu multumque verſato optimè cogniti; illas, inquam, tanquam veteres tranſeamus. Noſtra memoria, quas cædes ac ſtrages edidit ſanctum illud fœdus, vti vocant, Tridenti initum vt Eccleſiam ab hæreſibus vendicarent; ſed veriùs ſanguinarium, vt omnes ſinceræ pietatis cultores per Europam vniuerſam radicitùs extirparent? Locuples huius rei teſtis eſt Pariſienſis illa Laniena, vbi viri nobiles cum coniugibus & liberis ad nuptias Nauarreni Principis inuitati, ac alij ſenes, iuuenes, pueri, fœminæ, virgines, infantes vno tempore, nocte intempeſta, in cubiculis & lectis ad decem millia mactati ſunt. Nec minore crudelitate & rabie ſæuitum eſt in reliquis Galliæ ciuitatibus, donec

nec numerus occiſorum Religionis ergô paucis diebus ſupra triginta millia creuiſſet. Hanc ſcilicet Eccleſiæ regendæ rationem Pontifex Romanus à Chriſto deriuat, & qui animam pro ouibus debuit ponere, ſi bonus eſſet Paſtor, infinitis ouibus animas eripit, & orbem Chriſtianum ſanguine replet, ne lupum eſſe ſatis non conſtaret. Sed Regum maieſtatem ſaltem reueretur, & à cæde Principum imaginem & vicem Dei gerentium in terris manus abſtinet. Ita videlicet, qui percuſſores Regum effert laudibus, & Ieſuitas in Principum perniciem clanculum coniurantes, ſi meritas impietatis ſuæ pœnas pendant, vt Martyres in cœlo locat, & quibus Deus gehennam minatur, eiſdem ipſe donat paradiſum, quò cæteri ad ſimilia facinora promptiùs accenderentur. Imò docent audacter Ieſuitæ, & palàm iam profitentur, non modò cuiuis licitum eſſe Principes à Papa ſemel excommunicatos & Imperio abdicatos occidere, (quorum vtrumque confidentiſſimè ſibi ſumit Romanus Pontifex) ſed magnam eo nomine gratiam inire apud Deum interfectores eorum, & Martyrum gloriam reportare. Quibus illecebris capti, & quaſi laqueis irretiti prophani quidam Nebulones, omni pietatis & officij abiecto ſenſu, omni mortis contempto metu, in ſacroſanctas Regum perſonas, legibus humanis & diuinis aduerſus omnem violentiam munitas, clariſſima luce perditiſſimè graſſantur. Sic Henricum tertium, Galliæ Regem, nihil de ſcelere ſuſpicantem, Iacobus Clement Monachus Iacobinus anno 1589, (re prius cum Ieſuitis quibuſdam communicata) longo per inteſtina cultro adacto, vita priuauit. Similiter etiam ſucceſſorem eius Henricum quartum, Nauarræ pariter ac Galliæ Regem, curru quadrigarum per mediam

pla-

plateam delatum Franciſcus Rauillac, anno 1610, pugionem in præcordijs Regis altiſſimè defigens, geminato vulnere trucidauit. Elizabethæ nuper Angliæ Reginæ, poſt emiſſum Romæ fulmen Pontificium, quot ſicarij, venefici, percuſſores, inſidiatores, ſanguinem & vitam petebant; & tanquam ſi hæc domeſtica diſcrimina ſatis non fuiſſent, Hiſpani fœderis Tridentini columnæ, ſi non architecti, claſſem inuictam (ſic enim prædicabant) adornantes, cœlumque captiuum, & mundi ruinam anno fatali (vt illi credebant) 1588. ſecum vehentes, ſpolia ſubactæ iam Angliæ nocturnis inſomnijs, & diurnis ſermonibus inter ſe partiti, perfectum & plenum triumphum ſibi ſpondebant, donec cœleſtem Pontificem, ipſum Dei Filium, ac verum mundi Dominum à partibus innocentis Reginæ ſtantem ſenſerunt, & octoginta maximis nauibus amiſſis, parti m pulſu tormentorum fractis & ſubmerſis, partim captis, plurimis etiam impetu ventorum ad ſcopulos Hibernicos alliſis, reliquę magna cum clade, maiore tamen cum ignominia fugientes, Deo gloriam, hoſtibus victoriam reliquerunt. Sed omnia omnium ſcelera longè ſuperat horrendum illud exitium, quod anno 1605, ſacratiſſimæ Maieſtati tuæ, lectiſſimæ Reginæ tuæ, nobiliſſimo Principi, Henrico filio tuo, cunctiſque Proceribus, Epiſcopis, Iudicibus, Equitibus, Ciuibus, ac reliquis ad publica regni Comitia vocatis parauerant Romulidæ quidam conſpirantes; qui triginta ſex dolia pulueris nitroſi & ſulphurei in cellam quandam inferiorem abdiderant, ſubter ſolium tuum, & locum, vbi omnes, quos dixi, oportuit conuenire; murumque perfoderant, vt ex occulto per cuniculum ſubterraneum ignem accenderent, quo puluis tormentitius minimo

mo-

momento disploſus tabulata, tecta, parietes à fundamentis euerteret; & non modò præſentes & in ſuperiori camera ſedentes omnes regni Ordines, flammis cremaret, in fruſta diſcerperet, in auras diſpergeret, ſed lignis & lapidibus, quorum ingens ibi fuit copia, incredibili fragore & furore quaqua verſus diſſilientibus, totam viciniam cum multis millibus omnis ętatis & ſexus obrueret. Quàm immortales verò gratias Deo debemus & agimus nos omnes, qui pridie, quàm haberetur conuentus, rem totam patefecit, & cum arma ſumerent coniurati, vt ſeditionem in populo facerent, & ad ſiccandum puluerem tormentitium, qui illis in pugna opus eſſet, animos intenderent, ſcintilla ſubitò exiliens tanto incendio huius ſceleris machinatores afflauit, vt iuſtum Dei iudicium aduſti agnoſcerent, & pereuntes idem ſupplicium, quod alijs intenderant, ipſi perferrent. Hijs machinis & modis creuit & creſcit recens iſta Pontificis Romani monarchia, tantopere per Ieſuitas expetita & ſuſtentata; hijs artibus & armis, non Petro in paſcendo, ſed Romulo in paricidio Papa ſuccedit; hijs clauibus non regnum cœlorum pœnitentibus aperitur, ſed puteus infernalis perduellibus reſeratur, quò nouis & inauditis ſceleribus orbis ſcateat Chriſtianus. Sed de hijs aliâs, Deo fauente, pleniùs dicendi locus erit. Sunt alij, qui nefariam hanc Antichriſti ſuperbiam & tyrannidem ab Eccleſia Chriſti deteſtantes, & quantum poſſunt amoliri ſtudentes, omnes Euangelij Miniſtros pares & æquales eſſe debere contendant; ita vt nullam ferant in Epiſcopis & Presbyteris gradus diſcrepantiam, nec aliquam inter verbi diſpenſatores admittant differentiam, aut eminentiam, niſi forſan ad breue tempus, idque ex conſenſu cæterorum, ac in orbem

bem per singulos Presbyteros recurrentem. Et ne pro vno Dictatore Romano innumerabiles nobis oppidatim & vicatim reponerent, in singulis Parochijs Pastori laicos quosdam Presbyteros adiungunt, quibus doctrinæ dijudicationem, clauium moderationem, morum censuram, electionum potestatem & negotiorum Ecclesiæ summam committunt, & hanc Ecclesiæ gubernandæ rationem Iudęorum Synedrio non dissimilem, vt illi putant, à Christo confirmatam fuisse, & solam Apostolicam esse arbitrantur. Hijs, quoniam fratres sunt, & nobiscum non de doctrinæ veritate, sed in disciplinæ varietate dissident, probare & persuadere pacis causa conatus sum, laicis presbyteris nihil esse commune cum Synedrio Mosaico, quod Iudicum & magistratuum in quaque ciuitate conuentus erat, potestate gladij armatus, vt de causis ciuilibus decernerent, & sontibus pœnas ex præscripto legis infligerent. Deinde laicis Christum neque clauium tractationem, neque manuum impositionem, neque verbi vel sacramentorum dispensationem vnquam credidisse; nec Apostolos magistri vestigijs insistentes pastorale munus aut administrationem laicis impertiuisse; multò minus laicos, vt Iudices, Pastoribus præfeciisse. Hæc à sacris literis valdè aliena esse docui, & à scriptis Apostolicis longè multumque abhorrentia: quin potiùs Paulum in suis ad Timotheum & Titum Epistolis, Episcopalis officij vires & limites exarasse, & eius gubernationis, quam Apostoli reliquerunt Ecclesiæ, solidam & veram effigiem expressisse. Quam ab Apostolis semel acceptam, & per multas sæculorum ætates continuatam Ecclesia Christi semper retinuit, & Anglicana tuis præsidijs & Imperijs fulta in hodiernum vsque diem retinet.

Et

Et quoniam hic liber plenam continet explicationem & probationem eius in Ecclesia regiminis, quod maturitate iudicij tui cæteris præfertur, & authoritate tua recipitur & stabilitur in hoc regno, iure optimo tibi sereniſſime Rex dicatur & consecratur, præsertim quem sub ampliſſimi tui nominis auspicijs excudi, & in vulgus emanare voluisti; vt omnes intelligerent, quanta propensione veteris & purioris Ecclesiæ memoriam colas, & quanta solicitudine decus, ordinem, & pacem Ecclesiæ Britannicæ fouendam & augendam susceperis. Deus optimus maximus Maiestatem tuam Ecclesiæ suæ propugnatorem fœlicem, expugnatorem Antichristi fatalem, exteris & subditis acceptiſſimum, solis conuiciatoribus Iesuitis formidabilem, regno Britanniæ quàm maximè florentem, omnibus vitæ præsentis & futuræ donis & diuitijs summè affluentem diutiſſimè seruet & tueatur.

Sereniſſimæ Maiestatis tuæ

humillimus & obsequentiſſimus
subditus & seruus

Tho. VVinton.

SVMMÆ SINGVLORVM CAPITVM.

CAP.

I. *De originali & domestica disciplina Ecclesiæ ante Legem.*

II. *De Leuitica & nationali gubernatione Ecclesiæ sub Lege.*

III. *De perpetuo Christi incarnati regno, quod ipsius personæ proprium ac peculiare existit.*

IIII. *De Synedrica iurisdictione, quam quidam à Seruatore nostro restitutam esse, & Ecclesiæ suæ commendatam censent.*

V. *De Apostolorum prærogatiua & authoritate, tum ante tum post Christi ascensionem.*

VI. *Quonam dominatu & quibus titulis Christus suos Apostolos prohibuit.*

VII. *Quinam cum Apostolis in electione Presbyterorum, & impositione manuum iuncti fuerunt & sociati.*

VIII. *De Apostolica authoritate in definiendis fidei controuersijs, & hominibus Satanæ tradendis.*

IX. *Quænam partes Apostolicæ potestatis & muneris post eorum obitum in Ecclesia necessariò durant, & quibus mandatæ sint.*

X. *Cuiusmodi fuit illud Presbyterion in scriptis Apostolorum commemoratum; & si qui laici Presbyteri illorum numero comprehendantur.*

XI. *Cuiusmodi fuit Presbyterion illud, cuius frequens in historijs Primitiuæ Ecclesiæ, & orthodoxorum Patrum scriptis fit mentio; & an laici Seniores in partem illius vocati fuerint.*

XII. *Quibusnam Apostoli discedentes, aut ex hac vita migrantes,*

grantes, Ecclesiæ regimen commendarint; vtrùm omnibus Presbyteris æqualiter, an quibusdam præcipuè & præ alijs; & quantum hic recentiorum quorundam dogmata ab antiquorum Patrum sententia discrepant, quorum nomina tamen illi prætendant.

XIII. Quosdam Apostolorum ætate & deinceps, ordinandi potestate, & iure successionis singulari, cæteris eminuisse Presbyteris, & in maioribus ciuitatibus ad conseruandam Ecclesiæ vnitatem præpositos fuisse, quos Patres ante, & nos eorum exemplum sequuti, Episcopos appellamus.

XIIII. Patria potestas, & pastorale munus Episcoporum in Presbyteros, alioſq; intra Ecclesias & Diæceses eorum.

XV. Ad quos electio Episcoporum & Presbyterorum propriè pertinet, & an iure diuino plebs Pastorem sibi eligere debeat.

XVI. Episcoporum in Synodis conueniendi ratio, & quis conuocandis moderandisq; conuentibus illis in primo Ecclesiæ statu præfuit.

CHRI-

CHRISTIANO LECTORI.

Quòd in has disciplinæ controuersias ingressus sum (Christiane Lector) quæ iam non exiguo temporis spatio Ecclesiam Anglicanam perturbarunt, feci certè inuitus. Memineram illud Abrahami ad Lotum, [a] Ne quæso sit inter te & me contentio, nec inter seruos meos & tuos, sumus enim fratres: *ex quo admonitus sum ab omni inter fratres discordia naturam etiam ipsam abhorrere. Non poteram vocem Seruatoris nostri obliuiſci,* [b] Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis. *Hinc collegi, quàm solliciti deberemus esse,* [c] vt vnitatem spiritus in vinculo pacis conseruaremus. *Vel ipsi me prophani docuerant,* concordia res paruas crescere, discordia maximas dilabi. *Hæ me causæ multùm à scribendo retardare potuerunt, veritum ne alerem augeremq́, eas contentiones ac dissidia, quæ nuper isto in regno inter vnius eiusdemq́, religionis tam professores, quàm doctores exarserunt. Tamen cùm pacem domus Dei quorundam ingeniorum asperitate violari, & eorum linguas tam effræni licentia ferri cernerem, vt ab apertis hostibus discerni non possent, non putaui mearum esse partium in communi quodam incendio spectatorem præbere otiosum, donec cuncta vndequaque conflagrarent, quin potius omnia experiri, siquid aptum hijs flammis restinguendis adferre possem.*

a Gene. 13.

b Ioh. 14.

c Eph, 4.

Alia etiam me causa ad hunc laborem impulit, nempe vt officio tum erga Deum, tum erga Regiam maiestatem quadam ex parte satisfacerem. Cùm enim quosdam sua disciplinaria commenta titulo diuina & æternæ veritatis propinare comperissem, apertè pro-

fitentes non posse se magis istius causæ, quàm fidei Christianæ deserere patrocinium; alios autem opprobrijs & contumelijs Ecclesiæ Anglicanæ iam constitutum regimen, vt impium, prophanum, Antichristianum proscindere (nullum est enim tam acerbum vinum, quod labruscæ non reddant) religione quadam sum adductus, ne sacras Scripturas tam indignè torqueri & quasi edictis ac censuris nouorum istorum subselliorum opprimi paterer, ac etiam ne tantam iniuriam tanta cum infamia coniunctam vniuerso huic regno imponi sustinerem, quasi aut non posset manifestam spiritus Christi vocem in suo verbo loquentis cognoscere, aut cognitam intellectámque aspernaretur, vt Antichristianæ superbiæ & tyrannidis facem anteferret.

Hæ causæ graues & maximi momenti præponderarunt, vt disciplinæ tam illorum quàm nostræ principia & fundamenta excuterẽ, & vtrinque probationes & testimonia appenderem, quò ex ipsa collatione eluceret, vtra ad sacrarum literarum sinceritatem, ad antiquæ & incorruptæ Ecclesiæ exemplar propius accederet. Quæ omnia in ipsius libri Præfatione proponere sigillatim inutilis esset laboris & tædij; in capita quædam contrahere, vt sciat lector quid expectaturus sit, non erit superuacaneum.

Duo præcipuè muniunt disciplinæ nuper excogitatæ architecti; Primum generalem quandam Pastorum & Doctorum inter se æqualitatem & parem potestatem: Secundò Laicos quosdam senatores illis adiungunt ad explendum presbyterion illud, quod quãque Ecclesiam gubernet. Hijs positis, authoritatem & iurisdictionem consistorij sic desiniunt, vt omnes causas Ecclesiæ sibi commissæ tractet, offendicula omnia vel admonitionibus, vel censuris castiget, omnes quæstiones audiat & terminet, omnes lites sopiat & extinguat, breuiter omnia expediat, quæ ad illius Ecclesiæ statum & incolumitatem spectent. Hijs minimè firmis fundamentis oppono, Ecclesiam Dei iam inde ab initio, ab Adamo ad Mosen, à Mose ad Christum ac deinceps, sub Patriarchis, Prophetis, Apostolis, à Pastoribus ac Doctoribus (gradu & authoritate inter se disparibus) administratam fuisse; id quod vel ipsum nomen regiminis ac gubernationis euincit. Si enim inter æquales nemo sibi gubernatoris partes assumit, necesse est quosdam esse superiores, quosdam inferiores, antequam vlla gubernationis forma constitui queat.

Quàm

Quàm ergo ſeſe irridendos omnibus expoſuerunt noui iſti fabricatores, qui regendæ Eccleſiæ formam præſcribentes, omnem inter Paſtores ſuperioris & inferioris differentiam ſuſtulerunt?

Quidam autem ex iis, hoc incommodo probè perſpecto, ac præſentientes quanta rerum omnium confuſio ſequatur a ſit, vbi omnes inter ſe pares eſſe vendicent, nemo ſuperiorem patiatur; eſſentialem ac perpetuam diuinę ordinationis partem hanc eſſe confitentur, vt vnumquodque presbyterion præpoſitum quendam, ac præſidem habeat. *Qui tamen ne agnoſcant aut admittant antiquum & approbatum puriſſimæ Eccleſiæ morem apud nos receptum, vt quæque diœceſis idoneum rectorem quempiam ſortiatur, curſorium quoddam ac circulare regimen ex ſuo cerebro commenti ſunt, quod omnes preſbyteros in orbem circumeat, & pro ſeptimana apud quemque ſua, aut breui quodam huiuſmodi ſpatio, reſideat. Nam ipſi, vt in rebus fit nouis, certum neſciunt quantum temporis deſultoria iſta præſidentia apud quemque duret. Hoc inceptum ſuis authoribus ita mirifice placet, vt diuinam inſtitutionem hanc eſſe pronuncient, hos ſolos Epiſcopos Apoſtolicos eſſe prædicent, cæteros omnes reijciant tanquam ab hominibus excogitatos, & in Eccleſiam inductos contra Spiritus ſancti ſolidam & expreſſam authoritatem.*

Hac de re optimè conuenit inter nos, euitandæ atque anteuertendæ diſſentionis ac confuſionis cauſa, ex ipſa etiam diuina ordinatione, oportere vnum aliquem cuique preſbyterio præeſſe ac præſidere. Quam aſſertionem, quia naturæ, rationis, veritatis fundamento innititur, & exemplo Eccleſiæ Dei ante Legem, ſub Lege, poſt Legem, confirmatur, pro certa, & indubitata, accipio, & tanquam cardinem & baſin totius diſputationis futuræ ſubſterno. Nunc verò vtrum iſtam præfecturam Apoſtolicis temporibus ex eorum inſtituto omnes in vicem ac ordinem Paſtores vniuſcuiuſque preſbyterij obiuerint ac geſſerint, an illa potius ad vnum aliquem ex cæteris delectum (qui ad ſuſtinendum illud munus aptiſſimus videbatur) pertinuit, & apud eum permanſit, quamdiu ille officium ſine culpa & crimine ſuſtinuit, in eo ſtatus controuerſia ponitur. In quam diſceptationem ingredi non poſſum, antequam illud excutiatur, cuiuſmodi Apoſtolica illa preſbyteria erant, & ex quibus perſonis in ipſo Eccleſiæ Chriſti primordio conſtabant.

Quidam recentiores theologi, cùm monarchiam illam Pontificiam vehementer in Ecclesia regenda improbarent, & ex altera parte non minùs à tumultu populari ac Anarchia metuerent, medium quendam cursum tenentes Aristocratian deligebant: sic enim florentem ac fœlicem fore putabant Ecclesiastica politeia statum, si neque vnus, propter tyrannidis periculum, neque omnes propter metum seditionis, verùm pauci quidam prudentia & sinceritate conspicui rerum potirentur. Iam verò cum Pastorum Doctorumq; numerum satis magnum in singulis Ecclesiis ac paræcijs haberi non posse cernerent, ad omnia quæ occurrerent disponenda & ordinanda: multitudinémque animo multò æquiore atque obsequentiore, parituram esse mandatis censuríque præsagirent, si ex plebe selecti quidam vna cum Pastoribus ad gubernacula sederent; presbyteria sua partim ex Pastoribus, partim ex Laicis (quos & presbyteros & gubernatores nuncupabant) composuerunt; hanc regendæ Ecclesiæ formam eò diuturniorem, quo moderatiorem sibi pollicentes.

Hoc ipsorum inuentum, ne nuper quasi domi suæ natum orbi terrarum proponerent, (id enim apud omnes in odio futurum esset) modis omnibus laborabant, tum exemplis, tum testimonijs, vt aliquem vetustatis fucum illinerent. Quod vt efficerent, Synedria Iudæorum obtendunt, in quibus populi seniores & primores cum Leuitis permisti singulis ciuitatibus ius dicendo lites dirimebant. Hunc ordinem diuinitus à Mose institutum, perpetuam esse normam Ecclesiastica politeiæ tradunt, à quo nefas est discedere, præsertim quum Christus eum morem Ecclesiæ suæ commendarit, & perpetuò conseruandum his verbis stabilierit: [d] Dic Ecclesiæ, quòd si Ecclesiam non audierit, esto tibi tanquam Ethnicus ac Publicanus.

d Math. 18.

Secundo Apostolorum scripta percurrunt, si ubi mentio gubernatorum ac seniorum reperiri possit; & in hunc Pauli locum incidentes, [e] Qui bene præsunt presbyteri, duplici honore digni sunt, maximè qui in verbo & doctrina laborant. *Hinc effici certò concludunt, quosdam fuisse presbyteros in Ecclesia, qui præsiderent, non tamen in verbo & doctrina laborarent; ideóque Laicos presbyteros ex verbo Dei perspicuè demonstrari, eosq; illis temporibus Ecclesiastica negotia tractasse contendunt. Hanc conclusionem tanquam firmissimũ dogma sunt amplexi, adeò vt nihil prorsus*

e 1. Tim. 5.

prorsus audire velint, quod ex contraria parte afferri possit, quo à concepta semel sententia removeantur.

Tertiò ne fortè aliis admirationem moverent, asserendo Laicos quosdam seniores ubique Ecclesiam gubernasse, tiam Apostolorũ temporibus, quorum Concilium nullum, nulla historia, nemo Patrum in suis scriptis mentionem usquam fecisset, aut eorum vel nomina prodidisset posteris, aut huiusmodi quid unquam ex illis Pauli verbis collegisset, operæpretium facturos sese putarunt, si quem ex Patrũ scriptis prætextum adhiberent, ne homines simplici & aperto ingenio prediti suspicarentur novos quosdam gubernantes Presbyteros, ex Paulo excudi atque adeò extorqueri, de quibus Christi Ecclesia mille & quingentos annos omnino nihil accepisset. Hinc dubiæ quedã & ancipites Patrum sententiæ ad hanc rem deprompta sunt & accommodatæ: ex quo genere est illud, [f] Ecclesiam initio communi Presbyterorum consilio gubernatam fuisse, & illud [g] Ecclesiam seniores habuisse, sine quorum consilio nihil ageretur. Quinimò quidam illorum istam novorum presbyterorum inventionem tam cupidè arripuerunt, ut ubicunque Concilium aliquod, aut aliquis Pater presbyteri vocabulum usurpasset, statim ad Laicorum presbyterorum confirmationem argumentum inde certissimum duci existimarent.

f Hieron. in Epist. ad Tit. cap. 1.

g Amb. in 1. ad Tim. cap. 5

Hoc stamen & subtegmen, hæc tela recèns nati Presbyterij, quod quorundam animos ita fascinavit, ut ab eius admiratione atque amore, sensus, & cogitationes, avellere nequeant. Et certè primorum authorum iudicium & existimatio me (credo & alios) multùm initio commovit, donec partim ob causas antedictas, partim eorum hortatu, quorum authoritatem defugere non facile potui, rem omnem serio & accuratè pervestigare cœpi. Ubi non modo materiem exilem & flexibilem, sed structuram etiam disiunctam & hiantem, totum denique ædificium quod tam multos admiratione perculisset, sua sponte inclinare & ruinam minari video.

Nam, quod primum afferunt, Iudæorum Sanedrim nullo pacto in Ecclesiam Christi imponi posse deprehendi. Iudicijs enim perinde atque ceremonijs Mosaicis per Christi mortem antiquatis, necesse est tribunalia legis unà cum sacerdotio cessare. Iudices sub Mose sunt constituti, ut iudicia Mosis exercerent, & pœnas in lege

Mosis præscriptas fontibus infligerent. Quum igitur hæ leges & hæc supplicia sub Christi regno suas vires amiserint, oportet illos Iudices & omnem illam Iudiciorum formam similiter abrogari. Deinde Iudices illi ciuiles erant, quos Moses in locis opportunis, ad iudicandas populi lites posuit; illis ius gladij secundùm legis normam tributum est, adiunctis Leuitis qui legis nodos & difficultates explicarent, & pro sua peritia reliquos instruerent. Huiusmodi nobis Sanedrim, si in singulis erigant parœcijs absque Regum & magistratuum bona venia, præclarum sibi aditum patefaciunt ad gladium sceptrumq; de Principum manibus extorquendum, prætextu consistoriorum suorum, quod priusquam moliantur, etiam atque etiam cogitabunt spero. Postremò, Laicos illos populi Iudaici seniores in cultu diuino falsum discreuisse à vero, sacrum distinxisse à prophano, inter mundum & immundum iudicasse, non lego; in sacrificijs certè vel ministerijs templi eos suam authoritatem interposuisse nemo dixerit, quia sacrarum rerum & munerum procuratio, Prophetis, Leuitis, & Sacerdotibus est commendata. Ex quo manifestè liquet Laicos istos sub Euangelio presbyteros nulla ratione veteres illos sub Mose Iudices referre, nec ab illorum officio ad horum firmandam potestatem vllam fieri posse consequentiam, nisi fortè Respub. omnium Christianorum, ad iudicia & tribunalia Iudaica penitus astringamus, aut presbyterijs nostris, non verbum sed gladium assignemus, quem Principibus, non Presbyteris Dominus gestandum tradidit.

h Mat 18. *Quòd autem verba illa Christi, h Die Ecclesiæ, huc trahunt, respondemus; Si de magistratibus Iudæorum intelligenda sunt, ad quos ex præscripto legis, causæ, lites, querimoniæ, deferebantur, tum nullo pacto ad Ecclesias Christianas pertinere, verùm regulam fuisse temporibus illis, illisq; personis accommodatam, qui ætate Seruatoris nostri sub lege Mosis viuebant. Sin autem vt canonem, & formulam quandam accipiamus ad iudicia in Ecclesia Christi authoritate perpetua roboranda, tum nulla ratione ad Synedria Iudæorum pertinent, nec ad aliqua Mosis tribunalia possunt extendi. Vtrum malint eligant, neutrum aut prodest illis, aut nobis obest.*

Diui verò Pauli verba, prima facie, pro illis facere videbantur. Sed cùm ea diligentiùs inspexeram, sensi tantum abesse ab illorum

lorum mente & sententia, vt eam disertis verbis funditus enertant. Paulus enim iubet, vt Presbyteri qui benè præsint, duplici honore potiantur vniuersi. Satis clara sunt verba: [i] Qui benè præ- i 1.Tim.5.
sunt presbyteri, διπλῆς τιμῆς ἀξιούσθωσαν: duplici honore digni habeantur. *Honor autem isto loco honorarium stipendium apertè significat, quemadmodum rationes protinus insequentes demonstrant:* [k] Non obturabis os boui trituranti. *Et illud;* Dig- k Ibidem.
nus est operarius mercede sua. *Iam verò nullo aut præcepto aut exemplo doceri potest, Laicos vllos gubernatores Apostolorum temporibus stipendia habuisse ex Ecclesiæ sumptu, aut habere Dei mandato vnquam oportere. Quamobrem aut omnibus Laicis presbyteris debitum, hoc est, duplicatum stipendium persoluant, vt Paulus iubet, quod isti nec faciunt, nec faciendum esse docent: aut eos eximant è verbis Apostoli, quæ duplicem mercedem presbyteris benè regentibus lege diuina statuunt; quòd si duplici honore priuandi sunt, etiam à gubernaculis Ecclesiæ repellendi sunt. De huius autem loci interpretatione, quamquam multa dici possunt, quemadmodum multa dicuntur à multis, quæ ego prætermisi, tamen vt lectori satisfacerem, quatuor diuersas expositiones attuli, nimium certè prolixas, quæ hîc interserantur, quarum singulas, libentissimè, iudicio prudentum doctorumq; subijcio: an non quæuis earum, proposito & instituto Pauli magis conueniat, quàm illa consistorianorum, & ipsius verbis æquè atque illa respondeat.*

Quòd si Paulus verbis perspicuis non excluſisset Laicos Presbyteros, vt qui nullum ius habent vendicandi duplex honorarium; & etiam si alij loci huic commento non contradicerent, tamen nulla ratio ex vnius clausulæ interpretatione, minimè neruosa illa quidem, ne dicam infirma, nos cogit vt eos recipiamus. Nam qua tandem dialectica ex hoc loco conficiunt presbyteros quosdam benè præfuisse, qui tamen in verbo & doctrina minimè laborabant? Quia hoc aduerbium, μάλιστα, id est, præcipuè, aut maximè, presbyteros gubernantes solùm, à laborantibus in verbo quasi à superiori quodam distincto q; gradu (si his credimus) discernit. Quid? An non res, æquè ac personas illa loquendi formula discriminat? Atque ita diuersos respectus, similiter atque diuersa subiecta? Vt in exemplis versemur. Quid istis loquutionibus usitatius? Qui benè præsunt magistratus, duplici digni sunt honore, maximè qui

miſerorum quærimonijs aures patefaciunt. *An non planè deſiperet, qui inde concluderet:* Sunt igitur duo diſtincta magiſtratus genera, alij qui benè præſunt, alij qui pauperum ſupplices preces exaudiunt? *Iterum, ſi ita loquamur,* Principibus conſiliarij ſapientes valdè ſunt grati, maximè verò qui fideles ſunt: Artifices periti ſunt quidem remunerandi, maximè qui diligenter operam nauant: Paſtores integræ & incorruptæ vitæ magnoperè ſunt optandi, maximè ſi doctrina & prudentia præcellant; *Quis ſanæ mentis hinc inferat,* fidelitatem & prudentiam, peritiam & diligentiam, virtutem & eruditionem *in idem vnumq; ſubiectum non concurrere, propterea quòd* præcipuè aut maximè *interponitur? Nihil frequentius iſta dicendi ratione, cùm ſignificare volumus non tam hominum diuerſa genera, quàm vnius hominis diſtinctas & diſcrepantes facultates; aut cum partem vnam ceteris anteferimus. Exempli cauſa,* Docti propter eruditionem diliguntur, maximè propter ſacrarum literarum cognitionem; boni propter virtutem amantur, præcipuè propter liberalitatem.

In hijs loquutionibus (dicent) perſonæ diuerſæ ſunt, non ſolùm res & qualitates. Nam quidam conſiliarij prudentes ſunt, non tamen fideles: Quidam artifices periti, non tamen diligentes: Quidam Paſtores docti, qui non ſunt virtute præditi. Illud (inquam ego) non accidit aliqua iſtorum verborum neceſſaria conſecutione, vel quòd facultates iſtæ in vnum eundemq; non cadant, ſed quòd iſtis aliquando perſonis deſit fidelitas, induſtria, integritas, quæ ad hæc munera rectè & cum laude obeunda requiruntur. Nam verba potius hoc innuunt, ambas partes debere cuiuis illorum ineſſe, priuſquam ſummis afficiatur aut laudibus aut præmijs; hoc modo. Conſiliarius debet eſſe prudens, & præcipuè fidelis antequam Principi gratus acceptuſq; poſſit eſſe. Artificem diligentem eſſe decet, non modo ſcientem, ſi ſua mercede valde dignus eſſe velit. Paſtorem non ſolùm virtute, ſed ſacrarum etiam literarum ſcientia cumulari neceſſe eſt, antequam in ſummo apud ſuos pretio habeatur. Ex Paulinis itaque verbis hoc poſſunt efficere, preſbytero non ſolum Eccleſiæ gubernandæ, ſed etiam populi docendi partes imponi, priuſquam duplici honore cohoneſtetur, & has vtraſque virtutes Paſtorem dignum laudatumq;

perficere;

perficere; aliud autem nihil syllogisticè concluditur.

Illud facilè liquebit, si Apostoli verba, sicut Græcæ linguæ vis & norma patitur, exprimamus. Verba ipsa ad hunc modum strictè legenda sunt, οἱ καλῶς προεστῶτες πρεσβύτεροι, id est, benè præsidentes presbyteri, duplici honore digni habeantur, μάλιστα οἱ κοπιῶντες ἐν λόγῳ, maximè laborantes in verbo &c. Hæc participia vt quisque nouit, qui Græcas literas attigit, non modò per verbum & relatiuum, sed per alias orationis partes resolui possunt, quæ Græci scriptoris sensa sæpè meliùs explicant. Vt βοῦν ἀλοῶντα οὐ φιμώσεις, boui trituranti non obligabis os; id est, dū triturat, nam postea refrenare non prohiberis. Sic in ista sententia; Presbyteri bene gubernantes duplici mercede honorentur; bene gubernare duplicati honoris caput est & causa, nec debetur illis duplex honor, nisi hac conditione, si bene præsint. Iam Apostoli verba resoluamus aut per causalem, aut per conditionalem coniunctionem, inde mox patebit, quàm parùm probent duplex & distinctum presbyterorum genus. Presbyteri, si bene præsint, duplici honore digni sunt, præcipuè si in doctrina elaborēt; aut ita, Presbyteri quia benè præsunt, duplici honore digni sunt, maximè quia in verbo laborant. Hic habemus, non duos distinctos presbyterorum ordines, vnum scilicet disciplinæ tuendæ; alterum doctrinæ tradendæ destinatum: sed duas facultates, aut munera cuiusq; presbyteri, si locum suum cum laude tueri, maximè si duplicato honorario sustentari velit.

Istorum hominum præscriptiones & regulæ, hoc ipsum confirmant. Quos illi Doctores appellant, an non debent in verbo laborare? Maximè. An igitur eos tam dignos esse duplici mercede putant, quàm sunt Pastores, qui præter inspectionem & curam gregis, etiam docendi labores sustinent? Minimè. Itaque Pastores sunt duplici honore dignissimi, eoq; magis digni quàm sunt Doctores, propterea quòd Pastores & præsint vigilanter, & doceant diligenter. Quòd si quisquam pro duplici presbyterorum genere adhuc pugnet, licet nulla prorsus necessaria ratio conclusionem illam ex Apostolicis verbis euincat, tamen ne nimis arctè cum illis agere videamur, duplex illis presbyterorum genus concessimus, ita semper vt Laicos istos longum valere iubeamus. Duas enim interpretationes in medium adduxi, quarum vtraque duos Presbyterorum

rorum ordines fatetur, sed neutra Laicum quenquam recipit. Verùm lectorem discendi cupidum ad eam disputationem missum facio, quia rem suo loco satis accuratè pertractatam nolui repetere alieno.

Summa quidem hæc est, Presbyteros & Presbyteria legimus in Apostolorum scriptis; Laicos nullos qui ad regendum gregem admittebantur. Presbyteri Apostolici [l] attendebant gregem, eumque[m] pascebant, [n] Dispensatores mysteriorum Dei erant, [o] adhortabantur doctrina sana, & contradicentes reuincebant: *Presbyteria (quod isti non semel vrgent)* [p] manus imponebant. *Hæc munia Pastoralia sunt, & quæ aliis in locis à Spiritu sancto, προς ὅ τι reliquisq; Ministris assignantur. Alios verò Presbyteros Scriptura sacra nescit, nisi quòd eos ex hoc vnico Pauli loco* Consistoriani quærunt *excudere, sed frustra. Illa enim quæ suprà descripsimus officia, ad Laicos Presbyteros nullo modo pertinent, nisi fortè omnes sacri ministerij partes illis concedant, atque ita Ministros à Laicis Presbyteris non officio & gradu, sed loco tantùm & statione distinguant, vt in templo doceant Pastores, & verbum è suggesto dispensent, Laici in consistorio. Hoc si fecerint, Pastoribus verba solùm, Laicis tum verba, tum facta Pastoralia relinquunt, atque his pascendi & inuigilandi authoritatem non minorem, certè efficaciorem attribuunt, quàm ipsis Pastoribus. In has se angustias cogunt, dum in sacris literis eas res rimantur, quarum ibidem nullum extat vestigium.*

Quòd si verbum Dei in hac quæstione obscurum esset, aut incertum, vt mea certè sententia contra Laicos Presbyteros satis est manifestum, vniuersus tamen totius antiquitatis consensus, quæ illa Pauli verba ita nunquam est interpretata, neq; Laicorum vsquam Presbyterorum Ecclesiam gubernantium mentionem reliquit, aduersus hæc omnia nuper inuenta firmam præbet & inuictam defensionem. Cur namque disciplinam tot seculorum silentio obrutam, ex sepulchro eruamus, cuius nulla extat apud quenquam Patrum, nulla in Concilio quoquam memoria, quam nulla Christi Ecclesia, antè nostram ætatem nobis commendauit. In his quæ Dei gloriam prouehant, nolim postremus videri, certè nolim esse. In hoc non ita sum fatuus, vt Ecclesiam Christi nunquam intellexisse existimem ante ista tempora, quid ad suimet ipsius guber-

nationem

l Act. 8. 20.
m 1. Pet. 5.
n 1. Cor. 4.
o Tit. 1.
p 1. Tim. 4.

nationem pertineret; aut æternum Dei Filium ab ipsius ciuibus & seruis dimidia sui regni parte mille quingentos annos spoliatum, nemine, nemine (inquam) interim reclamante, aut de tanta, & tam atroci in Dominum iniuria conquerente. Doceant & liquidò doceant ex aliquo saltem prisco & Catholico patre, Laicos istos Presbyteros; alioqui noua ista consistoria, quæ nobis nostrarum Ecclesiarum pacem violando, & omnia tumultibus complendo obtrudunt, planè asseuero, (quemadmodum illi quidem eavrgent) periculosam esse si non perniciosam vanitatem.

Hieronymum & Ambrosiũ in hanc causam testes citant, vt qui primæuam Ecclesiam, Senatum, & Senatores suos habuisse, sine quorum consilio nihil ageretur, affirment. Quantam illis Patribus iniuriam faciant, tractatu iusto & integro declaraui. (Hìc repetere non est animus:) hoc tantùm dico, si quis illorum Patrum asserat in prima & Apostolica Ecclesia, Laicos vllos Presbyteros, cum ea, quam isti in nouis consistoriis illis tribuunt, authoritate Ecclesiasticas res, causasq; gubernasse; polliceor, quæ in hac causa cunq; scripsi, me retractaturum; sin minus, meminerint se prudentiæ & commendationi sui parùm consulere, tantorum, tamq; doctorum patrum nominibus & testimonijs abutendo, ad causæ & famæ suæ iacturam non mediocrem.

Cùm itaque Ecclesia Christi beatis illis Apostolorum temporibus & deinceps, à Laicis senioribus, vt hac noua fingit disciplina, non fuerit administrata; restat vt à quibus regebatur planum fiat; id quod multis huius libri capitulis præstiti, quantum aut sacræ Scripturæ, aut veriores Ecclesiæ annales certa nobis suppeditant & firma documenta.

In primis Ecclesiæ architectis, nempè Apostolis, quatuor nobis obseruanda sunt, ad fundandam & extruendam domum Dei necessaria, quæ tamen ad eam tuendam & conseruandam non ita magnopere requiruntur: alia itidem quatuor ad eam (postquam ædificata est) perpetuò & sustentandam & moderandam. Quatuor Apostolici muneris prærogatiuæ supra sortem cæterorum erant; vocatio non ab homine, neque per hominem, sed ab ipso Christo, nemine interiecto, aut tanquam medio: legatio in omnes terrarum oras nullis limitibus definita, aut locis astricta; Spiritus sancti cœlestis instinctus & afflatus, quo instructi & directi,

neque

neque docendo, neque scribendo falli potuerunt; denique vis illa miraculorum edendorum, tam ad conuertendos infideles & confirmandos fideles, quàm ad castigandos vindicandosque contradicentes & pertinaces. Sine istis magnis & planè diuinis dotibus Ecclesiam seri & progigni non potuisse, quiuis facile animaduertit; sed si eius stabilitatem & permansionem spectemus, non ita est. Iam enim Operarios in suam messem remittit Dominus, non per seseſed per homines; & Pastores Ecclesijs iam anteà plantatis, laborem & operam suam impendunt, non nouas, quas plantent, quærunt. Scripturæ sacræ iam olim ab Apostolis ipsis exaratæ aut approbatæ, ad fidei institutionem & informandos mores per omnes sæculorum ætates sufficiunt; denique miracula tunc facta veritatis Euangelij ad aduentum vsque Domini ad iudicium, plenam certamq; fidem faciunt. Quamobrem fatendum est Apostolicas illas prærogatiuas vsum maximè necessarium in iaciendis Euangelij fundamentis habuisse, antequam Christus manifestus esset; sed iam Dei sapientiæ displicet Ecclesias suas pendere semper ex signis & prodigijs, quæ duriciem potius infidelium conuincunt,

q 1.Cor. 14. *quàm credentium fidem commendant.* q *Signa enim non credentibus, sed incredulis conueniunt.*

Reliqua sunt illa quatuor Apostolicæ delegationis munera, quæ in Ecclesia Christi perpetuò durant; Verbi scilicet dispensatio, Sacramentorum administratio, manuum impositio, & clauium tractatio, *ad regnum Dei vel claudendum vel aperiendum duo prima, quia vsitata sunt Spiritus sancti instrumenta, & media quotidiana, quibus hominum salutem æternam inchoat & efficit, necesse est vt omnibus Pastoribus Presbyterisq; communia sint; reliqua duo, quibus vel idonei homines ad publicum Ecclesiæ ministerium deliguntur, vel refractarij non communione modò Sanctorũ, sed etiam spe promissioneque regni cœlestis excludantur, quia ad Ecclesiam purgandam & regendam potius referuntur, causa nulla prorsus fuit, cur vt verbum & sacramenta, ita manuum & clauium potestas omnibus Pastoribus demandaretur. Nam vt in Reipub. administratione, vbi singuli sibi gubernatoris partes rapiunt, omnino nullus ordo constitui potest, quin potius omnium rerum ἀταξία necessariò sequitur: ita in Ecclesiæ procuratione, non pax, sed pestilentissima rerum omnium diuinarum*

narum erit perturbatio, si quisque Presbyterorum, manuum impositionem, & clauium gubernationem, atque adeò omnem Ecclesiasticam iurisdictionem sibi pro suo arbitratu vsurparet.

Quemadmodum Apostoli manus imposuêre, & Satanæ tradidêre, & quos in illis actionibus socios & adiutores habuêre, opportuno loco docui; Vbi Lector intelliget, tametsi cuiusuis Ecclesiæ Presbyteri, verbum & sacramenta curabant, tamen potestatem imponendi manus, & claues tractandi non habuisse, absque Apostolorum ipsorum authoritate, vel saltem eorum, qui ab Apostolis, cùm regiones illas deserebant, aut vitam cum morte commutabant, successorum loco relicti sunt, & quibus Ecclesiarum ab ipsis fundatarum moderationem & regimen credebant. Samariæ Philippus verbum [r] docuerat, credentes baptizauerat, non tamen imponendi manus, spiritúsque dandi facultatem vsurpabat; Petrus & Iohannes Hierosolymis missi sunt, qui cùm venissent, ac pro eis orassent, impositis manibus dederunt Spiritum sanctum. [s] Lystræ, Iconij, Antiochiæ, Ecclesiæ fuerunt anteà plantatæ; Paulus tamen & Barnabas, cùm eas reuiserent, coacti sunt numerum Pastorum adaugere singulis in locis, id quod suarum manuum impositione præstitêre. Sic enim verbum χειροτονήσαντες αὐτοῖς πρεσβυτέρους accipiendum est, non quòd elatione manuum multitudo Presbyteros eos designauit, vt quidam nuper interpretes eum Scripturæ locum nobis immutarunt contra Ecclesiasticum illius verbi vsum in Græcis tum Theologis tum Historicis, quemadmodum exemplis propè infinitis ostendi. Ecclesiæ similiter Ephesinæ & Cretenses à Paulo collectæ fuerant, & suos habebant Presbyteros, nemo tamen eorum alios creare potuit, sed Timotheus & Titus ibi relicti sunt, qui [t] manus imponerent, & Presbyteros per singulas ciuitates constituerent, vti ferret occasio.

[r] Act. 8.

[s] Act. 14.

[t] 1. Tim. 5. Tit. 1.

In hijs muneribus, quinam Apostolis successerint, vtrum omnes æqualiter Presbyteri, an præstantiores quidam è reliquorum numero selecti, quibus in quaque Ecclesia ac ciuitate, authoritas tum in plebem, tum in ipsos Pastores erat concredita, multis disputaui; liquido demonstrans ex Scripturis sacris, & alijs antiquissimis Ecclesiæ monumentis, ab Apostolorum vsque sæculo, ad Nicænum Concilium, & deinceps ad hanc nostram ætatem, quosdam maioribus

maioribus & amplioribus donis insignes, à cæteris segregatos, tanquam Apostolorum primarios successores habitos esse, quibus & ordinandi, & presbyteria cuiusque Ecclesiæ moderandi cura præcipuè commissa est; hancq; successionis prærogatiuam singularem, & ordinationis authoritatem superiorem tanquam peculiares & essentiales Episcopalis officij notas iam inde ab Apostolorum temporibus fuisse obseruatas.

Neque me fugit recentiores quosdam hìc vehementissimè repugnare, nec posse ferre, vt vllum inter Episcopum & Presbyterum discrimen, nisi fortè hominum instituto consensúve, nullo verò pacto Apostolica aliqua designatione statuatur; quorum opiniones vnà cum rationibus quibus nituntur, pro ingenij mei tenuitate excutio, reperioq; eas non posse vllo modo certa & solida, alterius partis argumenta infirmare. Quam enim firmiorem demonstrationem requiras, quàm eandem illam authoritatem, & gubernandi rationem, quam Paulus Thimotheo tradidit Ephesinam Ecclesiam administranti, in omnibus orbis terrarum Ecclesijs, apud quosdam homines, ab ipsis Apostolis ascitos & probatos remansisse; eandemq; ab hijs perpetua & generali ad Episcopos subsequentes successione in omnibus vbique locis deriuatam fuisse, idq; nullo Cõcilio coacto, nullo decreto interposito, quo hic Ecclesiæ regendæ modus & mos aut sanciretur aut seruaretur. Cuius ordinis propagationem per tres Episcoporum successiones continua serie decurrentem suis oculis viderunt, suis manibus obsignarunt Apostoli. Quinimo Iohannes in scriptis suis compellat singulariter huiusmodi Pastores tanquam Christi voce collaudatos, & in eius grege ducendo comprobatos. Cuius itaque rei initium ab Apostolis profluxit, quæq; in celeberrimis orbis Christiani Ecclesijs, vbi & viuebant & docebant Apostoli palàm ante oculos ipsorũ est obseruata, eam Ecclesiæ regendæ rationem quis dubitet esse Apostolicam? Quod ad me attinet, neq; tam mihi præfidens sum, vt Spiritus sancti prudentiam corrigere me posse sperem, neque tam perpugnax vt contumaciter ausim reijcere.

Tam certis & solidis causæ nostræ firmamentis quæ (quomodo mihi persuadeo) non modò dociles inflectant, sed repugnantes etiam conuincant, opponuntur duo loci, vnus ex Ambrosio, quòd initio nascentis Eccleſiæ primatus Episcopalis [u] ordine *cuiuis obtigerit*

[u] Amb. in 4 ad Ephes.

nerit, antequam donorum meritorúmve respectu certi quidam eligerentur; alter ex Hieronymo, videlicet [x] Episcopos magis consuetudine, quàm Dominicæ veritate dispositionis Presbyteris esse maiores. *Has ambas authoritates diligentissimè examino, & vtriusque scriptoris germanum sensum affero, non solùm ex interpretatione aliorum Patrum, sed etiam istorum ipsorum, ne quis putet in alienũ & contrarium sensum eorum verba me detorquere. Nam cùm Hieronymus &* [y] *Augustinus* vsum & consuetudinem *Ecclesiæ pro distinctione Episcoporum, & Presbyterorum allegent, si de titulis & vocabulis intelligatur, quæ primùm erant vtrisque communia, licèt posteà vsus* [z] *Ecclesiæ hæc eadem distinxerit, vt inquit Augustinus; possumus hæc illis vniversè concedere sine vllo causæ nostræ præiudicio. Quòd si de potestate & functione Episcopali interpretemur, verum illud est, quod asserit Hieronymus; subditos fuisse Presbyteros (quo modo Hieronymi ætate mos inualuerat)* magis consuetudine, quam Dominicæ veritatis dispositione. *Nam illis temporibus, vt ex Tertulliano, Hieronymo, Possidonio, & alijs constat;* Presbyteri neque [a] baptizare, neque [b] concionari, neque cœnam Dominicam [c] celebrare poterant, maximè præsente Episcopo, *sine eius venia, id est authoritate & iussione. Quæ res ex consuetudine magis propter ordinis conseruationem quàm vllo aut iussu, aut nutu diuino pendebat. Illud tamen Hieronymi,* Quid facit (excepta ordinatione) Episcopus, quod Presbyter non faciat; *ex diuina lege fluxit, quæ penè est vnica Episcopi & Presbyteri in sacris literis distinctio, quemadmodum rectè* [d] *Hieronymus, &* [e] *Chrysostomus obseruant. Alias differentias ab Ecclesia receptas, vt baptizatis, aut ab hæresi redeuntibus manum imponere, pœnitentes reconciliare, atque cæteras huiusmodi, Episcopis attributas esse legimus, propter honorem magis ordinis, quàm vllam diuinæ legis necessitatem.*

Siquis amplius ex Hieronymo obijciat, nullos fuisse temporibus Apostolorum, qui præsiderent Pastoribus & Presbyterijs cuiusque ciuitatis, sed communi Presbyterorum consilio Ecclesiam fuisse initio gubernatam; respondeo, fieri quidem id potuit, Apostolis ipsis adhuc Ecclesias moderantibus, necdum constitutis vicarijs, qui in Apostolorum loca succederent, & eorum partes susciperent; alioquin

x Hieron. in Epist. ad Tit.

y August. Ep. 19

z August. Ep. 19. Secundum honoris vocabula quæ iam Ecclesiæ vsus obtinuit.

a Tertul. de baptismo.

b Hieron. aduersus Luciferianos.

c Possid. in vita Augustini. Leo. Epist. 88. Concilium Carthag. 2. cap. 9

d Hier. ad Euagrium.

e Chrysost. homilia 11 in 1. ad Timo-

quin Presbyteria sine præpositis nec vnquam fuerunt, nec esse potuerunt. Nec aliter sensisse Hieronymum, ex authoritate summi vnius huius disciplinæ patroni manifestum facio; qui ita scribit:

f De Ministrorum euangelij gradibus, cap. 23.

g Ibidem

[f] Non ita desipuisse putandus est Hieronymus, vt somniaret neminem illi cœtui præfuisse. *Et postea,* [g] Essentiale fuit, in eo de quo hìc agimus, quod ex Dei ordinatione perpetua, necesse fuit, est, & erit, vt in Presbyterio, quispiam & loco & dignitate primus, actioni gubernandæ præsit, cum eo quod ipsi diuinitus attributum est, iure. *Et deinde.* Tales Episcopos diuinitus, & quasi ipsius Christi voce constitutos, absit vt vnquam simus inficiati. *Hæc ille pro noua sua disciplina. Ex altera parte, ego inquam; absit, vt vllos alios Episcopos ex sacris literis vrgeamus, nisi qui Pastores erant suarum Ecclesiarum, & sibi subiectorum Presbyterorum moderatores. Quòd si hactenus inter nos probè conuenit, quæ furiæ turbines illos in nostra Repub. concitarunt, qui vt stomachi sentinam exhaurirent, aut apud patronos se in gratia ponerent, non Theologorum, sed scenicorum & rabularũ more perbacchati sunt in homines omni virtutis genere reuerendissimos; quorum authoritatem, qui inter disciplinarios prudentia & doctrina antecellit, inficiari non queat à Deo profectam esse & ipsius Christi voce constitutam? Nisi certiores proferant demonstrationes, quàm hactenus; vt in suis φλυαρίαις sibi placent & plaudunt, memine rint illius dicti & vindictæ;* [h] Qui vos spernit, me spernit; qui me spernit, spernit eum qui misit me.

h Luc. 10.

Sed eò forsan confugient, nostros Episcopos ab Apostolicis illis, multis in rebus discrepare. Primum, illos ordine successisse, nostros electione; dein dignitatem illam omnibus initio Presbyteris per vices communem fuisse, apud nos vni cuipiam propriam; tum apud illos breui spatio, vtpote hebdomade, aut mense, apud nostros toto vitæ curriculo duraße, nisi quis forsan iustis de causis loco moueatur; denique illos [i] *prostasia quadam loci, & authoritate moderandi conuentus, & consultationes Presbyterorum contentos fuisse; nostros autem quoddam imperij genus in compresbyteros vendicare. Hæc discrimina colligit ille, inter disciplinarios doctrina præstantissimus, quibus contendat antiquam illam & Apostolicam Episcoporum institutionem temporis decursu in istam nouam, quæ*

i De mini. strorum Euangelij Gradi. cap. 53.

co suetudine

cõsuetudine magis & corruptione, quàm lege diuina firmatur, prolapsam esse. Hæc ipsius sententia est, nihil fingo, nihil immuto. Quòd si harum differentiarum nonnulla vera esset, nec ita tamen iusta causa videri posset inuertendi & abrogandi morem in prima Ecclesia vsitatum, vt delecti Episcopi toto vitæ cursu, si quidem munus benè gessissent, Præfecturam tenerent. Quod quidem istius ipsius scriptoris confessione liquet. Sic enim de omnibus illis differentijs, (si postremam excipias) pronunciat: Neque in istis quicquam est quod reprehendi possit. *Verùm nulla harum omnium certis argumentis, aut ex Scripturis, aut ex Patribus doceri potest, quin potiùs pro nobis vbique clara sint & certa testimonia. Commenta sunt ista quorundam recentiorum, qui omnes ingenij neruos contendunt, vt quandam discrepantiam statuant inter Apostolicos illos, & ætatis proximè insequentis Episcopos, ne fortè venerandam illam & vniuersalem antiquissimæ & primitiuæ Christi Ecclesiæ disciplinam, sine vlla iusta & necessaria causa reiecisse coarguantur. Omnium ætatum, Ecclesiarum omnium, consensus & consuetudo tam apertè illis aduersatur, vt vndequaque vel voculam vel syllabam aucupentur, quæ in speciem eorum instituto faueat. Neque sic tamen solidum quicquam inueniunt, quo aut sua nona stabiliant, aut perpetuam illam labefactent gubernationem, quam Ecclesia Christi, inde ab Apostolis ipsis acceptam, omnibus locis & temporibus custodiuit inuiolatam.*

Paucula ex Ambrosio verba congeruntur, quæ ruentem hanc molem sustineant, sed adeò nihil roboris habent, adeò nullam huius rei partem attingunt, vt tota fabrica nutet ac cõcidat. Nullum enim verbum facit Ambrosius de successione per vices circumducta, de menstrua aut annua mutatione; tantùm hoc dicit, [1] Primos Presbyteros Episcopos appellatos, vt recedente vno, sequens ei succederet. Sed quia cœperunt sequentes Presbyteri indigni inueniri ad primatus tenendos, immutatam esse rationem, prospiciente Concilio *(sed nec nominato, nec vnquam audito)* vt non ordo, sed meritum crearet Episcopum. *Vult igitur Episcopos primùm ordine, non electione constitutos fuisse; videlicet, vt qui Spiritus sancti donis cæteros anteiret, aut qui primus in Presbyterorum collegium cooptatus esset, Episcopatum durante vita gereret; illo decedente qui secundus erat, (anno-*

* Ibidem.

[1] Amb. in 4. ad Eph.

rum aut meritorum ordine obseruato) in ipsius locum sine aliqua noua electione succederet. Hic ordo successionis, (siquis vnquam fuit eiusmodi) non ab alijs, quàm à primis Ecclesiarum fundatoribus manare potuit; cum primos Presbyteros in ordinem quendam redigerent, & suum cuique locum pro meritis aut annis assignarent, sic vt ordine semper primus, id est, aut natu maximus, aut donis instructissimus, aut primus in Presbyterium cooptatus, demortui Episcopi, aut alia de causa recedentis dignitatem absque alio delectu occuparet. Quid verò illorum causam adiuuat, aut nostram ladit hac ordinatio? Concedant aliquem fuisse reliquis superiorem; eiq; fateantur gubernationem cleuium, & ordinationem Presbyterorum, iuxta Apostolicam doctrinam, principaliter concreditam fuisse, tum nostra nihil interest, vtrum authoritatem illam ordine, an electione assequeretur. Quanquam Hieronymus tam praciſè electionis meminit, etiam Apostolis adhuc viuentibus, vt quemadmodum cum Ambrosiana illa ordinis successione conuenire possit, non videam; certè ne generalem illam regulam quis faciat, manifestam exceptionem ab illo habemus. [1] Alexandriæ, *inquit*, à Marco Euangelista Presbyteri vnum semper ex se electum, in celsiore gradu collocatum, Episcopum nominabant. *Marcus autem sex annos ante Petrum & Paulum vita defunctus est; ita Ecclesiastica testatur historia. Ex quo sequitur, primum Alexandrinæ Ecclesiæ Episcopum, viuis adhuc Apostolis, electum esse. Quin, authore Hieronymo, Ecclesia illa semper eligebat, nunquam ex ordine suos Episcopos statuebat. Sed succedendi morem non curo; vtpote qui nostræ causæ nullo pacto præiudicat; de huius igitur Præsidentiæ duratione videamus.*

[1] Hiero. ad Euagrium.

Huius disciplinæ fautores libenter nobis persuaderent, Episcopale regimen & dignitatem omnibus Presbyteris per vices communem fuisse, suo cuique ordine, & eorum vnumquemque, ad breue temporis spatium, hebdomadis putà aut mensis, (nihil enim certi habent quod affirment) locum eum tenuisse. Quam assertionem, vtrum ignorantiæ, an malæ fidei ascribam, incertus hæreo. Nisi homines docti essent, ignorantiam culparem; nisi res ipsa luce esset clarior, fidem non appellarem. Verùm cum homines ipsi sint doctissimi, res autem tam certa, vt nihil vnquam certius audiuerim, legerimve (semper excipio maiestatem sacræ Scripturæ, eiusq; certitudinem)

tudinẽ) cogitet Lector Christianus, (ego non ausim pronunciare) quo consilio id, quod manifeste verum est, non modò dissimulatur; sed etiam fortiter oppugnatur; quod autem apertissimè falsum, id acerrimè propugnatur, & tanquam Apostolica, diuinaque ordinatio, Ecclesijs Dei ab ipsis nonorum consistorierum columnis obtruditur. Docent enim, non tanquam dogma traderent, sed quasi oracula funderent, Presbyteriorum πρωτοστατας (quos & ipsi, & nos Episcopos nominamus) nullos fuisse, nisi qui ad breue tempus præsiderent, & in vicem, ordine quisque suo, locum mutarent; atque hæc est illis Apostolica, & diuina planè institutio; sed quàm crassum sit hoc commentum, adeò vt vel digitis contrectetur, iudicet lector etiam parum eruditus. Primus Alexandriæ post Marcum Episcopus Anianus constitutus est,[m] octauo Neronis anno. Is autem sedit,[n] viginti & duos annos, antequam ei Abilius succederet. Abilius autem præsedit[o] tredecim annos, morienſq; locum reliquit Cerdoni. Hij tres, alius alij succeſſere, viuo adhuc Iohanne Apostolo, neque ea Ecclesia plures quàm illos duos habuit Episcopos post Sancti Marci obitum, triginta quinque annorum curriculo. [p] Enodius Antiochiæ factus Episcopus vicesimo quinto ante Petri Pauliq; mortẽ, illis vno anno superstes fuit. Hunc insequutus [q] Ignatius, post Iohannẽ vixit; decedensq; [r] vndecimo imperij Traiani locum cessit Heroni, quũ quadraginta annos tenuisset. Quocirca hæc Ecclesia solos duos hos vidit Episcopos sexaginta sex annorum spatio. [s] Hierosolymis Iacobus frater Domini sedit annos triginta, & [t] Simeon in illius locum suffectus, octo annos supra triginta duranit. Hierosolymitana itaq; Ecclesia sexaginta octo annorum decursu, duos tantùm agnouit Episcopos. Romæ dum vixit Iohannes, tres solummodo Episcopi fuere; Linus, Anacletus, Clemens, qui serie quadã succedentes triginta tres annos explerũt.

Quòd si ista non sufficiant, exemplum sumant in [u] Polycarpo Episcopo Smyrnæ ab ipsis Apostolis ordinato. Is eam administrauit Ecclesiam longo tempore, vitaq; defunctus est, summa senectute, nobili & glorioso martyrij genere. Tẽpus quo sedit Smyrnæ, si non ad [x] octoginta & sex annos protenditur, (tot enim annis Christo se seruiſſe Asiæ proconsuli respondit) tamen supra septuaginta excurrat necesse est. Septuaginta enim annos post Iohannis obitum, quo vsus est præceptore, & à quo Episcopus illius Ecclesiæ

m Euse. lib. 2 cap. 24.
n Idem. lib. 3. cap. 13.
o Idem lib. 3. cap. 21.
p Euseb. chro. in anno. 45.
q An. 71.
r Idem in anno 111.
s Ibid. anno 33. & 63.
t Anno. 63. & 111.
u Irenæ lib. 3. cap. 3.
x Euseb. lib. 4. cap. 15.

factus est, vixit, ac in ea dignitate decessit, vt videre est in literis Ecclesiæ Smyrnensis, in quibus supremo vitæ die appellatur, ἐπίσκοπος τῆς ἐν σμύρνῃ καθολικῆς ἐκκλησίας. Hæc vna historia, de cuius nulla parte dubitari potest, totam euertit machinam instabilis huius & mutabilis præfecturæ. Quid enim? Annon ab Apostolis ordinatus est Smyrnensis Episcopus? [x] Hieronymus, [y] Eusebius, [z] Tertullianus, [a] Irenæus, quicum vixit, quique ab ipso id se accepisse scribit, affirmant. Annon tanto temporis spatio Episcopatum gessit? Hic titulus, tempore quo mortem obiit, à tota Smyrnensi Ecclesia illi tribuitur; litere apud Eusebium etiam nunc extant. Imperatores sub quibus est mortuus fuere [b] Marcus Antoninus, & Lucius Aurelius Cõmodus, vt Hieronymus & Eusebius testantur. [c] Hi verò anno sexagesimo quarto postquam Iohannes decesserat imperium adepti sunt; Polycarpus autem septim [d] Imperij eorum anno, martyrio coronatur. Idem ille Romam venit sub [e] Aniceto, decimo Romanorum Episcopo. Veritatemque quam ab Apostolis acceperat, declarauit. *Nũ elatione mentis, & imperandi cupiditate, locum quem ab Apostolis accepit, diutiùs quàm par erat, Polycarpus retinuit, ac ita formam Apostolici regiminis primus immutauit? Malim equidem Consistorianos propter verborum Ambrosij deprauationem (dicam quod sentio) quàm Polycarpum propter disciplinæ Apostolicæ inuersionem criminari. Magnum est & honorificum, quod Smyrnensis Ecclesia de illo prædicat,* [f] Apostolicum & Propheticum Doctorẽ fuisse; *magna illa commendatio, quam illi tribuit Irenæus,* [g] Hic docuit semper, quæ ab Apostolis didicerat, quæ & Ecclesiæ tradidit, & sola sunt vera. *Quòd si non tantam haberet authoritatem, quantam istorum nemo, qui contradicunt, tamen totius orbis Christiani omnes Ecclesias habemus, historias omnes, omnia antiquitatis monumenta cum illius exemplo consonantia, quòd Apostolicorum temporum Episcopi, Apostolicis manibus ordinati, dignitatem illam ad vitæ suæ exitum retinuerint, nec vnus quisquam, qui vel vnico ex omni antiquitate exemplo alterius nobis regiminis formam commonstrare queat. Pius itaque iudicet Lector, quàm vanum, quàm falsum sit illud inuentum quorundam nostræ ætatis scriptorum acriter contendentium, Episcopos Apostolicos, Presbyteria ad breue nescio quod tempus, per vices gubernasse,*

[x] Hieron. in Polycarp. de scriptor. Ecclesiast.
[y] Euseb lib. 3. cap. 35.
[z] Tertull. de Præscriptio. aduer. hæret.
[a] Iren. lib. 3. cap 3.
[b] Euseb. lib. 4. cap. 15.
[c] Euseb chronico 4.
[d] 164. 170.
[e] Iren. lib. 3. cap. 3.
[f] Euseb. lib. 4. cap. 15.
[g] Iren. lib. 3 cap. 3.

nasse, singulis Presbyteris in orbem quendam, & circuitum eo munere fungentibus; electionem verò Episcoporum ad gubernandas Ecclesias & Presbyteros sibi commissos, per totum vitæ tempus, (nisi iustis de causis amouerentur) humanum quoddam inuentum esse, non Apostolicam institutionem.

Ab omnibus aliis præsidijs depulsi, ad dominatum Episcopalem, tanquam munitissimam, vt sibi videntur, arcem se recipiunt. Nam vt deligerentur homines ad munus Episcopale gerendum idonei, qui quamdiu benè & cum laude locum tuentur, amoueri non debeant, homo Disciplinariorum doctissimus fateri cogitur, in eo nihil esse quod possit reprehendi, aut debeat: *Hoc tantùm ferre non possunt, quòd Episcopus iurisdictionem in compresbyteros exerceat. Atque hic Scripturis, sed planè detortis abundant, quasi nos Episcopos, Dominos Ecclesiæ aut Principes, reliquos omnes illorum seruos faciamus & subditos. Allegant,* [h] Magnates potestatem exercere in subditos, verùm non ita erit inter vos. *Et illud Petri,* [i] Pascite gregem, non vt dominantes in hæreditatem Domini. *Sed quorsum ista? Num istis locis efficient, Apostolos nullam superiorem potestatem in Ecclesiam Dei habuisse, aut pastores in greges sibi creditos? Quàm puerile fuerit verum vero euertere? Agnoscunt ipsi Apostolos potestatem & [k] authoritatem habuisse, ex Christi ipsius delegatione in omnes reliquos gradus ad ædificandam & gubernandam Ecclesiam; dant etiam [l] Pastoribus authoritatem in greges vt* eis præcipiant, & iubeant in nomine Domini. *Iã argumẽtor; Si Christus superiores in Ecclesia, inferioresq́, gradus illis verbis prohibuit, nemo hominũ eos admittere, nemo defendere debuit. Ast ipsi Apostoli, cum quibus Christus illic, ac de quibus illa præcipuè verba loquutus est, discrepantes & differentes gradus Ecclesiasticæ potestatis retinuerunt, & exercuerunt. Ergo Seruator illis verbis, non gubernatione, sed imperio; non Pastorali, sed Regali authoritate; non paterna, sed herili potestate Apostolis eorumq́, successoribus interdixit; idq́, non in Presbyteros solùm, sed etiam in plebem, quam Petrus clerum gregémque Domini priùs & posteriùs appellauit. Itaq, suam istam interpretationem saluã si volunt & incolumẽ, omnẽ potestatẽ & authoritatẽ pastoribus in populũ eripiant, ne in suos dominari videantur. Nam omnis superior potestas, quidam istis dominatus censetur.*

h Math.20.
i 1.Pet.5.
k De ministrorum Euangelij gradibus, cap.6. & 15.
l Ibid.cap.20.

Deinde quì fieri poteſt, vt Spiritus ſanctus fidelibus præcipiat,
m Heb 13. *m Præpoſitis ſuis obedire, & eis parere, ſi Scripturæ (ſic, vt abiſtis, intellectæ) omnem eminentiam & poteſtatem gregis Dominici ductoribus detrahunt? Poſtremò cum Deus æterna ſua Lege Paſtores,*
n Exod. 20. *n Patrum vocabulo complectatur, eiſq; patrium honorem impertiri iuſſerit, non magis eos vllo verborum prætextu, obedientia & reuerentia licet ſpoliare, quàm honorario & ſtipendijs; quæ membra ſunt, & partes patriæ, tum dignitatis, tum poteſtatis. Cùm itaque Epiſcopis nullam iuriſdictionem niſi paſtoralem, nullam poteſtatem niſi patriam cõcedimus, Chriſti nullum præceptum, nullam Apoſtoli ſanctionem conculcamus. Ex quo ſequitur, Epiſcoporum authoritatem, quam eis tribuimus, nequaquam imperium aut dominatum dici aut exiſtimari debere, niſi manifeſtam Spiritui ſancto iniuriam facere velimus, qui illam iam inde ab ipſo humani generis exorſu non minus neceſſariam in Dei domo iudicauit, quam ſalutarem.*

Sed forſan faciles ſe præbebunt in concedenda patria & paſtorali moderatione Epiſcopis in plebem; nullo autem pacto in compreſbyteros iuriſdictionem dabunt. Hic enim exultant & triumphant indubitata victoriæ ſpe concepta. Moneo tamen, priùs ſuas repugnantias & contradictiones conciliandi rationem ineant, ne forſitan epinicion ante victoriam canant. Fatentur enim in omni preſbyterio, vnumquempiam præſidere oportere, háncque o diuinæ ordi-
o De Euang ministrorum gradibus, 23. nationis eſſentialem & perpetuam eſſe partem. *Iam quæro num Deus cuiquam hominum titulum ſine re nudum tribuat? vllum ſine authoritate regimen? An potius ex diuina lege, verbà factáque conueniant; & qui προεστὼς appellatur, authoritatem habeat à Deo illud munus exequendi? Os Domini non ludit aut lactat quenquam inaniter, vt ſolent homines; verax eſt in ſermonibus ſuis, ideóque nomen dignitatis aut authoritatis non dat alicui, niſi vnà rem ipſam dederit. Si præſides rectoréſque preſbyteriorum diuinitùs inſtitutos nobis concedant, ſine vlla controuerſia gubernatores etiam & ſuperiores ipſis preſbyteris cum aliqua authoritate nobis concedant oportet. Nulla enim cogitari gubernatio poteſt, ſine aliqua poteſtate, ſcilicet vt alius iubeat, alius obſequatur. Quòd ſi ex ipſorum placitis, preſbyteros conuocandi, cœtus moderandi, & decreta cæterorum exequendi poteſtatem habeat Præſes,*

in

in his certè rebus authoritatem iurisdictionemq́, in symmistas habeat necesse est. Non itaque omnis Episcopi in compresbyteros iurisdictio & potestas vel ex suis ipsorum principijs est illicita.

Deinde cum Paulus Timotheum Ephesi reliquit, vt P manus imponeret, *vt* accusationes aduersus presbyteros reciperet, *vt* peccantes coram omnibus argueret, *annon illi potestatem in presbyteros concessit; eandémque ipsam, quam hodierno die Episcopis vindicamus? Si fas & ius Timotheo fuit, hanc in compresbyteros authoritatem tunc Ephesi habere, & exercere, quî fit in eius successoribus, vt eadem ipsa authoritas tyrannica iam euaserit & Antichristiana?* p 1. Tim 5.

Timotheus (inquiunt) Euangelista fuit, & ob eam rem nullum habere potest successorem. Si in ista potestate nemo Timotheo succedere potuit, quî fit, vt ad istorum presbyteria iam sit deoluta? Num in suis presbyterijs habent Euangelistas? Quid? An in eo numero erunt etiam Laici presbyteri? Et cuncta in toto terrarum orbe presbyteria, Timotheo in eo munere quod Ephesi habuit, succedent? Noua certè sunt hec, & Christianis auribus, nisi ego fallor, prius inaudita. Sed si authoritas imponendi manus, recipiendi accusationes aduersus presbyteros, coarguendi peccantes coram omnibus, *semper in Ecclesia durat, certissimum est non fuisse aliquam extraordinariam & temporariam Euangelistarum potestatem, sed generalem & perpetuam in Ecclesia Christi functionem, quæ successores non admittat solùm, sed etiam postulet, cum eadem authoritate in eisdem locis; nec eisdem modò, sed in cæteris omnibus, quemadmodũ alia prater Ephesũ Ecclesiæ Apostolicæ pari & authoritate fultæ, & necessitate coactæ idẽ munus retinuerunt, vt ex catalogo successionis ab ipsis Apostolis & eorum sectatoribus in quaque Ecclesia deriuatæ, manifestè licet cernere.*

De Timothei successoribus si quis ambigat, in Chalcedonensi *Concilio certus eorum numerus refertur.* q A sancto Timotheo vsque nunc 27. Episcopi facti, omnes in Epheso ordinati sunt. *Alia Apostolica Ecclesia (referente Tertulliano) ordinem Episcoporum suorum euoluebant* r ita per successiones ab initio decurrentem, vt primus ille Episcopus, aliquem ex Apostolis vel Apostolicis viris, qui tamen cum Apostolis perseuera- q Actio 11.

r Tertull. de Præscrip. aduersus hæret.

uerit, habuerit authorem & anteceſſorem. *Sic Epiſcopi Cypri in tertio generali Concilio Epheſi celebrato, de ſua Inſula teſtantur.* [f] Troylus, *(inquiunt)* Sabinus, Epiphanius, & omnes ſanctiſſimi, qui præceſſerunt eos, Epiſcopi; & omnes qui ab ipſis etiam Apoſtolis fuere, ab illis ordinati ſunt, qui Cypri habitabant.

[f] Concilio Ephes. in ſuggeſt. Epiſ. Cypri.

Quòd ſi Timothei delegatio, Conſiſtorianorum iſtorum fundum imum non penitus exhaurit, (tametſi omnes antiqui Patres ſummo conſenſu hanc ipſam ad Timotheum Epiſtolam Epiſcopalis authoritatis & functionis nervum & typum exiſtimârunt) quid de ea poteſtate dicemus, quam tot myriades doctiſſimorum & ſanctiſſimorum antiſtitum & habuerunt & exercuerunt, omnibus Eccleſiis intuentibus, & agnoſcentibus; omnibus Conciliis & Patribus aſſentientibus, & approbantibus ab ipſorum ætate Apoſtolorum? Num dominatum illicitum & tyrannidem non ferendam putabimus? Num Eccleſiam Chriſti vniverſam, ab eius primis incunabulis ad noſtram vſque tempeſtatem, non religione modò & conſcientia, ſed etiam intelligentia & ſenſu communi ſic deſtitutam arbitrabimur, vt inter Paſtoralem authoritatem, & tyrannicam dominationem quid intereſſet, non potuerit diſtinguere? Et ſi quis eam notam omnibus Eccleſiis, quæ vnquam fuerint, inurat; non eius amentiam potius deteſtandam, quàm ſtultitiam argumentis refutandam iudicabimus?

Audiant igitur, & paucis audiant, eius quam Epiſcopi in preſbyteros habuerunt, iam inde ab Apoſtolicis temporibus, poteſtatis authoritatiſque ſummã. Si diuinis Scripturis eam repugnare contendant, afferant nec decreta cenſoria, nec ſua ſomnia; quæ legimus ſæpè, probauimus nunquam; ſed euidentem aliquam & perſpicuam ex verbo Dei probationem, & hac omnis turba conquieſcet. Canones, quos Apoſtolicos vocant, ad hijs ipſis tanquam vetuſtiſſimi citati, hanc poteſtatem ita circumſcribunt: [t] Presbyteri & Diaconi nihil agant, præter Epiſcopi ſententiam. Ille enim populũ ſibi cõcreditũ habet, & ipſe pro eorũ animabus rationem reddet. *Ignatius item Antiochiæ Epiſcopus, dum adhuc viuerent Apoſtoli, ſpatio triginta plus minus annorum, ita definit:* [u] Nihil agite neque Presbyter, neque Diaconus, neque Laicus abſque Epiſcopo, neque quicquam videa-

[t] Canon 38.

[u] Epiſt. 3. ad Magneſios.

tur

tur ἐυλογεῖν actum rectè aut legitimè absque illius sententia. Τὸ γὰρ τοιοῦτο παράνομον, καὶ θεῷ ἔχθρον: quod enim ita fit & Deo & legi aduersatur. *Et iterum,* [x] μηδεὶς χωρὶς ἐπισκόπου τί πρατλέτω τῶν ἀνηκόντων εἰς τὴν ἐκκλησίαν, nemo quicquam attentet, quod ad Ecclesiam pertineat, sine (*id est, inscio aut inuito*) Episcopo. *Antiqua Concilia* [y] *Ancyranum,* [z] *Laodicense,* [a] *Arelatense,* [b] *Toletanum hanc eandem ordinationem vt Christianam, & æquitatis plenam amplectuntur, nec vllum vnquam Concilium, aut vllus Pater tantam aut talem Presbyteris authoritatem tribuit, vt in omnibus Ecclesiæ negotijs eorum maior pars Episcopum cogeret & obligaret. Hæc est noua & prius incognita administrationis Ecclesiasticæ ratio ab ijs inducta, qui libenter vniuersam Ecclesiam ad sua placita potius reuocarent, quàm vel canones regendæ Ecclesiæ ab ipsis Apostolis in sacris literis traditos admitterent, vel vllum antiquissimarum Ecclesiarũ exemplum ad imitationem sibi proponerent.*

x Epist 7. ad Smyrnenses.

y Concil. Ancyra. cap. 13.

z Laodiceni cap 56.

a Arel. 1. c. 19.

b Tolet. 1. c. 20.

Vt istum locum tandem concludamus, si Episcopos verè Apostolicos quæramus, y fuerũt, qui vel ab Apostolis alicubi relicti, vel ab ijsdem aliquò missi, Pastores erant ciuitatum ad quas ablegati sunt, & rectores Presbyteriorum in illis Ecclesijs in quibus præsederunt, quam dignitatem ad vitæ suæ terminum gerebant, nisi siquid præter opinionem accidisset. Quibus decedentibus è vita, successores suffecti sunt, cum eadem ordinandi Ministros per impositionẽ manuum, & moderandi claues authoritate, consilium & auxilium præbentibus ijs, qui vnà cum illis in verbo & doctrina laborabant. Hæc, nisi me animus fallit, suis locis solidè demonstrantur, inde petat Lector, quæ sibi opus esse putauerit. Mihi satis est hoc tempore, nullam partem istius Episcopalis authoritatis, quam anteà definiuimus, posse diuinis aut humanis testimonijs, vllius dominationis insimulari, nedum tyrannidis conuinci. Ex quo sequitur, grauẽ istorum querimoniã de dominatu Episcoporum nostrorũ Anglicanorũ vel ignoratione, vel inuidia conflari, dum aut non possunt, aut certè nolunt, qua de re nobiscum contendunt, prudenter expendere.

Quod attinet ad Synodorũ decreta, Principum item leges Ecclesiasticas; cùm aliquorum fidei & industriæ necessariò sint delegandæ, in hanc sententiam nonnulla disputaui, quinam maximè videantur idonei ad hanc prouinciam suscipiendam & gerendam;

vbi

vbi constabit nullam in diœcesanos aut metropolitanos iustam violentiæ aut tyrannidis vel accusationem vel suspicionem cadere posse, quamdiu scriptis in re quaque legibus dirigantur; præsertim cùm si cui iniuriam fecerint, is vel Synodum vel Principem appellare possit, qui iniustam rescindat sententiam, ad quorum alterutrum omnis appellatio deferri potest, siue Ecclesia persecutione iactetur, siue pace firmetur.

Necessitatem præterea, & antiquitatem diœceseon ostendi, Synodorum itidem & Metropolitanorum vsum ac etiam vtrum ex lege diuina Pastorum electio & designatio spectet ad populum, sic vt alioquin eorum vocatio futura sit irrita, ac ipso iure nulla. Harum multarúmque huiusmodi quæstionum, quæ Christianæ Ecclesiæ gubernationem continent, iustam integramq; tractationem sum persequutus, neque quicquam prætermisi, quod operæpretium duxi.

Illud etiam Lectorem admonitum volo, siquid ex aduersaria parte in toto hoc libro obijcitur, id tum dispari typo & charactere, tum etiam hac nota [ ] à reliquo textu discerni. Quod à me præstitum sit, æquus Lector facilè iudicabit, si modò legendi labore non recuset. Omnium hominum studijs respondere aut facere satis, nec spes mihi fuit, nec animus; qui veritatis ignoratione in hac quæstione aberrarunt, hac occasione forsan ad accuratiorem inuestigatione excitari poterunt, si non deduci. Sunt, qui suis inuentis ita delectantur, vt eos inde nulla veritatis vis auellat; sunt certi tam feruentes & feroces, vt nullum ferant superiorem; sunt etiam, qui vesana cupiditate stipendijs Ecclesiasticis inhiantes, ea iam pridem animo deuorarunt: hij omnes, quicquid scribi dicive contrà possit, si votis suis non potiantur, beatis tamen insomnijs sese pascent. Hij morbi sunt desperatiores, quàm vt à me, si multò peritior essem, sanari queant. Scopus mihi propositus fuit pax Ecclesiæ, quatenus ea quidem cum Dei verbo, & societate Sanctorum constare possit, Sanctorũ (inquam) qui nos admirandis Spiritus sancti donis locupletati anteceſſerunt, non modò propter doctrinæ excellentiam, sed vitæ etiam sanctimoniam in Ecclesia celeberrimi. Pacis item & concordiæ causa, orationis stylum ita temperaui, vt ijs qui à nobis dissentiunt, iustam offensionis causam datam esse nemo meritò conqueratur, nisi fortè illorum placita repudiari

pudiari, licèt falsa, plusquam agrè ferant. Hoc mihi semper ante oculos obuersabatur, quàm plurimos eorum veritatis & instauratæ religionis ergô fratres esse, vt vt alij ob Synedria Iudæorum, & Presbyteria Laicorum hostilem in modum dimicent. Legant modo, si quid melius afferẽt, docilem me præbebo. Κυριὰς *autem* δόξας *& illud* Αὐτος ἐφα, *nunquam amaui, quasi orbis vniuersus alicuius vnius vel oris sono, vel calami lituræ obnoxius esset, sine vllo Scripturæ aut veterũ cuiusquã testimonio. Si quid à me dictum est, quod cum Dei verbo pugnat, aut perpetuo & vniuersali Ecclesiæ Christi decreto non confirmatur, mihi fidem haberi nolim. Si quis me refellet, vt idem præstet, expecto. Coniecturas aut opiniones quorundam licèt doctorum virorum, qui hac ipsa nostra ætate floruerunt, nemo nobis ingerat, sed certis & firmis argumentis, aut saltem testimonijs certet, quibus & assentientis Lectoris iudicium tutò nitatur, & contradicentis os obturetur. Faxit Deus, illius sacrosanctæ voluntatis & gloriæ propagandæ, non autem nostræ, zelo flagremus; & laborum nostrorum cursum ita moderetur, vt calamitates Ieruſalem mitigemus, & interrupta Sionis mœnia reficiamus potiùs, quàm mutuis discordijs solo æquemus. Amen.*

DE

DE PERPETVA ECCLESIÆ CHRISTI GVBERNATIONE.

CAPVT I.

De originali & domestica disciplina Ecclesiæ ante Legem.

QVantoperè opus sit ordo & regimen, cùm in omni hominum cœtu ac societate pariter viuentium, tum maximè in Ecclesia Christi, diuina sapientia multis modis nobis monstrauit; partim naturalis ac ciuilis corporis analogica similitudine in Scripturis sacris tam sæpe vsurpata; partim perfectissimæ communionis illius commendatione, quæ inter sanctos & veros Dei cultores, omnibus & locis & temporibus, ab ipsa mundi origine, arctissima intercessit. Vt ab ipsa radice, & omniũ societatum seminario capiamus exordium (quod de singulorum priuatis domibus & familijs intelligo) nónne Deus ipse diuersis gradibus & prærogatiuis eas distinxit, nempè *mariti, parentis, domini, supra vxorem, gnatos, seruos*; quos omnes mutua necessitudine, iubendique & parendi officijs deuinxit? Ab hac radice rami exoriuntur, ciuitates, nationes, regna. Hæc etiam nónne leges habent quæ præscribant, magistratus qui exequantur, quæcunque sunt salutaria? Non [a] Principibus & potestatibus ius gladij diuinitùs ad defendendos innocuos, & fontes comprimendos est attributum? Si sponte & constanter quod bonum

[a] Rom. 13.

est

est sectaremur, non adeò necessaria fuisset disciplinæ administratio; verùm ea est naturæ humanæ deprauatio, vt celeriter à nobismet ipsis seducti; celeriùs, si improborum consilium accedat, deflectamus; celerrimè autem hijs duobus impotentissimis tyrannis metu & cupiditate ab officio abripiamur. Hanc animi nostri inconstantiam vt Deus firmaret, & violentissimorum affectuum intemperiem vt frænaret, in omni hominum societate, directionis regulam, & correptionis virgulam stabiliuit; illam vt tractabiles duceret, hanc vt frangeret rebelles; ne ordinis in Repub. perturbatio confusionem, confusio certissimam ruinam pareret. In Ecclesia, videlicet[b] *Domo Domini*, [c] *ciuitate Dei viuentis*, [d] *regno charissimi sibi Filij*, non idem vsu venit? Qui regna huius mundi tam patrio curat affectu, qua vigilantia eum suos tueri putabimus? An ἀταξία in Repub. metuenda est, in Ecclesia, susque deque ferenda? Nusquam [e] *Deus confusionis author est, sed ordinis & pacis*, quanto magis in Ecclesia sua? Imò hic diserte sanxit, vt [f], *omnia ordine, omnia decorè gererentur*. Quis autem ordo potest esse vbi nullus est gubernator? quæ pax, vbi nemo obsequitur? quæ maior Ecclesiam dissipatio pessundare potest, quàm si cuique liceat, quò velit sese intrudere, quod libeat obtrudere; nemine repugnante, nemine coercente? Huius rei gratia, [g] dispensatores supra familiam, [h] ductores super gregem, [i] operarios super messem, [k] agricolas super agrum suum, [l] diuersas scilicet administrationis statuit, tum ad [m] ædificandam, tum ad conseruandam Ecclesiam, quæ corpus est Christi. In hac itaque, quemadmodum & in humano corpore, [n] quosdam Deus posuit, qui instar oculorum, aurium, oris, manuum, principes partes agerent, & excellentissimorum membrorum vice fungerentur, sine quorum ope & ductu totum corpus deforme & mutilum, nec sibi prospicere, nec suam salutem aut securitatem procurare queat.

b 1.Tim.3.
c Heb.12.
d Coloss.1.
e 1.Corin.14.
f Ibidem.
g 1.Cor.4.4.
h Hebr.13.
i Luc.10.
k 1.Corin.3.
l 1.Corin.12.
m Ephes.4. 1.Cor.12.
n Basil.in Psal.33.

Neque verò vllo pacto putandum est, disciplina opus esse in Ecclesia Dei, ad populum in officio continẽdum, non etiam ad ipsos Pastores moderandos; (hoc enim perinde esset, ac siquis pedes ab ictu gladiatoris communiret, caput autem

autem lætali vulneri nudaret) quinimò, quò pars quæpiam corporis est excellentior, eò morbus, si eam partem occupet, est periculosior; similiter, quo magis Pastores tumultuantur, eò magis, populus ne eodem incendio conflagret, metuendum est. Domus stare non potest, quam ipsi diruunt architecti; messis perit, vbi operarij dispergunt, non colligunt; Si oculus ipse sit cassus lumine, totius corporis quantæ sunt tenebræ? Si sal infatuatus fuerit, quonam salietur? Si duces ipsi de via declinent, aberrare milites necesse est. Copiæ quantumuis magnæ intestinis bellis facilè dissipantur. Ordinis inter Pastores perturbatio, totam Ecclesiam in partes distrahit; contraque Doctorum pax & concordia mentes auditorum summa charitate conglutinat. Si dissident qui ad gubernacula sedent, nauigium Christi non potest rectum aut tutum tenere cursum, huius mundi procellis & tempestatibus iactatum. Ordo itaque & disciplina, pacis & tranquillitatis vt quasi procreatrices quædam & altrices, in omnibus hominum tam diuinis quàm humanis societatibus; tametsi spiritus & anima non sit Ecclesiæ, commissuræ tamen & nerui sunt qui totius corporis membra inter sese compacta colligent, vsque adeò vt ° *vnitas spiritus*, Apostolo teste, *nisi vinculo pacis conseruari non possit*. Pax autem, vbi discordia nutritur, aut confusio toleratur, non modò nulla esse, sed ne sperari quidem vlla potest. ° Ephes 4.

Hijs quæ dixi non est consequens, vt politeiam Ecclesiasticam, quam nobis cunque libeat, ex ingenio nostro fingamus, quin potius danda est opera, vt externam administrationem in Ecclesia regenda eam obseruemus, quam Dominus noster ipse nos docuit, & ab initio mundi comprobauit. Externum regimen, quo Pastores & Doctores Ecclesiam regunt, & inter sese reguntur, non sine grauissimis causis ab interno illo secernitur, quo Deus corda fidelium suo sancto Spiritu gubernat; de quo quippe stabili, & omnibus sæculis immutabili, non est vlla hodie in Ecclesijs Anglicanis controuersia. Hoc verũ & propriũ esse Christi regnum agnoscimus, quo Deus in animis hominum cognitionem & fidem veritatis inserit; quo sanctos sempiternæ suæ misericordiæ

& gratiæ gustu afficit, & æternæ salutis certissimos reddit,
p Ephes.1. idque ex p proposito voluntatis suæ, ad laudem gloriæ suæ gratiosissimæ; qua in administratione nulla se admiscet creatura, aut vllam huius laudis partem delibat. Verùm quia reliquit in Ecclesia verbum & sacramenta, tanquam externa quædam instrumenta & adiumenta gratiæ suæ, quibus salutem nostram procuret; hinc efficitur necessariò, constituendos esse in Ecclesia Ministros aliquos, qui verbum administrent, sacramenta distribuant, cum quadam authoritate
q Math.7. dignos admittendi, indignos repellendi, ne q *sancta canibus, aut margaritæ porcis abijciantur*. Ex quo rursus oritur necessitas illa gubernatorum in externo regimine Ecclesiæ Dei; quorum munus in eo versatur, vt homines idonei ad tantum & tam diuinum thesaurum verbi & sacramentorum dispensandū segregentur (neque enim cuiusuis fidei credenda sunt & committenda) qui postea, nisi rectè & sincerè se gesserint in ea functione, vt fideles œconomos Dei mysteriorum decet, ab ijsdem illis, à quibus in ministerium ascripti sunt, gradu moueantur.

Quam verò politeian in externa forma Ecclesiæ gubernandæ Dominus ab initio sanxit, obscurum esse non poterit, si sacras Literas consulamus. Ab Adamo ad Iacobum, quemadmodum Ecclesia in quibusdam familijs incluſa fuit, ita disciplinæ domesticæ procuratio penes patremfamilias extitit. Dominus enim patrem, filiorum, nepotum, totiusque familiæ doctorem & gubernatorem esse voluit; iussitque liberos & nepotes, totam denique propaginem parentibus honorem, obseruantiam, obedientiam præstare; præsertim vt Dei voluntatem Patribus suis reuelatam agnoscerent, & ob eam rem in Deo colendo parentum monitis & præceptis auscultarent. Hanc patriam in liberos & familiam, ante legem Mosaicam, authoritatem hijs verbis legimus expressam.
r Genes.18 r *Scio*, (inquit Dominus) *Abrahamum præcepturum filijs & familiæ suæ, vt viam Domini obseruent, iudiciumq; & iustitiam faciant*. Hoc munus procul dubio pij omnes ab Adamo Patriarchæ persanctè præstiterunt, hoc officium, quicunque inter filios religiosi fuerunt, inuiolatè coluerunt. Huius

obedientiæ

obedientię certissimum pręmium fuit Dei benedictio, parentum ore pronunciata; quemadmodum in filios immorigeros & rebelles Dei maledictionem euenturam prædixerunt. Sic [r] Noha maximum natu Semum propter patris nuditatem obtectam, benedictum pronunciauit, hæredemque promissionis diuinæ illa sua precatione effecit. Sic Chamum propter patris turpitudinem risui ludibrioque habitam maledictione insectatus est. Sic [t] Isaac, sic Iacob Dei benedictionem [u] filijs & [x] nepotibus suis, qui officij memores honore obseruantiaque parentes coluerunt, transmisere; sic impijs & ingratis iram & iudicia Dei grauissima denunciarunt.

r Gene.9.
t Gene.27.
u Gene 49.
x Gene.48.

Et quemadmodum Patriarchæ diuinitus erant Prophetæ & interpretes constituti, qui filijs suis, aut Dei promissa, aut minas prædicarent; ita etiam magistratus erant, qui paterna moderatione domesticos suos regerent & coercerent. Sic visum est Deo priscis illis temporibus nulla nisi patria potestate suos in officio continere. Hinc fit vt in decalogo postea, Principes & magistratus patrum vocabulo complexus sit Moses, & in veteri Testamento vbique ferè Principes & gubernatores, patrum nomen sortiantur; hoc nimirum significante Spiritu sancto, qua cura & amore parentes liberos prosequuntur, eodem Principes subditos suos complecti oportere; propterea quòd à patria authoritate omnis Principum potestas, diuina institutione defluxerit. Neque solùm in tentorijs & tabernaculis suis, Principum authoritatem obtinebant Patriarchæ, sed etiam in Ecclesia Dei Sacerdotes erant. Qua de causa primogenitum quemque in illa ætate, sibi consecratum voluit Deus, vt sacerdotio ad sacra procuranda, & cultum Deo exhibendum fungeretur. Hunc Pontificium & Propheticum honorem Principis etiã celsitate Deus adauxit, ob eamque causam primogenitum, vt fratrum suorum dominum à matris filijs honorari præcepit. In qua dignitate & eminentia tam dominij quàm sacerdotij filius natu maximus patri semper successit, nisi fortè vel arcano Dei consilio, vel manifesto iudicio depelleretur, alio in eius locum ab ipso Deo designato. [y] *In Isaac*, inquit, *vocabitur tibi semen*, postquam Ismaelem deiecisset;

y Gene.21.

z Gene.25. a Gene.49. [z] *Maior*, inquit, *minori seruiet*, cum Iacobum posthabito Esauo prætulisset. [a] *Ruben* (inquit Iacobus) *principium potentiæ meæ, excellens robore, excellens dignitate; non excellens tamen, quia ascendisti stratum patris tui, & polluisti cubile eius.* Alioquin hoc erat primogeniti ius, hæc primogenituræ prærogatiua, tum [b] ante, tum post diluuium, quam hijs verbis Isaac in Iacobi ad dignitatem istam obrepentis benedictione expressit: [c] *Esto dominus fratrum tuorum, & filij matris tuæ procumbant ante te.* Hoc priuilegium primogeniti renouauit Deus confirmauitque ex parte quadam, lege per Mosen lata, nempe vt natu maximus inter fratres, princeps ac primarius esset in quaq; familia per vniuersã illam Rempub. nisi fortè quis ob impietatem, aut scelestos mores suo iure decideret.

b Gene.4.v.7. c Gene.27.

Hæc fuit disciplina domus Dei vetustis illis temporibus, ab Adamo ad Semum vsque filium Nohæ primogenitum. Ætate prouectissimus in familia Patriarcharum princeps tum in religione docenda, tum in politeia moderanda fuit; quo decedente de vita, primogenitus eandem dignitatem administrauit, nisi Dei iudicio indignus euasisset, vt videmus in Caino propter immane illud fratris occisi facinus. Et eam ob causam primis illis patribus, tam longæuam vitam impertijt Dominus, vt natis suis natisque natorum facilè testes illius voluntatis esse potuerint, & rationem colendi Dei, quam à parentibus acceperant, posteris per multas generationes propagarent. Hoc enim præceptum in lege Mosis sancitum: [d] *Docebis filios tuos, & filios filiorum tuorum*; perpetuum & ab ipsa naturæ lege deductum erat, omnesque patres etiam ante legem obligatos tenuit; illa autem ætate maximè necessarium fuit, cum nisi patres, nulli essent, quibus filiorum institutio iuncta fuit, cumque verbum Dei scriptum adhuc nullum esset, sed religio quasi de manu in manum traderetur. Itaque vt quisque Patriarcharum, quibus promissum hæreditatis æternæ factum est, ætate erat antiquior, ita summæ fuit & maximæ authoritatis in docenda & dirigẽda posterorum suorum familia, ex quibus illius temporis constabat Ecclesia.

d Deut.4.

Adamus

Adamus Ecclesiam rexit 930. annos, suijpsius & creationem, & casum miserandum, quo mortales omnes vnà secum inuoluit, posteris diuulgans; dein reparationem & instaurationem certissimè futuram, per benedictum illud mulieris Semen, quod vnicum in tantis malis erat solatium. Postea Sethus illi adiunctus, viuo etiamnum patre, 500. annos prædicauit, liberosque suos, id est Ecclesiam Dei, vt [e] *inuocarent nomen Domini*, eumq; sincerè colerent, edocuit; in quo munere perficiendo vixit post patrem 112. annos. Hunc insequutus Enoch eadem diuina doctrina Chenan filium suum imbuit, & eandem semitam terebant omnes ante cataclysmum Patriarchæ, Deo semper per Spiritum suum exuscitante quosdam pietate & virtute præstantes, qui parentibus suis, dum viuerent, in erudienda & moderanda Ecclesia adiumento essent, & post mortem parentum locum & munus occuparent. Sic Enoch ambulauit cum Deo, & in illius Ecclesia 300. annos prophetauit, primùm sub Adamo, posteà Setho, cuius temporibus translatus est. Sic [f] Noha apud antiquum illud seculum, iustitiæ pœnitentiæque præco, exorsus sub Enocho filio Sethi, per sex generationes prophetandi munus continuauit, vsque ad aquarum inundationem; quo anno Methusalem illus auus mortuus est. Post cuius obitum, submersionemque totius mundi, Ecclesiam rexit 350. annos, eandemque administrationem è vita excedens ad Semum primogenitum filium (qui in arca vnà cum patre ab aquis seruatus est) cum promissione & benedictione traiecit.

e Gene. 4.

f 2. Pet. 2.

Sem pacis & promissionis sanctionẽ, Sacerdotis & Regis dignitatem à patre traditam accipiens, Ecclesiam gubernauit 350. annos sub patre; illo sublato, 152. annos, ad vsque Abrahami mortem, Isaaci cœcitatem, & Iacobi ætatis annum 50. Cuius si diuturnitatem, primogenituram, & in hęreditanda promissione beatitudinem spectemus, meritò videri possit esse Mechisedecus ille Rex Salem, in Canaan, qui redeuntem Abrahamum à cæde Regum fausta precatione prosequutus est. Nam sine dubio, [g] *maior est ille qui benedicit, quàm cui benedicitur*. Maior autem Abrahamo nemo esse potuit,

g Heb. 7. De Melchisedec. vide diuersas opiniones in Hiero. Epist. ad Euagrium Tomo. 3. folio 38.

potuit, nisi qui promissiones Abrahamo factas prior possedisset. Noha enim decessit 13. annos antequam Abrahamus in terram Canaan commigrauit; Semus etiam circiter decem ante Abrahamum generationes, eadem promissa, quæ Abrahamo postea sunt data, hæreditate accepit. Quo viuo, (vixit autem post Abrahami mortẽ) nemo ex ea familia nec in Sacerdotio, nec in Regno potuit eum antecellere, nedum extraneus aliquis hanc illi dignitatem eripere, aut vllo eum modo exæquare.

Primùm in illius domo Ecclesia Dei permansit, eumque tanto honore dignatus est Deus, vt [h] *Semi Deus*, quemadmodum postea *Abrahami*, appellari voluerit. Illius tabernaculum iustitia fidei, & pace cœlesti abundauit, adeò vt Noha, Spiritu reuelante, hoc ipsum præsentiens Deum obsecrauerit, vt Iapheto natorum minimo persuaderet [*] *in Semi tentoriis habitare*. Deinde in illius stirpe seminis illius benedicti promissio, quæ vnica causa magnitudinis & fœlicitatis Abrahami fuit, continebatur; idque 360. annos, antequam Abrahamo data est; quæ à Semo per paternam illam benedictionem ad Abraham, vt à patre ad filium, est deriuata. Tertiò in illius persona residebat illa primogenituræ prærogatiua, vt esset fratrum suorum tam in pietate quàm in politeia dominus, & in Ecclesia Dei vt Rex & Sacerdos emineret. Quartò tanta fuit eius vitæ longitudo, vt æternitatem veri Melchisedeci perspicuè repræsentaret, qui primogenitus inter fratres Rex & Sacerdos super omnes filios Dei iureiurando constitutus est in æternum. Nam ex arca prodiens, tanquam ex altero mundo, & superstes post diluuium ad [i] 500. *vsque annos*, 12. demum generatione sine patris, matris, aut cognationis aliqua mentione inducitur, vt Abrahæ benedicat, & ea benedictione confirmet, quem Deus antè fecerat, promissionis hæredem; quum ism Abraham aut Abrahæ posteritas de initio illius vitæ, vel fine nihil potuit cognoscere. *Postremò* successorem reliquit neminem, propterea quòd Abrahamo ([k] *è patria, domo, & cognatione sua*) euocato, vt post Semum promissionis hæres esset; Isaaco etiam & Iacobo ad patris exemplum in terra Canaan

h Gene. 9.

* Ibid.

i Gene. 11.

k Gene. 12.

naan errantibus, Sem intereà viuus, iure primogenituræ Rex & Sacerdos in Shalem, id est, in Ecclesia Dei principatū gerebat. Deinceps verò sēper filij Iacob in terra aliena vel peregrini vel serui fuerūt, donec inter eos ex Ægypto iā liberatos, honorū prærogatiuæ, quæ in persona Semi coniunctæ fuerant, diuiderentur; ita videlicet vt semen & sceptrum Iudæ, [l] *ius primogenituræ Iosepho* (perinde ac Iacob [m] *moriens* legando prædixerat, & prędicendo legauerat:) Sacerdotium verò filijs Leui relinqueretur, quæ nunquam in quoquam posteà coniungebantur, nisi in illo vnico & æterno Melchisedechi successore, Iesu Christo. In eius autem persona, non solùm *primogenituræ* claritas, *Regni* dignitas, & *Sacerdotij* firmitas, sed etiam promissionis veritas vno quasi vinculo in æternum sunt colligatæ, quarum figuræ rerum non in alio quopiam quàm Semo, proximè præcesserunt, qui ordinem Aaronis, quippe à Regno, primogenitura, & promissi seminis traduce separatum longè, multumque superabat.

l 1.Chro.5.
m Gene.49.

Quisquis Melchisedechus fuit, hoc certè fuit regimen Ecclesię, quādiu Sem viuebat, quod in Melchisedechi persona ostēdebatur, nēpe vt pater liberos, primogenitus fratres regeret & gubernaret, idq; tā in Reipub. quàm religionis procuratione; quæ prærogatiua primogeniti, vt Rex & Sacerdotes esset in paterna domo, quoddā quasi exemplū fuit illius dignitatis, quam in Christo nos omnes adepti sumus, [n] *Vt simus genus electum, regale Sacerdotium, populus Domini peculiaris, quò virtutes illius prædicemus qui nos ex tenebris vocauit in admirabilem suam lucem.*

n 1 Pet.2.

Ab Iacobo adusque Mosen, adauctus quidem est numerus filiorum Dei, Ecclesiæ tamen administratio obscurata fuit, illudque Regium Sacerdotium desijt, tam ipsius Iacobi continua peregrinatione, quàm seminis eius ab Ægyptijs oppressi perpetua seruitute, donec miseratus eos Dominus ab illa tyrannide per Mosem eos vindicauit. Interea temporis Ecclesia gubernata est, primùm ab ipso Iacobo, postea à Iosepho, deinceps à principibus patrum, & primarijs tribuum, Iuda dignitatem summam semper obtinente, secundùm illud patris sui vaticinium, [o] *Incuruabunt tibi sese filij patris tui.* Atque ita ab Adamo ad Mosen, superiorem

o Gene.49.

quandam potestatem patris in filios, primogeniti in fratres reliquamque familiam, in Ecclesiæ gubernatione; continua serie decurrentem habemus, eamque à Deo & stabilitam & approbatam; æqualitatis autem vel orbiculati regiminis, nec præceptum, nec exemplum vllum potest reperiri.

CAP. II.

De Leuitica & Nationali gubernatione Ecclesiæ sub Lege.

CVm diuinæ clementiæ visum est, veram sui cognitionem, cultumque vniuersæ Iacobi propagini cõmunicare, & ex Ægypto populum electum ac peculiarem sibi asserere, tribum Leui à reliquis familijs seiunctam sibi consecrauit, vt coram Arca in hostijs sacrisque ceremonijs ab ipso Deo præscriptis ministraret, & fratres suos iudicia & testimonia diuina doceret. Ecclesia enim per totam illam nationem iam disseminata, domestica illa disciplina, quæ legem præcessit, est abrogata, vtpote familiæ magis quàm regno & regioni conueniens; ac idcirco ex duodecim tribuum numero delecta est vna, quæ Sacerdotio fungeretur, & sacrarum rerum omnium curam susciperet. In qua tribu iuxta Principum numerum ac ordinem patre Leui prognatorum Deus diuersos gradus & dignitates cõstituit, quæ diuinæ legis interpretationi vacarent, & altaris ministerio deseruirent, quos gradus ita temperauit, vt non modò Leuitæ Sacerdotibus subessent, sed etiam vt Leuitarum itemque Sacerdotum alij alijs subiecti parerent.

Prima fuit distinctio Sacerdotum, nempe Aaronis & filiorum eius supra totam reliquam tribum Leuiticam, quibus interdictum erat visu tactuque sacrarum rerum ad Sacerdotum curam pertinentium, ac etiam mandatum, vt Sacerdotibus subessent, & ad eorum arbitrium & nutum omnia Sanctuarij munia peragerent & sustinerent.[b] *Iube appropinquare tribum Leui, & sistito eam coram Aarone Sacerdote*

b Num. 3. v. 6.

dote vt ministret ei. Et illud, [c] *Dato Aaroni & filijs eius Leuitas, donando donati sunt ei, è filijs Israelis.* [d] *Aaronem autem & filios eius præficito, vt Sacerdotium gerant, quod ipsorum est. Nam quicunque extraneus accesserit, morte morietur.* Cùm verò familiæ Leuiticæ à tribus Leui filijs Gerson, Kohath, & Merari descendentes, quibusdam peculiaribus officijs in tabernaculi ministerio assignatæ essent, omnibus tamen iunctum est, vt Sacerdotibus, filijs Aaronis obsequerentur, & ad eorum præscriptum & mandatum operas darent. [e] *Ex ore* (id est, ex præstituto) *Aaronis & filiorum eius, esto ministerium totum filiorum Gerson, in toto onere, & in toto ministerio eorum*; ita etiam de filijs Kohath præcipitur, [f] *Veniant Aaron & filij eius, & collocent eos* (nempe Kohathitas) *quemque in ministerio & opere suo.* Similiter de filijs Merari: [g] *Ministerium filiorum Merari, & omne opus eorum, in tentorio tabernaculi erit, sub manu* (id est iussu & mandato) *Ithamaris Sacerdotis, filij Aaronis.* Quinimò Leuitæ neque tangere neque cernere poterant res sacras, Sacerdotum curæ fideique mandatas. [h] *Cum Aaron & filij eius finem fecerint contegendi sanctuarium & omnia instrumenta sanctuarij, castris iam profecturis accedent filij Kohath ad deportandum ea, sed non attingent vllam rem sanctam ne moriantur. Et* [i] *non veniant vt inspiciant, cum inuoluitur sanctuarium, nè fortè moriantur.*

c Ver. 9.
d Ver. 10.
caath
e Num 4. 27.
f Ver. 19.
g Ver. 33.
h Ver. 15.
i Ver. 20.

Hæc eminentia Sacerdotum supra Leuitas, sæpiùs Dei ipsius voce iteratur, & huius ordinis perturbatio, formidoloso illo, & horrendo terræ hiatu, quo absorpti sunt confœderati cum Corah filio Kohath, vindicata est, cùm [k] terra dehiscens eos vnà cum vxoribus, filijs, & familia vniuersa, ac etiam ipsis tentorijs absorbuit, igne cælitus demisso, qui Corahum cum socijs consumeret, quòd Sacerdotis munus in suffitu faciendo vsurpassent. Honorem enim illum spreuit, in quo Deus ipsum cum reliquis Leuitis posuisset, quasi pro [l] nihilo putaret in inferiori gradu Domino ministrare, cuius ambitionis [m] expetitique sacerdotij dignas pœnas luit.

k Numer. 16. v. 32.
l Ver. 9.
m Ver. 10.

Inter ipsos Leuitas tres ab ipso Deo nominati sunt Principes, qui velut primaria capita reliquis omnibus præessent. Ex singulis familijs singuli; [n] Eliasaph ex Gershonitis, [o] Elizaphan

n Num. 3. v. 24.
o Ver. 30.

p Ver. 35. zaphan ex Kohathitis, p Zuriel ex Meraritis. Post hosce alij Patres constituti sunt, quj fratres suos Leuitas in omni
q 1. Chro. 23. 24. 25. 26. ministerio & officio dirigerent, quemadmodum in q Chronicorum libris manifestè perspicitur, cum à Dauide Rege in diuersos ordines ad varia ministeria per sortes distributi sunt. Neque solùm in sacro ministerio alij sunt alijs prælati,
r 1. Chro 26. v. 29. 30. sed quidam ex eis r *Iudices & Magistratus* designabantur, tam in suis ciuitatibus quàm alibi, non in opere solùm Domini, sed etiam in negotio Regis. Præterea quidam in magno il-
s 2 Chro. 19. lo Synedrio Hierosolymitano assidebant, s Sacerdotibus & Principibus tribuum operam impendentes.

Iam verò inter Sacerdotes ipsos varij fuerunt ordines. Prima & præcipua dignitas ad summum Sacerdotem spe-
t Nu. 3. v. 32 u 2. Chro. 19. ctabat, qui diuina institutione t *Princeps erat Principum Leui*, & ipsis summis Iudicibus in Hierusalē u præfuit, tam Sacerdotibus quàm reliquis, *in omnibus negotijs Domini*. Qui honor illi est habitus, non quòd typum Christi gessit, sed quòd eam rationem ad regendam Iudæorum Ecclesiam aptissimam Deus iudicauit. Aaronis dignitas, qua proximè ad Deum accedebat, & intra velum solus ad Sancta sanctorum pergebat, Christi personam adumbrabat; sed neque
c Aaron, neque illius ordinis quisquam iudiciariam & Regi-
c am Christi potestatem repræsentabat. Alioqui Christus tam
c iuxta ritum Aaronis, quàm secundùm ordinem Melchisede-
c chi Sacerdos fuisset, si Aaron æquè ac Melchisedec & Regis & Sacerdotis dignitatem habuisset. Verùm absque vlla controuersia sceptrum non tribui Leui, sed Iudæ datum est. Quamobrē summus Sacerdos sua iudiciali authoritate Regium Christi munus & solium non potuit exprimere. Id quod etiam hac ratione doceri potest. Aliam rationem summus Iudæorum Sacerdos administrandi sui muneris, aliam Christus sequutus est. Ille 70. seniores ex Mosis præscripto in Conciliū adhibuit, hic socium habet neminem: ille omnes causas ancipites & difficiles ab inferioribus Iudicibus appellatione ad se deuolutas recepit; ad Christi tribunal omniū omnia dicta, facta, cogitata *primò & propriè* pertinēt: ille superiorē agnouit, nempè Legislatorem ex tribu Iudæ,

qui

qui deuium Sacerdotem reuocare & insolentem reprimere potuit: hic ab omni subiectione liber Reges ipsos & Sacerdotes omnes summo imperio continet. Quocirca authoritas illa Sacerdotis in iure dicundo ac legis sententia declaranda, nullo pacto supremam illam potestatem, qua Christus Ecclesiam regit, & viuos simul ac mortuos iudicaturus est, præfigurauit. Regimen itaque & politeia solùm erat ad ordinem & disciplinam in Ecclesia Israelitica pro temporis ratione retinendam. Quod ex graduum aliorum cum illa summi Sacerdotis dignitate cohærentium, & ex ea dependentium facilè liquet.

Summo sacerdoti (qui semper ex Eleazaris ac [x] Phineæ stirpe ortum habere debuit) adiunctus est alius tanquam illi secundus, ex Ithamaris alterius Aaronis filij progenie: huic autem secundario subiecti sunt [y] Gershonitæ & [z] Meraritæ duæ Leuitarum familiæ, vt ad illius nutum omne suum ministerium in tabernaculo obirent. Hij ambo coniunguntur in Sacerdotalis officij functione, & sæpè simul numerantur tanquam capita cæterorum, & [a] *principes sanctuarij, ac principes Dei* appellantur: quamuis Eleazaris filius in summo Sacerdotio præcelleret, Ithamaris autem illi secundus existeret.

x Num.25.
y Num.4. ver.28.
z Ver.33.
a 1.Chron.24. ver.5.

Ab hijs duabus quasi radicibus exorti sunt illi [b] 24. qui Capita nuncupantur & patres Sacerdotum, inter quos sortes ex sententia Dauidis iactæ sunt, vt ministerio domus Dei per vices quique suas inseruirent, & vt isti duobus illis Principibus obtemperabant: ita [c] sibi subiectos habebant alios, tum Sacerdotes tum Leuitas, quibus mandata darent, & quorum opera vterentur in procuratione totius sacri ministerij, dum ipsorum vices essent obeundæ. Hij (quamuis eorum numerus non ita semper constabat propter frequentiam exiliorum & familiarum interitum) in veteri Testamento [d] patres & capita Sacerdotum vocantur, & passim in nouo [e] ἀρχιερεῖς, id est, principes Sacerdotum, aut præcipui Sacerdotes.

b 1.Chron.24
c Nehem.12.
d Nehem.12.
e Mat.2.v.16. Mar.11.v.14. Luc.9.v.20.22

Atque vt in templo & cultu diuino diuersi ordines & gradus Sacerdotum erant & Leuitarum, dum alij iuberent, alij

alij parerent: ita in iure dicundo & legibus administrandis, quidam vtriusuis ordinis tam Sacerdotes quàm Leuitæ, non
f Iosh 21. solùm [f] *iudices & præfecti* in suis ciuitatibus, quæ eis ad numerum
g Chron.26. [g] 48. assignatæ sunt, creabantur; sed etiam in aliarum tribuum vrbibus eundem magistratum gerebant. Quinimò multæ grauioris momenti causæ aut solis Sacerdotibus, aut ijs præcipuè reseruatæ sunt, vt [h] lepræ, [i] zelotypiæ, [k] occulti
h Leuit.13. homicidij, [l] testimonij falsi, & similium: quibus in rebus &
i Num.5. populus & magistratus Sacerdotum sententiam consulere
k Deut.21 & & expectare tenebantur. [m] *Sacerdotes filij Leui accedent euocati*
l 19. (scilicet ex ciuitatibus, quas in quaque tribu incolebant) *&*
m Deut.21. *iuxta eorum verbum omnis lis & plaga definietur.*

Semper meminisse debemus causas dubias & graues ad maximum illud & amplissimum Synedrion referendas fuisse, quod ex primarijs Sacerdotibus & Iudicibus conflatum, eo in loco residebat, vbi Arca fœderis iubente Domino permanebat. [n] *Si difficilis tibi res obuenerit in iudicio, inter eadem & eadem, inter litem & litem, aut inter plagam & plagam; de rebus controuersis intra portas tuas, tunc surgens ascendito ad locum, quem elegerit Iehoua Deus tuus: Et adito sacerdotes Leuiticos, & Iudicem summum, qui erit in diebus illis, quos vbi consulueris, indicabunt tibi statum illius iudicij. Tum facito secundùm præstitutum illius sententia, quã indicauerint tibi in loco illo quem elegerit Iehoua, & obserua vt facias secundùm omnia, quæ docuerint te. Ex præscripto Legis quam docuerint te, & secundum iudiciũ illud quod dixerint tibi facito, ne recedito ab ea sententia, quã te docuerint, vel ad dexterã vel ad sinistrã. Vir autẽ ille qui fecerit superbè, vt non auscultet Sacerdoti, qui ministrat Domino Deo tuo, aut summo Iudici, morte morietur vir ille, & tollito malum illud ex Israele.* Senatus iste Ieruſolymitanus tempore Regis Iehosophati (legis Mosaicæ minimè negligentis, quin potiùs
* 2.Chron.19 retinentissimi) constabat * *ex Leuitis, Sacerdotibus, & Capitibus familiarum Israelitarum, Amariamq; summum Sacerdotem principem inter eos habebat in omni negotio Iehouæ, & Zebadiam primarium domus Iehudæ principem in omni negotio Regis*; nec aliud erat quàm continuatio illius magni Concilij ex 70 senioribus, quos Mosi Deus adiunxerat, vt totius multitudi-

nis

nis oneri ferendo P par esset. P Num. 12.

Ab hijs diuersis gradibus Sacerdotum & Leuitarum sub lege Mosis nulla forsan necessaria consequentia trahi possit ad eandem politeian in Ecclesia Christi statuendam. Primùm, quòd tribus Leuitica neque alterius tribus regimini fuit subiecta, neque sine manifesta ἀπαξία omni gubernatione carere potuit. Quamobrem vt cæteræ omnes, ita hæc quoque suos proprios magistratus habuit; videlicet, principem, seniores, iudices, præfectos, chiliarchas, centuriones, quinquagenarios, decuriones, qui mos illius Reipub. fuit. Secundò iurisprudentia Iudæorum Mosaicis libris comprehensa Reipub. gerendę normam continebat. Quamobrem magna ratione Sacerdotes & Leuitæ tanquam illius scientiæ peritissimi, quippe quorum studium in meditatione Legis præcipuè viguit, in eisdem cum iudicibus subsellijs sunt collocati. Aliter se habent Respublicę Christianorum. Nullius enim ciuilis administrationis formam in Euangelijs expressam legimus, vtpotè quæ Christianorum magistratuum prudentiæ legibusque municipalibus est permissa, dummodo nihil statuatur, quod cum pietatis ac charitatis regula pugnet, aut æquo & bono aduersetur. Ministros igitur verbi Dei tanquam iuris ciuilis arbitros ac disceptatores in iudicijs sedere nihil est opus, nec eundem sub Euangelio locum sibi possunt vendicare, quem veteres sub Mose Sacerdotes tenuerunt. Tertiò hæc illis tributa est dignitas in suis familijs hæreditario iure, & primogenituræ respectu. Pater dum vixit, totius familiæ suæ moderator & princeps extitit. Hanc prærogatiuam è vita decedens filio primogenito reliquit; quam rem in Christi Ecclesia nemo dixerit imitandam. Et quanquam iustis de causis pater hac prerogatiua maximum natu priuare potuit, & alium in eius locum substituere, vt de Shimri ex familia Merari legimus, q *quamuis non esset primogenitus, à patre tamen principem familiæ constitutum fuisse*; mos tamen & ius aliud ferebant, nec r *affectibus* patrijs erat indultum, vt sine causa iusta quidem, & satis magna primogeniti prærogatiuam *commutarent*. Quartò ministeria sanctuarij, & sacrificiorum ritus ac cere-

q 1. Chron. 26 ver. 10.

r Deut. 21.

mo-

moniæ, à quibus reliquæ tribus præter Leuiticam omnes arcebantur, non vnius generis erant; vt mirum videri non possit diuersos ministrantium gradus pro diuersitate officiorum ac ministeriorum distingui: quamuis vel in postremis Domino inseruire semper honorificum fuerit. Ast in Ecclesia Christi verbum & sacramenta Pastoribus omnibus nullo *discrimine concredita, vt vniusmodi sunt, nec vllam habent administrationis celebrationisve differentiam; ita nec discrepantes Ministrorum gradus postulant.*

Verùm enimuerò propter εὐταξίαν conseruandam, vt Pastores ac duces gregis Dominici in officio contineantur, ne vocatione tanta vel propter morum turpitudinem, vel contagium & fermentum falsæ doctrinæ reperiantur indigni: Dei sapientia in politeia Leuitica relucens, qua alij alijs præsunt, idque tum in ceremoniali tum in iudiciali parte Mosaicæ legis administranda. non est temerè repudianda, aut parui ducenda. Si enim in omni hominum societate benè constituta valdè sit ordo necessarius, si ἀταξία, cuius nunquam Deus author esse velit, omni studio vitanda sit, præstantius aut perfectius exemplar Ecclesiæ regendæ nec quærere debemus, nec reperire possumus, (quatenus tempus, locus, personarúmque conditio finit) quàm quod in Ecclesia & Republica Iudæorum ab ipso Deo probatur & confirmatur. Et quanquam certa ratio illius regiminis nobis non sit cognita, neque eam ex omni parte imitari cogimur ob multas & varias illius Reipublicæ, & Ecclesiæ Christi per omnes nationes longè latéque diffusæ differentias; hoc tamen certò constat, Deum illam Ecclesiam ab omnibus Sacerdotibus Leuitisque æquali & pari inter se authoritatis gradu præditis noluisse regi, sed alijs alios subiecisse tum in ministerio sacro, tum in politeia ciuili; neque omnes promiscuè qui præsentes adesse aut potuerunt, aut voluerunt, in magno illo 70 principum Synedrio consedisse, sed eos tantùm qui propter [r] virtutem & nobilitatem in eum cœtum allegebantur. Quocirca Leuitica Mosis disciplina clarissimè probat Ecclesiæ gubernationem ex disparibus ministrorum ordinibus & gradibus constantem sapientiæ Dei in suo verbo re-

[r] Num.11. Deut.1.

reuelatæ magis conuenire, quàm quæ omnibus æquè Paſtoribus vnam & eandem tribuat authoritatem.

CAP. III.

De perpetuo Chriſti incarnati regno, quod ipſius perſonæ proprium ac peculiare exiſtit.

EXternam Eccleſiæ gubernationem, quamdiu in hijs terris viuebat, vitauit Dominus, alijſque permiſit, quippe non tam Filio Dei quàm hominibus mortalibus accommodatam. Sine controuerſia iam tum, quum hìc verſaretur, [a] *lapis angularis erat, electus, pretioſus*, ab ipſo Deo in Sione poſitus, [b] *Paſtorum princeps* ſuper gregem vniuerſum, [c] *Sacerdos magnus præfectus domui Dei*; de quo Prophetæ cecinerunt [d] *ipſius humeris principatum geſtandum, eumq́; in ſolio Dauidis ſeſſurum, vt illud ſtabiliret iudicio & iuſtitia in ſæcula*. Iam tum erat, vti nunc eſt, [e] *caput Eccleſiæ ſuæ*, verè [f] *caput omnis principatus ac poteſtatis*, qui diſcipulos ſuos allocutus; [g] *Vos* (inquit) *magiſtrum me vocatis & Dominum, rectèq́; dicitis, ſum etenim*. Quem cum Deus vtpote primogenitum in orbem introduceret, iubet vt [h] *adorent eum omnes Angeli Dei*, quanto magis vt omnes homines ad illius pedes ſe proijcerent, honorem illi deferentes & debitam venerationem? Tamen talis ac tantus, tam admirabilis patientiæ ac humilitatis extitit, cùm primùm carnem noſtram aſſumeret, vt [i] *arundinem quaſſatam non confringeret, nec linum fumigans extingueret, nec audiuit quiſquam in plateis vocem eius*; quippe [k] *qui venit vt miniſtraret, non vt ei miniſtraretur, daretq́; animam ſuam redemptionem pro multis*; nec miſſus eſt eo tempore [l] *vt iudicaret mundum, ſed vt mundus per eum ſeruaretur*. Omnis itaque poteſtas illi etiam-dum inter homines verſanti data eſt tum in cœlis tum in terris, tametſi eam nec patefecit, nec vendicauit, donec à mortuis reſurgeret. In diebus carnis ſuæ non modò *Propheta* fuit, qui doceret ac erudiret; nec *Sacerdos* ſolùm, qui expiaret ac mundaret Eccleſiam, ſed *Rex* ac *Princeps* etiam, qui ſuos regeret & gubernaret. Quia tamen [m] *regnum illius de hoc mundo non erat*,

a 1. Pet. 2.
b 1. Pet. 5.
c Heb. 3.
d Eſai. 9.
e Epheſ. 5.
f Coloſſ. 2.
g Ioh. 13.
h Heb. 1.
i Matth. 12.
k Matth. 20.
l Ioh. 3.
m Ioh. 18.

erat, idcirco non præsentia corporis, vt homo; sed potentia ac maiestate Spiritus, vt Dei Filius in Ecclesia regnare voluit. Hoc sceptrum igitur, hoc solium vnius Christi proprium, dici non potest, quanto interuallo superet externam rerum Ecclesiasticarum gubernationem, quam alijs credidit.

Ad hoc spirituale verúmque Christi regnum pertinet multiformis illa sapientia, prouidentia, misericordia Dei in electorum salute patefacta: omnis, inquam, illa potentia, gratia, gloria quam suis Sanctis in hac vita impertit, aut illis apud se recondit in futurũ. Ab isto enim Rege, ab illius gratia & magnificentia fluit, quicquid donorum Spiritus sancti possidemus: si quam de diuinis promissis fiduciam habemus, si quam de futuris bonis spem concipimus, huius regni sunt effectus.

Ab inuicta illius potentia in cœlesti iam maiestate & gloria regnantis proficiscitur perpetua illa defensio & liberatio, quam in rebus aduersis experimur. Extentum etiam Dei brachium manifestè cernimus in hostibus nostris coercendis, profligandis, vindicandis, quorum fastum & furorem ita regit ac moderatur, vt ad Sanctorum tentationem solùm, ad suam ipsorum verò perniciem ferantur perpetuam.

Ab illius magnificentissima liberalitate omnes illæ gratiæ, dona, charismata Spiritus scaturiunt, quibus tum Ecclesia, tum singula ipsius membra ditantur. Hinc mentis illustratio, cordis emollitio, cupiditatum restinctio: hinc quòd in fide roboramur, quòd spe sustentamur, quòd in charitate firmas agimus radices; hinc amor veritatis, obedientia ipsius voluntatis, & virtutum eius imitatio, qui nos ex tenebris vocauit in admirabilem suam lucem. [n] *Quid enim habemus quod non accepimus?* Et à quo est [o] *omne donum optimum & perfectum*, nisi ab illo *Patre luminum?* & per quem, nisi per eum, [p] *ex cuius plenitudine nos omnes accepimus?*

n 1.Cor.4.
o Iac.1.
p Ioh.1.

Constantia denique & certitudo illius promissorum pacem, lætitiam, & consolationem Spiritus sancti profundit; qua nostra corda mulcentur & confirmantur in diem vsque Christi. Illam similiter immortalitatis & iustitiæ coronam seruat omnibus aduentum eius diligentibus: ac tum reddet,

cum

cum nubibus aduectus æternam gloriam filijs Dei daturus est. q *Nam oportet eum regnare, donec omnes hostes illius pedibus subdantur:* dumque Sanctorum numerus, qui adhuc deest, expleatur. Iudicium illud postremum vniuersæ carni secundùm opera mercedem retribuens, & in omnem æternitatem sine retractatione aut immutatione perdurans, extremus erit actus huius regni, quod *Deo Patri* tum demum Christus *restituet*, cum suos omnes immortali gloria donauerit, & hostes ob perfidiam & cætera flagitia perpetuis suppliciis adiudicauerit. q 1. Cor. 15.

Hoc est verum Christi regnum, atque hac arcana, *efficaci, spirituali,* & cœlesti ratione regit, & reget Ecclesiam suam, singulaque ipsius membra, r *donec omnes inimici conculcentur.* Iudicio illo postremo peracto: peccato, morte, inferno, vt iam olim in sua persona, ita tum in omnibus membris suis penitus debellato, cessabit quidem administratio istius regni: fruitio tamen & possessio cum mirifica quadam suauitate & fœlicitate coniuncta, quam nec fando nec cogitando assequi possumus, nunquam terminabitur. r Psal. 110.

Ex hijs quæ dicta sunt perspicuè cernitur, huius regni vim & honorem ita proprium & peculiarem esse vnico Dei Filio, vt nemo omnium mortalium sine aperta blasphemia huius dignitatis vel minimam partem sibi possit assumere, aut in huius regni administratione se procuratorem & vicarium profiteri. s *Quàm sunt enim huius Regis inscrutabilia iudicia? quàm imperuestigabiles viæ? Quis sensum eius cognouit, aut illi à consilijs fuit?* t *Non est eneruata manus Domini, vt redimere non queat.* u *Stultitia Dei sapientior, & infirmitas Dei fortior est, quàm sunt homines.* Quamobrem in Regni sui mole sustinenda Filius Dei nec participem, nec adiutorem, nec consiliarium, nec conscium pati potest. s Rom. 11. t Esa. 59. u 1. Cor. 1.

Externa species Ecclesiæ, vbi boni cum improbis per verbum & sacramenta congregantur & commiscentur, regnum cœlorum aliquoties appellatur: magna tamen opus est prudentia, vt etiam in verbo & sacramentis immensa Dei potentia ab hominum opera, & ministerio distinguatur. Euangelium, quod nobis salutem fert, x *atramento non exaratur,* x 2. Cor. 3.

sed

ſed Spiritu Dei viuentis: neque in tabulis lapideis, ſed in carneis tabulis cordis. Semen quidem ſcienter & accuratè ſpargi poteſt, ſed neque radicem aget, neque fructum feret, niſi ſolum priùs à Domino ſubigatur & præparetur. Sumus quidem *Dei cooperarij* in eius agro excolendo, ſed [y] *neque qui plantat, eſt aliquid: neque qui rigat: ſed qui dat incrementum Deus.* Circumciſio [z] *ſigillum fuit iuſtitiæ fidei*, ſed tum demum valuit, cum non in carne, ſed in corde: [a] *non in litera, ſed in ſpiritu fieret: cuius laus non ab hominibus, ſed à Deo.* Qui docet, [b] *odor eſt mortis ad mortem:* donec Deus illuſtret mentem, & cor aperiat. Et Chriſtus crucifixus, etiam cum prędicatur, [c] *ſcandalum eſt Iudæis, Græcis autem ſtultitia*, vſque dum det Deus pœnitentiam & fidei obedientiam, vt credant homines & ſeruentur. Denique ſacramenta mortua ſunt in manibus noſtris elementa: verbum ipſum, vt ab ore noſtro fluit, eſt ſonitus inanis, niſi accedat [d] *Spiritus, qui vitam præſtet*. In hijs vtriſque Spiritus ſancti inſtrumentis facile eſt internam virtutem ab externis elementis diſcernere, & hominum miniſteria ab illis actionibus internoſcere, quas Spiritus ſanctus efficit in cordibus hominum, quibus ſpirituale Chriſti ſceptrum ac ſolium præcipuè continentur.

y 1.Cor.3.

z Rom.4.

a Rom.2.

b 2.Cor.2.

c 1.Cor.1.

d 2.Cor.3.

Quorundam noſtræ ætatis pręceps & inconſultus feruor (qui presbyteria ſua cœleſtis ſceptri, ac ſolij inſignibus depinxerunt, tragicè vociferantes Filium Dei maxima regni ſui parte fraudari, vbicunque Laici quidam Presbyteri Paſtoribus in ſingulis parœciis non aſſocientur, vt vnà cum illis omnem Eccleſiaſticam iuriſdictionem exerceant) facit, vt in externa Eccleſiæ diſciplina ſeparanda diutius hęreamus, donec eam ab interno illo & vero Chriſti regno diligenter & exquiſitè ſeiunxerimus. Necdum diſputamus vtrùm huiuſmodi Presbyteri in Eccleſia Dei vnquam auditi ſint, necne? (illud enim alterius loci & diſquiſitionis erit) ſed fingamus, tantiſper dum eò peruenerimus, tales ab Apoſtolis in Eccleſia ordinatos & conſtitutos, & ad finem vſque mundi permanſuros; hoc tamen euicimus, eorum tribunalia ad Chriſti regnum ſpirituale & cœleſte omnino nihil pertinere, propterea quòd illud ipſius maieſtati proprium eſt, & alias omnes

guber-

gubernationes infinitis partibus superet, quarum nec præsidia nec beneficia cum huius regni viribus & fructibus amplissimis & potentissimis sunt vllo modo conferenda.

Neque interim negamus Deum sapientissimum multa gubernationum genera in terris sanxisse; scilicèt in Ecclesiasticis Pastorem, in domesticis patremfamilias, & vtroque superiorem in Repub. Principem; & quicquid ab eorum aliquo, quos Deus nobis præposuit, vt tranquillam, honestam, & Christianam vitam degamus, secundùm Dei verbum, & illorum cuiusque vocationem imperatur, id ad ipso Deo ratum in cœlis haberi, qui præstitam illis obedientiam remunerabit, & omnem contumaciam debita pœna persequetur. Tamen neque Princeps, neque Pastor, neque quisquam paterfamilias cor hominis scrutari, aut immutare, multò minùs cœlesti viuificaque gratia animare, aut æternæ gloriæ fiducia roborare potest. Moderãtur illi quidem actiones externas, quas quisque versutus facilè fingit, & in omnẽ partem versat; vlteriùs nec vident, nec iudicant: nihil illis negotij est cum tacitis animi affectibus, nihil cum varijs Spiritus sancti donis, nihil cum solida futuræ gloriæ spe: Hæc semper ad Christi regnum pertinent, [e] *Qui operatur omnia ex beneplacito voluntatis suæ ad laudem gloriæ gratiæ suæ.* e Ephes. 1.

Cum itaque Rex ille [f] *collocatus sit ad dexteram maiestatis in cœlis longè supra omne imperium, & potestatem, & potentiam, & dominationem, & omne nomen quod nominatur, non solùm in hoc sæculo, verùm etiam in futuro; Cumq; omnia illius pedibus subiecta sint, ipseq; constitutus sit caput super omnia ipsi Ecclesiæ, quæ est corpus ipsius, & complementum eius qui implet omnia in omnibus:* & quotidiè è cœlis demonstrat, [g] *Quæ sint opes gloriosæ hæreditatis ipsius in sanctis, & quæ sit excellens illa magnitudo potentiæ ipsius in nobis qui credimus, illuminãdo oculos mentis nostræ, & obsignando nos Spiritu promissionis sancto, qui est arrhabo hæreditatis nostræ, dum in plenam vindicemur libertatem ad laudem gloriæ ipsius:* Hæc, inquam, cum ita se habeant, etsi vigiles & Pastores gregis Dominici necessariam pariter & fructuosam nauent operam Ecclesiæ Dei, ipsorumque fidei claues & mysteria regni Dei sint concredita: tamen nul- f Ephes. 1. g Ibid.

lam huius honoris aut potentiæ partem sibi datam arrogent, sed nudum tantummodò ministerium, & functionem quandam externam sibi datam agnoscant, omnem illam gloriam Filio Dei relinquentes intactam & illibatam: minimè verò omnium debemus ista, nescio quæ, consistoria, nec acta, & decreta commentitij cuiusdam presbyterij tanti æstimare, vt pro dimidiata parte iustissimi & glorioſissimi regni Christi censeantur.

CAP. IIII.

De Synedrica iurisdictione, quam quidam à Seruatore restitutam esse & Ecclesiæ suæ commendatam censent.

DIuinam vim & cœlestem gratiam spiritualis regni sui Christo soli vendicamus, neque tamen dubium nobis est procurationem & moderationem externarum rerum, & actionum, quæ pacem, ordinem, & decentiam Ecclesiæ spectant, illis esse delegatam, quos gregis sui ductores, & œconomos domus suæ Dominus esse voluit. De hijs autem quinam fuerint, quíve esse debeant, existit hoc tempore quæstio subdifficilis Sunt qui opinentur Christum Synedrion Iudaicum in Ecclesiam reuexisse suam, vnaque cum illo Seniores Laicos, qui eam administrarent. Huius autem opinionis suæ firmamentum hoc statuunt. a *Si peccauerit in te frater tuus, abi, corripe eum inter te & ipsum solùm. Si audierit te, lucratus es fratrem tuum. Si te non audierit, adhibe adhuc tecum vnum testem aut duos, vt in ore duorum aut triũ testium omne verbum confirmetur. Quòd si illos non audierit, dic Ecclesiæ: Ecclesiam si autem non audierit, esto tibi tanquam Ethnicus & publicanus* Hinc ita colligunt: Primùm Seruatorem nostrum cum Iudæis hoc loco loquutum esse. Nullam enim gentem præter Iudæos à publicanorum, & Ethnicorum commercio ac conuictu abhorruisse. Secundò nullam hìc nouam, & inusitatam iudicij formam erigi, sed potiùs morem & consuetudinem gentis illius approba-

a Mat.18.

ri

ri, vt lites & controuersiæ coram Iudicibus cuiusque loci disceptarentur. Nota enim est illius nationis politeia, nempe quosdam delectos Seniores in quaque ciuitate controuersias fratrum ad se delatas decidisse, nisi si forsan lis anceps & inuoluta propter suam difficultatẽ ad magnum Synedrion Hierosolymitanum esset transmittenda.

Hactenus inter nos & illos haud malè sanè conuenit. Sed eandem iudiciorum formam Seruatorem nostrum in Ecclesia sua perpetuam esse voluisse, nec verba conuincunt, nec vlla rationum momenta cogunt. Si enim vllam à Iudæis ad nos politeian transferre voluisset Dominus, perspicuum est nec temporum corruptelas, nec hominum inuenta deriuaret, sed synceram & incorruptam Dei institutionem. Nunquam enim ille ordinem diuinitùs positum violaret, aut ab impijs & ambitiosis vitiatũ confirmaret, ne, quod exprobrat Phariſæis, ipse committeret, videlicet vt [b] *Mandatum Dei proculcaret quò traditionem hominum statueret.* Sed si aliquam Ecclesiæ regendę formam à Lege ad Euangelium traducere voluisset, eandem ipsam, quam diuinitùs Moses ordinauit, sine dubio delegisset. Hanc autem in Ecclesiam Christi si cogitant introducere, vim priùs manifestam oportet eos inferre verbo Dei, & omnium Christianorum Principum subsellia prorsus diruere. b Math. 15.

Quod quò clarius fiat, gubernationes primùm à Mose constitutas in fundanda Repub. & Ecclesia Iudæorum percurramus. Postea quomodo consessus, & Concilia magistratus apud Iudæos cum Presbyterijs singularum parœciarum cohæreant (cuiusmodi nunc in omnibus Ecclesijs Christianorũ vrgent & ex mandato quasi diuino imperant) facilè videbimus. Gubernationum genera apud Iudæos diuinitùs instituta hæc reperimus. Sub Mose supremo Iudice & Iethronis consilio, populi consensu, diuina etiam approbatione *Viri strenui ex toto Israel delecti sunt,* [c] *præfectiq; millenis, centenis, quinquagenis, denis; qui populum omni tempore iudicarent, res difficiles ad Mosen deferrent, & minoris momenti negotia ipsi expedirent.* Cùm verò causæ difficiliores numero excrescerent, Mosenque fatigarent, iussit iterum Deus [d] *Vt* c Deut. 1. Exod. 18. d Num. 11.

alios septuaginta, quos populi seniores & moderatores esse nouerat, coram Domino sisterent, qui partem oneris leuarent, & in omni negotio grauiori audiendo, & definiendo Mosen adiuuarent. Præter hos duodecim etiam Principes, [e] ex singulis tribubus singuli, a Deo nominati sunt, & constituti, qui circa tabernaculum, siquid opus esset, vnà cum summo Sacerdote & magistratu præstò essent. Sic Iudices, Præfecti, Seniores, & Principes ad populum regendum & in officio continendum tributim descripti sunt.

e Num. 2.

Hæc ipsa gubernandi ratio Iudæis terram promissam ingressuris est tradita, & ab ingressis obseruata. [f] *Iudices & præfectos constitues tibi in omnibus portis ciuitatum, quas Iehoua Deus tuus daturus est tibi, per tribus tuas, qui iudicent populum* [g] *iudicio iusto.* [g] *Quòd si obscurior & difficilior res fuerit, quàm vt terminari queat in portis tuis, surgens ascendes ad locum quem Dominus Deus tuus elegerit.* Illic enim coram septuaginta senioribus, tanquam in grauissimo totius Regni Concilio, res ancipites, tam sacræ quàm ciuiles, disceptari solebant, & eorum sententiæ qui stare recusabat, pœna capitis plectebatur. Hanc formã reguminis vnà cum religione collapsam restaurauit Rex Iehosaphath, cum [h] Iudices in tota regione per singulas ciuitates munitas constituit. Leuitarum etiam & Sacerdotum quosdam cum primoribus familiarum Israelis collocauit Ierosolymis ad causas & iudicia Iehouæ. *Ecce (inquit) Amaria Sacerdos præcipuus inter vos est in omni negotio Iehouæ; Zebadia verò Princeps domus Iehudæ in omni negotio Regis.* Harum legum summam Iosephus Iudæorum Historiographus hijs verbis repetit: [i] *In quaque ciuitate septem rectores sunto, virtutem, & amorem iustitiæ cæteris omnibus rebus præferentes: Cuique magistratui duo Leuitæ assignantor qui illis assistant. Si Iudices hij de quauis ad eos delata lite pronunciare nequeunt, res tota ad sanctam trasmittitor Ciuitatem, & Sacerdos, Propheta, Senatusq; coactus, quod rectum est determinent.* Iudaicum Talmud à Iosepho, quod ad numerũ Iudicum attinet, discrepat. Nam paruis & pecuniarijs quæstionibus tres Iudices præfuisse affirmat: magnis & capitalibus viginti tres: maximis verò & grauissimis Reipub. negotijs,

f Deut. 16.

g Deut. 17.

h 2. Cro 19

i Antiquit. lib. 4 cap. 6.

tijs & cauſis,à minoribus vrbibus Ieroſolymam tranſmiſſis, ſeptuaginta ſeniores. In libro Ruth [k] decem populi ſeniores cum Booz in porta conſederunt, dum quæſtio inter eum & cognatũ de hæreditate Elimelechi & Ruthæ nuptijs agitata fuit, & definita. Vnius vrbis [l] Succoth ſeptuaginta ſeptem ſeniores, & primores leguntur; quorum carnes Gedeõ ſentibus & ſpinis dilacerauit, quòd milites ſuos feſſos, & inedia languentes reficere recuſaſſent.

k Ruth.4.

l Iudic.8.

Hanc varietatem in Iudicum numero recõciliare non admodum nitor; fieri poteſt vt de diuerſis locis temporibuſque loquuti nihil pugnent. Illud eſt quod obſeruo, nullos à Moſe nec Iudices, nec Magiſtratus, nec Senatus inſtitutos, quibus authoritatem gladij non tribuit, aut vitæ neciſque poteſtatem non fecit: Magnum autem Ieroſolymitanum Concilium *negotia Dei & Regis diſceptauit*, ac terminauit, cuius definitioni, quiſquis præfracto animo *reſtitit*, *capite* pœnas luit. Temporibus Eſdræ contemptoris ſupplicium huiuſmodi erat vt omnibus [m] bonis mulctatus à cœtu & ſocietate cæterorum excluderetur. Ad ſeniores cuiuſque ciuitatis ſpectabat homicidium occultum [n] perueſtigare, & iureiurando innocentiam ſuam teſtari; [o] Homicidam, qui odio inſtinctus proximum percuſſiſſet, vindici ſanguinis occidendum tradere; [p] filium in parentes inofficioſum, & contumacem morti addicere; [q] Adulteros lapidibus obruere; falſam vxoris criminationem, ob amiſſam virginitatem, caſtigare; cæteraque ſupplicia ſontibus ex præſcripto legis, infligere. Ex quibus perſpicitur hos ſeniores magiſtratus fuiſſe, qui vinculis, verberibus, exilijs, morte mulctarent, & omnis generis lites & controuerſias deciderent, exceptis ijs quæ ob diſtinctionem ſancti & prophani Sacerdotibus reſeruatæ ſunt, aut ob difficultatem ad ſummum illud Synedrion delatæ.

m Eſdr.10.

n Deut.21.

o Deut.19.

p Deut.21.

q Deut.22.

Ætate Seruatoris noſtri multa iam de prima legis integritate deflexerant, multa degenerarant, poteſtaſque ſeniorum & Sanhedrin valdè debelitata fuit, primùm per Herodem, deinde per Præſides Romanos, qui ſpreta Moſis lege, ſummã & ſupremam Sacerdotis & ampliſſimi Senatus

authoritatem in ipsorum oculos incurrentem ferre non poterant. Tamen quia Iudæorum gens seruitutis iugum subire, proculcatis patrijs legibus & extincta prorsus libertate, recusabat, concessa est illis quædam in speciem ἀυτονομία, vt quietiùs & libentiùs seruitutem seruirent. Permittebant itaque Romani vt seniores priuatas & minutas iniurias audirent, & deciderent; vt Concilium Ierosolymitanum vinculis & verberibus contemptores religionis coercerent. Hinc est quòd Christo[r] inijciunt vincula, quòd[f] colaphos impingunt; hinc[t] Apostoli cæduntur virgis; hinc Paulus, acceptis à Sacerdotum principe literis, credentes in carcerem conijcere, & in omni synagoga pulsare, & verberare cogitat. Hac de re Christus discipulis,[u] *Emitto vos vt oues in medium luporum. Tradent vos Concilijs, & in synagogis flagellabunt vos.* Quinetiam Iudæi studium quoddam imperij Romani prętendentes, & calumnijs Apostolos onerantes, quasi religionis pallio[x] seditionem & defectionem ab imperio, vt paulò antè Theudas & Iudas, molirentur, id effecerunt vt non modò præsides discipulos ipsi insectarentur Iudæis gratificandi causa, verùmetiam Synedrio Ierosolymitano, quoties visum est. vitæ necisque potestatem permitterent, quam in desertores & proditores patriæ legis exercerent.

r Mat.26.
f Act.5.
t Act 22.
u Mat.10.
x A.24.

Ius gladij Scribis & Pharisæis concessum fuisse testatur Christus hijs verbis:[y] *Explete mensuram patrum vestrorum. Ecce ego mitto ad vos Prophetas, & sapientes, quorum quosdam occidetis, & crucifigetis, quosdam flagris cædetis in synagogis vestris, & de ciuitate in ciuitatem persequemini.* Paulus notat quanto ardore sanguinem fidelium sitiret, dum adhuc Pharisæus esset.[z] *Hanc viam* (inquit) *ad mortem vsque persequutus sum, vinciens, tradens in carcerem, tum viros, tum mulieres; Et*[z] *cum sanguis Stephani martyris funderetur, adstabam, & assentiebar eius neci, & interficientium vestimenta custodiebam. Quo eodem tempore*[a] *magna persecutio in Ecclesia Ierosolymitana excitata est. Saulus*[a] *verò vastabat Ecclesiam Dei intrans in singulas domos, & extractos tum viros tum mulieres tradebat carceri;*[b] *spirans minas & cædē aduersus discipulos Domini.*

y Mat 23
z Act.22.
a Act.8.
b Act.9.

Quidam

Quidam, qui gladium nullo iure, sed ex vsurpatione, temporibus illis gestatum à Synedrio scribunt, vt faciliùs ab eo senatu exemplum ad sua presbyteria deducant, Stephani cædem tumultu, & furore non aliqua legitima iudicij forma factam autumant. Tumultuosè multa in eo iudicio gesta nemo inficiatur: furiosus ille in sanctum Martyrem, sententia nondum lata, impetus, & rabies protrudendi illum à subsellijs, & ad necem raptandi, tumultus erat. Reliqua iudicij formam satis solennem ostendunt. Consedit concilium, auditi sunt testes, tametsi falsi, reo se defendendi facta est potestas, licèt ad extremum interruptus, & clamoribus oppressus est. Saulo negotium est datum vt interficiendum curaret. Testes, vt lege cautum erat, primi lapides in eum conijciunt. Denique tumultu cessante persequutionis æstus ingraueſcebat, & Saulus (qui posteà Paulus) authoritatem à Pontifice & Presbyteris accepit, vt Sanctos tum in illa ciuitate, tum alibi malè mulctaret. Illa Phariſæorũ verba ad Pilatũ, quæ isti ad extorquendum ex Synedrij Ierosolymitani manibus gladiũ allegant, [c] *Non licet nobis interficere quenquã*, vel ratione illius sacri temporis, quo ne in prætorium quidem ingredi sibi fas putabant: vel respectu criminis, affectati scilicet regni, quod ad Cæsaris, non ad Synedrij tribunal spectabat, intelligi possunt: vel denique, quòd præsente præside Romano, sine illius assensu, & iussu, capitali supplicio neminem afficere poterant. Vtvt sit, & quantacunque demum potestas à Romanis summo Synedrio vel permissa, vel detracta tunc temporis fuerit, illud tamen à tergiuersantibus dari necesse est, magnum illud Concilium diuina lege gladio armatum fuisse ad iudicia Mosaica exercenda, & capitis pœnam sontibus inferendam. c Ioh.18.

Neque omni iuris dicundi facultate Iudæorum seniores à Romanis spoliati sunt. Causas inter hominem & hominem cognoscebant, carcere & flagris in synagogis vtebantur in legis Mosaicæ violatores. [d] *Accipite eum, & iuxta legem vestram iudicate*, inquit Pilatus, cum ad Christum necandum à Iudæis vrgeretur. [e] *Nos hominem prehensum secundùm nostram legem iudicare volumus*, inquiunt illi, qui Paulum coram Fe- d Ioh.18.v.28 e Act.24.

lice accusarunt, & passim in nouo Testamento appellantur ἄρχοντες, quòd populum gubernarent. Nicodemus Rector erat Iudæorum, teste [f] Iohanne. Pharisæi quoque in despectum plebis, quæ Christum amplectebatur, loquẽtes, [g] *Numquid ex Principibus quisquam in eum credit, aut de Pharisæis*, inquiunt? Petrus etiam de Christo à Iudęis in crucem acto verba faciens, [h] *Scio*, inquit, *quòd ex ignorantia fecistis quemadmodum & Rectores vestri*: & cum in Synedrio magno, de claudo, qui ad speciosam templi portam mendicarat, sanato rationem redderet, ita orsus est, [i] *Principes populi & seniores Israelis*. Denique cùm minitarentur Petro & collegis, ne amplius in Christi docerent nomine, non excepit, Vos nullam imperandi habetis authoritatem, sed quid? [k] *Vtrùm vobis potiùs an Deo obedire oportet, vos ipsi iudicate.*

f Ioh. 3.
g Ioh. 7.
h Act. 4.
i Act. 4.
k Ibid.

Cùm itaque hæc presbyterorum in quaque vrbe, hæc Synedrij Ierosolymitani authoritas fuerit, idque institutione diuina, cum eadem Christi & Apostolorum temporibus sub Imperio Romano, quadam ex parte, durauerit; quæro nunc, vtriusnam Synedrij authoritatem in singulis parœcijs stabilitam Christus voluit? Amplissimi illius Ierosolymitani? Senatus ille in ea Republica singularis fuit, & supremam authoritatem habuit in causis omnibus tum sacris, tum ciuilibus; & de nocentibus tam capitis, quàm corporis supplicia sumpsit. Si hoc vrgent, quot sunt in Anglia villæ, tot nobis Parlamenta surrogant. Neque enim Concilium apud nos vllum Synedrion Ierosolymitanum tam aptè refert, atque Parlamentum nostrum: Vnicum enim erat in tota illa natione huius generis Concilium, constans ex nonnullis singularum tribuum personis spectatis, quæ causas illius Reipublicę grauissimas tractabat, de pace, de bello, de appellationibus, vndique delatis statuebant, ciuitates totas, tribus integras, pœnis addicebant; si quid controuersum in Mosis institutis erat, enodabant; si quid pro causarum infinita varietate prætermissum, supplebant; nemine nisi periculo capitis, aut bonorum, aut separationis à populo Dei, eorum iudicium recusante. Ex hoc typo, satis scio, fratres nostri Presbyteria sua, per vicos & parœcias, non effingent, ne illis merum & summum

ſummum attribuant imperium. Hoc enim eſſet Principum maieſtatem per ſummum ſcelus minuere, in illorum diadema & ſceptrum inuolare, illos ſolio extrudere. Nihil addam amplius; ſapiunt ſatis, quid ſequatur vident.

Sed forſan Synedria minora, & Iudicum per ciuitates conſeſſus exemplaria Presbyteriorum noſtrorum erunt? Idem ſemper eſt nobis à magiſtratu periculum, tametſi crimen aliquanto minus. Hij quoque magiſtratus inferiores erant, hij gladiũ ad caſtigandos improbos gerebant. Sic enim diuina lex ferebat, vt Iudices, per ciuitates, delecti, controuerſias omnes definirent, iniuria ciues prohiberẽt, gladio iuxta prę-ſcriptũ legis vterentur ad malorũ vltionẽ, & laudẽ bonorũ, res verò difficiles ad maius illud Concilium deferrent. Itaque neque hæc noui conſiſtorij forma nobis ad imitandum proponi poteſt: tantum & tam illuſtre diſcrimen eſt, tam malè cohærent collationis partes, vt qui non ſtatim animaduertat admodum hebes ſit oportet. A magiſtratu ad miniſterium, à gladio ad verbum, à lege ad Euangelium, à ciuitatibus ad villulas, à terra Chananæorum ad orbem, quacunque patet, Chriſtianum; tantus eſt, tam ingens & ſaltus, & hiatus, vt nulli rudentes conſequentiam cum præmiſſis colligare queant. Quamobrem duo iſta Synedria nullam analogiam, nullam ſimilitudinem cum nouis Presbyterijs habent; præter autem iſta duo nullum tertium à Domino conſtitutum reperient.

Obijciunt Scribas ac Phariſæos tempore Chriſti excommunicaſſe, &, quos putabant indignos, [l] ex ſynagogis ſuis eieciſſe: cuius poteſtatis legitimum vſum in Eccleſia ſua apud [m] Matthæum, vt aiunt, ſanciebat Chriſtus. Quid Phariſæi docuerunt, & cuiuſmodi fuit iſta poteſtas quam exercuerunt, viderint ipſi. Leproſum ab hominum commercio amouere, immundum locis rebuſque ſacratis prohibere Moſes docuit; nocentes excommunicare, id eſt, à cœtu vel ſacris arcere, quod legerim, non docuit. [n] Spurius in congregationem Domini venire non potuit ad decimam generationem: neque [o] Ammonites, neque Moabites: [p] Edomitæ autem, & AEgyptij tertia generatione admittebantur. Alieni-

l Ioh. 9. v. 22

m Cap. 18.

n Deut. 23. v. 2

o Deut. 23. v. 3

p Ibid. ver. 8.

genæ

genæ & incircumcisi populo Dei non adscribebantur, & quæuis corporis immundicies Iudæos ipsos ad tempus à sacrorum cõspectu, & hominum conuictu separabat, sed nihil horum excommunicatio est. Peregrini nondum adiuncti ad populum Israel eijci eius numero non poterant: naturalis corporis imbecillitas aut immundities sicuti est lepra, gonorræa, contactus mortuorum, & reliqua, non iustæ excommunicandi causæ, sed impuritatis nostræ naturalis testimonia fuerunt. In criminibus manifestis supplicia sancita sunt, in damno dato compensationes, in minoribus erratis & delictis confessionis & pœnitentiæ sacrificia. Hæ censuræ Mosaicæ sunt, alias in Lege nullas inuenimus.

Ast hæc locutio, *Excindatur de medio populi sui*, tam crebrò per Mosem repetita, quandam excommunicationis aut anathematis speciem quibusdam videtur insinuare. Dent veniam quæso hæsitanti mihi, quoad res liquidè ex Scripturis sacris demonstretur. Multa tradunt Rabbini de posteriorum temporum moribus ac institutis; sed quid Moses fieri mandauerit, aut quid ea phrasi significauerit, Mosaicis libris, non Iudaica Cabala doceri cupio. Neque res difficilis indaginis aut operosæ fuerit, tam crebra occurrunt, & tam manifesta testimonia. [q] Minatur Deus incestis, adulteris, Sodomitis, concumbentibus cum belluis, traducentibus filios per ignem Molocho, hanc excisionem è populo Dei. [r] *Quisquis fecerit aliquam ex omnibus istis abominationibus, vtique excindentur animæ, quæ illam fecerint, è medio populi sui.* Quid autem huic verbo subsit, alio loco explicatur, nempè [s] *vt morte moriantur* qui istiusmodi crimina patrarint. Hæc enim scelera *Leuitici* 20. & singulatim recensentur, & morte vindicantur. Quòd si magistratus in hijs sceleribus conniuerit, aut istorum flagitiorum reus iudicium quouis pacto eluserit, comminatur Dominus se fore vltorem, & è sui populi medio formidandis & horrendis supplicijs, talia hominum monstra cum suis omnibus excisurum, atque extirpaturum. Sic enim scriptum est: [t] *Quisquis è filijs Israel aut ex aduenis qui apud vos peregrinatur, dederit liberos suos Molocho, morte interficitor, populus terræ lapidibus eum obruant:* [u] *Alioqui ego opponam*

q Leuit.18.
r Ver.29.
s Leuit.20.
t Ibid.ver.2.
u Ver.3.

opponam faciem meam contra virum istum, & excindam illum è medio populi sui. [x] *Quòd si rem occultauerit, aut dissimulauerit populus terræ, tamen ego faciem opponam meam contra virum illum & familiam eius, & excindam eum.* Ita de incesto sororio præcipitur, vt tam frater quàm soror incesta [y] *excindantur in oculis populi sui*, id est, supremo supplicio afficiantur. Sic etiã de quouis diuinæ legis præcepto perditè violato: [z] *Anima illa quæ fecerit elata manu, Iehouam probro & blasphemia afficit, excindendo excinditor anima illa de medio populi sui*, id est, moriatur. Quare? *Quia verbum Domini sprevit, & mandatum eius irritum fecit, excindendo excinditor anima illa de medio populi sui.* Hac itaque locutione, cùm ad magistratum refertur, capitis pœna sancitur: cùm autem ad Deum respectum habet, denunciatur futurum esse, vt pertimescendo ac repentino Dei iudicio nocentes cum familijs & posteris, atque adeò omni memoria radicitus euellantur. Exempla passim incurrunt. [a] *Excindet te gladius*. Et illud, [b] *Excindamus eum è terra viuentium, vt nomen eius non commemoretur amplius*. Et alibi, [c] *Statuam faciem meam contra virum illum, & ponam eum in signum, & parabolam: denique excindam eum è medio populi mei.* Iterum, [d] *Ecce me, contra te veniam, & educam gladium meum è vagina, & excindam ex te iustum & improbum.* Hoc passim legitur, excommunicatio nusquam.

x Ver.4.
y Leuit.20. v.17.
z Num.15.
a Nahum.3.
b Ierem.11.
c Ezech 14.
d Ezech.21.

In Esdra post exilium Babylonicum contumacibus separationem à congregatione minatur Senatus: in Nehemia item abigi & profligari vxorum alienigenarum maritos legimus: sed vtrumque à magistratu profectum est, atque ita nihil ad Ecclesiæ Ministros pertinet. Nam separatio illa à congregatione in Esdra [e] omnium facultatum iacturam habuit adiunctam, exiliumque potiùs à patria, quàm à sacris interdictio fuit. In Nehemia Legis maledictum cum Magistratus authoritate copulatur, quod Pastores imitari non possunt. [f] *Obiurgaui eos*, inquit, *maledicens eis, & percussi ex eis aliquot, pilos euellens, & obstrinxi eos iureiurando per Deum, ne quid tale facerent in posterum.* Et è nepotibus summi Sacerdotis quendam, qui gener extitisset Sãballato Choronitæ, [g] *abegi*, seu *fugaui à me*, quia sacerdotium polluerat. Hæc

e Esd.10.
f Nehem.13.
g Nehem.13. ver.28.

bono-

bonorum confiscatio, percussio corporum, separatio à populo, expulsio à ciuitate, vel patria, ciuilem gladium in manu magistratus, non gladium Spiritus in ore Sacerdotis ostendunt. Nec ab istis supplicijs apud Iudæos ad censuras Ecclesiasticas apud Christianos quicquam necessariæ ducitur consequentiæ.

Vt igitur ad Pharisaicam eiectionem è synagogis redeamus, excogitatam ab eis cùm Imperium apud alienigenas, [h] honores maximi apud Saducæos residerent, vt omnes traditionum suarum contemptores malè acciperent, & pro libito tractarent (quod Seruator noster & eius discipuli potissimùm sunt experti) non ea fuit spiritualis maledictio, aut à sacris tantùm interdictio, sed quędam ciuilis censura, quæ dignitatis, honoris, immunitatum, iurium, & facultatum amissionem inferebat, & eiectum præterea carceri, flagris, & omni contumeliarum generi reddebat obnoxium, quatenus per leges synagogicas licebat. [i] Iohannes, Ioseph Arimathæum *Christi discipulum fuisse, clam tamen propter Iudæorum metum*, narrat: Et [k] *Principum etiam multos in Christum credidisse, non tamen ausos esse confiteri, ne synagogis expellerentur.* Quæro hic quid metuerent? ne in Christum credentes, in quo omnes nationes benedicendæ erant, de *populi Dei numero* eijcerentur, aut à regno cœlorum exularent? Ast promissum Abrahamo datum probè nouerant, [l] *Benedicam benedicentibus tibi, & maledicentibus tibi maledicam.* Confessionem, quam fecit Balaam meminerant, [m] *Quomodo maledicam ego, vbi Deus benedixerit?* Imò [n] *maledictus ille, qui maledixerit tibi.* Quid igitur timerent nisi bonorum & dignitatum detrimenta, quibus abire iussi sunt qui synagogis excludebantur, & etiam ne hostium immanium iniurijs & contumelijs subijcerentur? [o] *Dilexerunt*, inquit Iohannes, *gloriam magis hominum quàm Dei.* Quamobrem Pharisaica illa ex synagogis eiectio cum ciuili potestate permista fuit, eiusque terror à iure gladij, synedrijs, ac senioribus Iudæorum diuinitùs tradito proficiscebatur, quem Pastores & Præsides Ecclesiæ nullo pacto tractare aut vendicare possunt, nisi quatenus magistratus & ciuiles potestates eorum

h Ioseph. Antiq. l. 8. cap. 20.
i Ioh. 19.
k Ioh. 12.
l Gen. 12.
m Num. 23.
n Num. 24.
o Ioh. 12.

rum ſententijs ſuã forſan adiungant authoritatẽ,& decreta pœnis ſanciant.Cum itaque noua iſta per ſingulas parœcias Presbyteria nihil affine cum Iudæorum Synedrijs habeant, nec vlla ratione pendeant ex illis, aut cum illis cohæreant, ad Chriſti verba veniamus, quæ iſti pro parte ſua citant, & eorum verum ſenſum indagemus.

p *Si peccauerit in te frater tuus, abi, corripe inter te & ipſum ſolùm. Si audierit, lucratus es fratrem tuum. Si non audierit, adhibe adhuc vnum aut duos. Si illos non audierit, dic Eccleſiæ.* Pars læſa hoc loco homo eſt, non Deus; nos ipſi, non alij. *Si peccauerit in te*, non in Deum, *abi, corripe.* Correptio prima ſecreta eſt, inter te & ipſum ſolum. In magnis & manifeſtis peccatis reprehenſio facienda per Eccleſiæ Præpoſitum publica debet eſſe. q *Peccantes coram omnibus argue, vt cæteri timorem habeant.* Secundò ſi peccans reſipiſcat; is in quem peccatur condonare debet. Nam r *ſi peccauerit in te frater tuus, obiurga eum, &, ſi reſipuerit, remitte ei. Et ſi ſepties in die peccauerit, & ſepties in die reuertatur ad te dicens, reſipui remitte ei.* Neque verò ſepties ſolùm, ſed s *ſeptuagies ſepties.* Peccata in nos admiſſa dimittere & poſſumus, & debemus. Sic enim orare docemur; t *Remitte nobis debita noſtra, ſicut & nos remittimus debitoribus noſtris.* Aſt iniurias alijs factas, aut damna illata, nulla prorſus nobis dimittẽdi facultas eſt; tantum abeſt vt ſcelera aut impietates in Deum condonare poſſimus. Tertiò niſi reſipiſcat, admonitio iteranda eſt, adhibitis teſtibus, antequam Eccleſiæ denuncietur; cui admonitioni ſi cedat, res tota ſepelienda eſt: quod in criminibus in Deum & proximos patratis quis dicat faciendum? Ex quibus ſequitur, hanc à Chriſto legem ferri non in publicis peccatis, non in iniurijs alienis, non in criminibus quibus Dei maieſtas violatur, aut Eccleſia ſcandalizatur; ſed in priuatis offenſis, & iniurijs, quibus nos ipſi laceſſimur aut lædimur. Non, inquam, iudicialis apud aliquod tribunal proceſſus hic deſcribitur, ſed tacita & ſecreta charitatis expoſtulatio à fraterno eius pectore profecta, qui damno aut opprobrio eſt indignè vexatus.

p Mat.18.
q 1.Tim.5.
r Luc.17.3.
s Mat.18.
t Math.6.

Sic Petrus hunc Domini ſermonem intellexit, cum ſta-

tim

tim percontaretur;[u] *Quoties in me peccabit frater meus, & remittam ei; an vsque septies?* Sic etiam Dominus mentis suæ sensum aperuit, subiecta continuò de duobus debitoribus [x] parabola, altero qui decem talentorum millia, altero qui denarios centum debebat. Vbi etiam inter peccata distinguens, & eorum duo genera constituens; maiora in Deum, minora in fratrem, quæ nos condonare possimus; demum adijcit;[y] *Sic Pater meus cœlestis vobis faciet, nisi remiseritis suo quisque fratri ex cordibus vestris offensas eorum.* Ad officium ergo generale, quo omnes mutuo tenemur, non ad aliquam specialem authoritatem Pastorum & Presbyterorũ propriam hæc verba Dominus accommodauit. Sic etiam bene obseruauit Hieronymus: [z] *Si peccauerit in nos frater noster, & in qualibet causa nos læserit, dimittendi habemus potestatem, imò necessitatem; qua præcipitur vt debitoribus nostris debita dimittamus. Si autem in Deum quis peccauerit, non est nostri arbitrij. Dicit enim Scriptura diuina: Si peccauerit homo in hominem, rogabit pro eo? Sacerdos* (aut magistratus iudicabit eum): *Si autem in Deum peccauerit, quis rogabit pro eo?* Chrysostomus eodem accipit modo:[a] *Quare iubet Christus, vt qui passus est iniuriam, non alius, corripiat? Quia non tam accepta erit correptio ab alio facta, atque ab eo qui iniuriam passus est, & opprobrio contumeliáve vexatus, præcipuè si solus faciat.* Sic Ambrosius: [b] *Pulchrè posuit, Si peccauerit in te. Non enim æqua conditio, in Deum, hominemq; peccare.* Sic denique Augustinus. [c] *Abi, reconciliare fratri tuo. Pete,* inquit, *veniam ab homine quem offendisti, ab homine quem læsisti. Hoc ergo debet facere, qui facit iniuriam. Qui autem passus est, quid debet? Quod audiuimus hodie, Si peccauerit in te frater tuus, corripe eum inter te & ipsum solum, si neglexeris, peior es. Ille iniuriam facit, & iniuriam faciendo graui seipsum vulnere percussit, tu vulnus fratris tui contemnis? tu eum vides perire & negligis?* Itaque Seruator noster depriuatis noxis & offensis agit, quas solus corrigere & condonare potest, qui oppressus est, & non alius; de publicis criminibus aut peccatis in Deum, & illius leges non agit; quorum reos in occulto redargui debere, & bis admoneri; &, si se resipuisse dicant vel fingant, impunè ferre

u Math. 18.

x Ibid.

y Ibidem.

z Lib 3. in Math. cap. 18.

a Chryso. homil. 61. in Math.

b Ambro lib. 8 in Luc. cap. 17.

c August. de verbis Dom sermo 16.

ferre etiam atrocia scelera, quis sanæ mentis opinetur? Incestus ille Corinthi, nec bis nec semel appellatus, Sataneæ deditus est, idque à Paulo; vt manifestum sit hæc Christi præcepta de duplici monitione ad crimina Deo hominibusque exosa nihil prorsus pertinere.

Nonnulli tamen aliter accipiunt, & hæc verba, *Si peccauerit in te frater tuus*, non ad priuatas iniurias, sed ad secreta, & nobis solis cognita delicta referunt, vt *distinctio inter occulta & manifesta peccata à Christo statuatur*. Hoc si verum sit, nullius cuiusquã peccatum, quamuis scelestum & nefarium, debet Ecclesiæ denunciari, dummodò qui flagitium admiserit pœnitentiam simulet, aut saltem meditetur. Iam hæc interpretatio quo modo cum huius loci circumstantijs, aut alijs sacrarum literarum testimonijs conueniat, ego quidem non video. Ponamus enim in idololatria, blasphemia, hæresi, periurio, homicidio, proditione, adulterio, & huiusmodi; num debet reticere qui sceleri conscius est, aut casu interuenit, si modò facinorosus ille dicat, facti se pœnitere? Num diuina lex hoc imperat? Num ita postulat officium hominis Christiani? Non credo.[d] *Si clam incitet te frater tuus, filius matris tuæ, aut filius tuus, aut filia tua, aut vxor quæ cubat in sinu tuo, aut amicus quem habes vt animam tuam, dicendo, eamus, colamus deos alienos: ne acquiescito ei, neque auscultato illi, neque parcito illi oculus tuus, neque clementia in eum vtitor, neque celato illum, manus tua primùm in eum esto, vt morte afficias illum, postea manus totius populi.* Et in omnibus nefarijs criminibus qui cælat, consentiens & particeps est sceleris. Non est pietatis, non est charitatis aliorum occultare flagitia, quę diuinæ maiestati probrum, humanæ societati damnum inferunt, quamuis pœnitentia sequatur. Potest illa quidem animam seruare si vera sit, si sincera; sed non eò valet, vt omnia diuinarum humanarumque legum vincula laxentur, repagula perfringantur, quò pœnitens dimittatur impunitus. Rursus quæ nobis potestas, quod ius remittẽdi iniurias alijs illatas? Iniurias nobis factas relaxare possumus, nisi forsan etiam scelera sint in diuinas, patriásve leges perpetrata: alijs verò impositas, nec condonare possumus, nec debemus occul-

d Deut. 13.

cultare. Cùm itaque Christus de ijs agat peccatis quæ quisque fratri resipiscenti donare debeat; perspicuum est de ijs, quę in Deum aut proximum designantur, eum non agere, licet paucis cognita, multitudinem lateant; sed potiùs de iniurijs, quibus oppressus quis ingemiscit, & quas, quia solus accipit, solus facienti potest ignoscere. Præterea cùm Christus hic doceat Christianam clementiam, & charitatem mutuam cum fratribus fouere, qui planè non sunt insanabiles & desperati, vt ex sequenti parabola liquet; magnam hic locus affinitatem habet cum illa Dominicæ precationis parte, qua remitti nobis debita nostra, sicut & nos remittimus debitoribus nostris, postulamus. Vtrum iam debitores nostri sint, qui faciunt alijs iniurias, licet nobis cognitas, an qui nobis ipsis inferunt? Silentium in hac petitione Christus imperat, an patientiam? taciturnitatem an mansuetudinem? In secretis peccatis nihil aliud quàm testes sumus, vbi silere delinquere est; in iniurijs nobis illatis pars læsa sumus, vbi placabilitas egregium habet patientiæ testimonium. Postremò hæc illorum interpretatio semetipsam strangulat. Nam si ita peccauerit in te frater tuus, quomodo illi docent, id est, si te solo conscio peccauerit; quæro qui potest eius peccatum, tibi soli cognitum, Ecclesiæ renunciari? Potes accusationem instituere, sed inficiantem quo teste conuinces? Ecclesia sine testibus, quos habes nullos, tibi fidem habere non potest, certè non debet. Accusator & testis in eadem causa nullo iure potes esse. Quòd si testimonium tuum admitteretur, tamen vnius alicuius testimonio reus non est condemnandus. Itaque si peccatum secretum sit & vni tibi notum, quomodo Ecclesiæ probari potest? Sin coram Ecclesia conuinci potest à testibus, quomodo occultum & nulli præterquam tibi notum erat? Concludamus itaque Seruatori nostro nihil minùs in mentem venisse, quàm vt peccata in Deum hominesque, modò secreta sint, aut paucis quibusdam cognita, silentio doceret obruenda, quin potiùs hoc voluit ac imperauit; vt quâ mensura nobis peccantibus admetitur Pater noster cœlestis, eadem metiamur alijs: & quoniam 10000. talentùm, quę soluendo non sumus, ab illo deleri

deleri petimus; centum denariorum nomen in illius gratiam dissoluere fratri ne grauemur. Acceptum enim & Deo gratum esse non potest, vt in remittendis iniurijs, quas alij patiuntur, liberales simus; aut in perditorum hominum flagitiis silentium nobis imperemus; sed vt diuinam erga nos benignitatem, quam in grauissimis peccatis experimur, minimis fratrum offensis impertiamur. Hoc Christus hijs verbis docet, hoc aliâs sacræ literæ sæpiùs iterant, hoc Patres vno consensu testantur.

Ast inquient, [c] *Charitas obtegit multitudinem peccatorum*, vtì odium & inuidia diuulgat. Charitas tegit omnia peccata, quibus ipsi soli violamur, videlicet ignoscendo; Charitas similiter tegit peccata fratrum, aut iusto supplicio expiata, aut vera pœnitentia sanata, cicatricem obductam vulneri non refricando; Charitas etiam in errores emendatos non insultat, in infirmitatibus humanæ conniuet naturæ, denique *quicquid aut pietas in Deum*, aut charitas in proximos pati potest, dissimulat; sed tamen charitas veritatem *Dei* silendo non prodit, iniurias & contumelias alteri licèt impositas non relaxat, neminem legibus soluit; postremò non occultat, non ignoscit, non prætermittit vllum peccatum, quantumuis abditum, quo Dei gloria conculcatur, aut proximi salus periclitatur. [c] 1.Pet.4.

Iam reliqua videamus. Post duas admonitiones, [f] *dic Ecclesiæ; si Ecclesiam non audierit, esto tibi tanquam Ethnicus aut Publicanus*. Quamnam Ecclesiam hoc loco Christus intelligat, cui renunciandæ sunt fratrum iniuriæ; suámne ipsius, nondum collectam & constitutam, an tunc præsentẽ Iudæorum statum, ad illius populi regimen à Deo confirmatum, de hoc Theologi non consentiunt: argumenta tamen benè multa sunt & satis firma, quæ potiùs ciuilem Iudæorum politeian illis verbis comprehensam fuisse doceant, quàm vllam Ecclesiæ Christi disciplinam: nec ad Ecclesiastica noui Testamenti tribunalia propriè pertinere, quod ibi præcipitur, licet proportione quadam eò forsitan poterit extendi. Primùm, hæc regula tunc temporis præscribebatur quum Christus Ecclesiam adhuc in Iudæa nullo certo loco collegerat, [f] Mat.18.

g Ioh. 18. gerat, ad quam confugerent oppressi. g *Semper enim in Iudæorum synagogis docebat & in templo*, quò omnes conuenire solebant, *in occulto dicebat nihil*. Multò minùs clandestinos cœtus cogebat, qui priuatas fratrum querelas audirent & terminarent. Deinde causæ istæ & querimoniæ tales erant, cuiusmodi Ecclesia Christi ad suam cognitionem reuocare non poterat. Iniuriæ enim & damna, si quis suum ius persequi velit & actionem instituere, legibus regenda sunt & resarcienda iudicijs; quæ cura ad magistratum spectat. Ecclesia Christi nec fingit leges, nec exerceret iudicia in causis ciuilibus. Dominus ipse cum de hæreditate inter fratres diuidenda rogatus esset, h *Homo*, inquit, *quis me Iudicem inter vos aut diuisorem fecit?* Quod ille reiecit tanquam alienum à vocatione sua, Pastores & Presbyteri Ecclesiæ tanquam muneri suo annexum vsurpare non possunt. i *Non est discipulus supra magistrum.* k *Sicut ipsum misit Pater, ita ille mittebat Apostolos*; ampliorem certè & maiorem legationem non dabat. Tertiò Ecclesia ea hic intelligitur, quæ Ethnicos execrabatur, & abhorrebat à Publicanis. Id quod neque Christus, neque Christi Ecclesia faciebat vnquam. Quamobrem neque Ecclesia Christi, quæ neutrum genus horum hominum respuebat, hijs verbis, *Esto tibi tanquam Ethnicus aut Publicanus*, comprehenditur.

h Luc. 12.

i Luc 6.

k Ioh. 20.

l Luc. 3. Ad l baptismum Iohannis accedebant Publicani & ab eo admissi, nec iussi sunt munus deserere, sed vt honestè & incorruptè in eo versarentur. Christus eos non solùm mensa & conuictu dignos putabat, verùm etiam m *Publicanorum amicus* est habitus. Matthæus n *ab exigendis vectigalibus* ad Apostolatum auocatus est. Zachæus Publicanorum princeps in o Abrahami filium est cooptatus. Publicanus ille, qui in templo precatus est, præ Pharisæo p iustificatus domum reuertitur. Quid multa? q Publicani in regnũ cœlorum ingrediuntur, exclusis Scribis & Pharisæis: fuerunt itaque Publicani vera Ecclesiæ membra, & regni cœlestis hæredes. Quamobrem nec illorum commercium detestari potuit Ecclesia Christi, nec ea nota describi.

m Matth. 11.

n Matth. 9.

o Luc. 19.

p Luc. 18.

q Matth. 21.

Sed, inquies, illi quibuscum Christus sermonem habuit,

à

à Publicanis abhorruerunt, atque idcircò vt eos ſynagogis excludebant Iudæi, ita contumaces ex Eccleſia ſua Dominus eijci atque expelli voluit. Certè à templo & precibus Publicani non arcebantur, vt ex illa * Chriſtii parabola manifeſtè colligere licet. Et quamuis illum ordinem ſuperbi Phariſæi contemnerent & deſpicerent, Chriſtus tamen eiuſque diſcipuli (Iudæi vtique & ipſi) non alio eos loco, atque cæteros habebant homines. Quinimo Chriſtus tum verbis tum factis diſſuaſit & improbauit faſtuoſum illum Sacerdotum populique contemptum, quo Publicanos inſectabantur; tantum abfuit vt Eccleſiæ ſuæ imitandum proponeret. * Luc. 18.

Iam verò de Ethnicis, quanquam eo tempore extranei erant à Repub. Iſraelis, quia ſcilicet Deum Iſraelis ignorabant, non tamen excommunicari, neque pro excõmunicatis haberi poterant. Et ex quo in carne noſtra apparuit vnigenitus Dei Filius, Seruator noſter, Gentes fecit promiſſionum ſuarum participes, & conciues Sanctorum; ſic vt ſemper poſteà in familia diuina cenſi fuerint. Ad hanc igitur normam, nempe Pulicanorũ aut Ethnicorum, Eccleſia Chriſti nunquam potuit excommunicandos exigere. Nam Publicani credebant, & in regnum Dei introibant. Gentes etiam, reiectis Iudæis, ſi non totum Eccleſiæ corpus, maximam certè partem conſtituebant. De Iudæis itaque loquitur Chriſtus, Eccleſiæ ſuæ non facit mentionem. Quamobrem non poteſt hic eſſe germanus huius loci ſenſus, vt Eccleſiæ ſuæ Chriſtus authoritatem concedat audiendi priuatas Chriſtianorum actiones & querelas, (de hijs enim agere Chriſtum manifeſtè conuicimus,) & Paſtoribus aut gubernantibus quibuſdam Presbyteris poteſtatem faciat excommunicandi, ſi quis eorum iudicio non acquieſcat. In Chriſtiani magiſtratus ditione ſine eius venia Paſtores aut Presbyteri non debent huiuſmodi cauſas ſibi vendicare, nec pati vt apud Eccleſiæ tribunal ciuilia negotia iudiciario proceſſu tractentur. Principis enim munus eſt, [a] *Oppreſſum ſublenare, iudicare pupillum, viduam defendere*; neque id in maximis ſolùm periculis & damnis grauioribus, ſed etiam in priuatis & minimis iniurijs & incommodis. [a] Eſa. 1 Pſal. 82.

Sed Paulus, inquies, Corinthios quosdam increpat quòd
b Corinth. 6. b iudicio disceptare vellent sub iniustis magistratibus potiùs quàm sub Sanctis priuatis. Respondeo, Paulum magistratus infideles sua iuris dicundi diuinitùs concessa potestate non priuare, nec tribunalia noua ad ciuiles causas in Ecclesia Christi terminandas erigere; (vtrumque enim extra & supra Apostoli vocationem & legationem erat;) sed cùm Corinthij Christianam fidem amplexi, alij alios priuatis de damnis & iniurijs in dedecus Ecclesiæ, & Euangelij scandalum ad infidelium subsellia pertraherent, hoc consuluisse; vt iniurias potiùs tolerarent, damnaque negligerent terrena, quàm vt doctrinam Christi cõmuni hosti deridendam proponerent. Quòd si omnino pergerent contendere tam leuibus, aut nullis iustis de causis, ad rixas illas sedandas litesque restinguendas, si sapientem haberent neminem, contemptos & abiectos in Ecclesia quosdam facerent suarum querelarum arbitros & moderatores. Hoc enim esse satius, quàm vt totam Christianam professionem infidelium ludibrijs & calumnijs exponerent. Ad concordiam itaque & charitatem in Ecclesia conseruandam, pij tum poterant, vt nunc quoque possunt, inter fratres intercedere, & vtrique parti honestissimè cupientes, eorum causas audire & terminare, vt arbitri ab vtraque parte lecti; suam autem authoritatem aliquam iudiciariam interponere non possunt, quasi à Christo delegati, qui priuatas & ciuiles controuersias & querimonias ad se reuocarent, & resistentes è societate Sãctorum exturbarent. Hoc est ius gladij sibi assumere, & Principes de solio depellere, quod nec Christus præcepit, nec Paulo venit in mentem, nec Ecclesia sibi vnquam arrogauit.

Et rectè iusta hìc Paulo data est occasio illam ordinationem renouandi & instaurandi, siquam talem Christus in Ecclesia sua sanxisset. Corinthij enim mutuis se iniurijs onerabant; Paulus autem ægrè ferebat ita frequenter ob hasce rixas infidelium adiri tribunalia. Quod igitur remedium adhibet? Num Ecclesiæ denunciari iubet authores iniuriarum; & si Ecclesiæ non obtemperent, haberi tanquã Ethnicos & Publicanos?

Publicanos? Si Christus ipse ad priua tas lites & offensas in Ecclesia compescendas talem ordinem præscripsisset, num Apostolus Magistri prudentiam aliquando recusasset? aut constitutionem tam citò repudiasset? annon potiùs eos huc reuocasset? Sed quid ille? [c] *Si iudicia ob huius vitæ res habetis*; num inquit, Pastori dicite aut Presbyterio? Minimè gentium. Sed quid? *Contemptos in Ecclesia statuite*, vt huiusmodi negotia definiant. Certum est igitur Seruatorem nostrum nunquam id statuisse, vt seniores quidam & Presbyteri per singulas parœcias priuatarum causarum & litium cognitionem iudiciariam sibi vendicarent, & communione priuarent, & in Ethnicorum numero reponerent, si qui facere iudicatum non satisdarent. [c] 1. Cor. 6.

Quisnam est ergò sensus illorum Christi verborum? Quicunque tandem sit, hic certè non potest esse, vt Ecclesiastici quidam aut Laici Seniores authoritate diuina fulti magistratus locum & munus inuadant, & in priuatis & ciuilibus causis, si quis in eorum sententia non acquiescat, vt Sacramentis & sacris interdicatur. Tamen vt huius orationis contextui quantumuis obscuro, propter ignorationem illorum temporum historiæ, aliquam saltem lucem afferamus; (non enim æquum nobis videtur Lectorem in salebris hærentem omnino deserere) quid mihi maximè videatur, subjicere non grauabor, equidem ad discendum paratissimus, si quis doceat meliora.

Primò sciendum ætate Seruatoris nostri, & paulo antè quàm nasceretur, Romanos Iudæis sceptrum & imperium eripuisse; vti [d] vaticinatus fuerat Iacobus temporibus Messiæ futurum. Vt eos tamen faciliùs imperio continerent, quandam illis ἀνομίαν concessisse, nempè in priuatis litibus & leuioribus delictis eam libertatem & potestatem, quam à Mose acceptam per tot sæcula continuarant. Ab eorum iurisdictione tamen duo hominum genera excipiebant, nempè alienigenas, quos Iudæi Ethnicos vocabant, & tanquam impuros aspernabantur; & Publicanos, Iudæos quidem natione, sed qui summo in odio apud suos erant, quòd Romanis contra Iudæos operam suam nauarent. Portoria [d] Gene. 49.

enim tributa, & vectigalia Iudæis impoſita redimebant & colligebant, ac ærario populi Romani pendebant. Hos vtroſque tam publicanos quàm Ethnicos, pro capitali & inueterato Iudæorum in eos odio, neceſſe fuit de ſubſellijs & legibus Iudæorum exemptos, ſolis Romanorum tribunalibus & iudicijs ſubijcere; vt ſiquis eorum alicui actionem intenderet, Præſidem prouinciæ adiret, non aliquem Iudaicæ profeſſionis Iudicem. Hæc eadem libertas Cæſaris forum & eius præfectos adeundi, cuiuis Iudæo permiſſa fuit, ſi aduerſus fratrem ſuum Iſraeliten in quauis cauſa recuperare ius ſuum, aut experiri vellet apud Romanum potiùs Præſidem, quàm apud patrios magiſtratus. Sic enim ἀυτονομία eſt Iudæis conceſſa, vt prærogatiua tamen iuris in omnibus cauſis dicundi apud prouinciæ præfectum remaneret, vſque adeò vt cuiuſcunque nationis quis eſſet, aduerſarium ſuum ad Cæſaris tribunal, vel in propulſanda iniuria, vel in obtinendo iure ſuo, ſi vellet, pertrahere poſſet.

In iſto rerum Iudaicarum perturbato ſtatu, qui iampridem inchoatus indies augeſceret, cum viueret Seruator noſter, ita populum inſtituebat, vt neque politeian à Moſe conſtitutam, quatenus ferebat tempus, negligerent; neque Romanorum, qui ea tempeſtate dominabantur, leges aut Imperium læderent. In priuatis itaque litibus & actionibus perſequendis triplicem quaſi gradũ proponit: primò Charitatem, ſecundò Moſaicam politeian, tertiò ſummam Imperij Romani poteſtatem. *Si peccauerit in te frater tuus, abi, corripe eum inter te & ipſum ſolùm. Si te non audierit, adhibe vnum aut alterum tecum*, qui teſtes inter vos eſſe poſſint. Hæc erat regula charitatis vt ſecretò, & amicè, & vicinorum quorundam interuentu omnes, ſi fieri poſſet, inter fratres querimonię ſepelirentur. Si hàc non ſuccederet, *diceret Eccleſiæ*, id eſt, Synedrio & conſeſſui Iudicũ, qui in ſua ciuitate quæſtionibus præſunt. In vnaquaque namque ciuitate delecti quidam [f] *Iudices, & magiſtratus mandato diuino ius dicebant.* Hij more patrio in portis conſidebant, quò populi multitudo confluebat, non ſolùm vt ſpectatores & teſtes eſſent iuris adminiſtrati, ſed etiam vt ſi quid maioris incideret momenti,

[f] Deut. 16.

menti, suo consilio & consensu stabilirent. Iussit itaque Seruator noster, vbi amicæ ac fraternæ correptiones spernerentur, remedium legitimũ à Iudicibus ac senioribus petere, prout iure diuino in Repub. Iudeorum ab vltimis temporibus fuerat receptum. Quamobrem, *Dic Ecclesiæ*, non hoc significat, vt dicerent Ecclesiæ Christi, quæ tum nulla erat segregata quidem à Iudæis, ac ex solis Christianis collecta; & ea de causa, nec vlla conueniendi loca, nec personas eiusmodi querelis audiendis destinatas habuit; sed dic *Synedrio ac conuentui Seniorum* in portis ciuitatis tuæ lege diuina confidentium ad huiusmodi controuersias dirimendas. Neque enim Christo propositum fuit nouos quosdam Iudices, aut tribunalia non priùs consueta statuere, sed populum potiùs ad diuinam reuocabat ordinationem, quam à Mose iam olim acceptam ea Respub. perpetuò vsurpauerat; vt contra fratrum oppugnatores, si amicis admonitionibus non desisterent, pars læsa, optimæ mentis conscientia, opem eorum imploraret, quos in quaque ciuitate gladio Dominus armauerat ad coercendos facinorosos, & tenuiores à potentiorum iniurijs prohibendos.

Si cui mirum videatur Ecclesiæ vocabulo non cœtum Christianorum, sicut vsitatè accipitur, sed consessum Iudicum etiam ciuilium intelligi, sic habeat. Præter septuaginta interpretes, qui Ecclesiam pro quouis hominum conuentu vsurpant, vt [g] ἐμίσησα ἐκκλησίαν τῶν πονηρευομένων; odi Ecclesiam maleficorum. Et illud: [h] *Penè fui in omni malo* ἐν μέσῳ ἐκκλησίας καὶ συναγωγῆς, in medio Ecclesiæ & synagogę: præter hos, inquam, Lucas ipse *Actorum* decimonono ter in hanc sententiam eodem vocabulo vtitur. Beza denique homo singulari doctrina, de cuius propenso in istam disciplinam studio dubitare nemo potest, in hunc locum ita scribit:

g Psal. 25.
h Prou. 5.

[i] *Notandum est turpiter errare, qui ex hoc loco conflci volunt, de singulis rebus referendum esse ad totius multitudinis cœtum. Aiunt enim Ecclesia nomen nusquam aliter accipi; quod vel ex hoc ipso loco falsum esse conuincitur. Nam certè tanquam de Iudæis hæc dici apparet saltem ex eo quod addit, Sit tibi sicut Ethnicus & publicanus. Sed indicia de his rebus penes Seniores fuisse*

i Annot. in Math. 18.

apud Iudæos, nec semper cogi consueuisse totum populi cœtum, omnes illarum rerum scriptores testantur. Et certè nisi Christus ad suorum temporum consuetudinem totum hunc sermonem accommodasset, quis eum loquentem intellexisset? Postremò obseruandum etiam est Ecclesiæ nomen hoc vno loco totius noui Testamentis de Iudeis dici.

Hæc verba quæ restant; *Si Ecclesiam non audierit, esto tibi tanquam Ethnicus aut Publicanus*, hæc, inquam, verba vel contumaciæ pœnam apud eosdem magistratus, qui iam litem diremerant, important; vel vlteriorem eiusdem criminis & nominis delationem apud alios & superiores Iudices, qui faciliùs insolentiam rei reprimerent & refrænarent. Si contumaciæ pœnam significant, ea pœna vel à magistratu, qui contemnitur; vel ab actore qui deluditur, proficiscatur oportet. Repugnanti contra magistratum pœna capitis[k] iure diuino est constituta. Hanc Christus nec abrogare, nec mitigare voluit; vtpote qui non est missus vt politeian Mosis emendaret, aut imperij Romani iura refringeret, sed vt regnum cœlorum hominibus reseraret. Et sanè Rectores gentis Iudaicæ, infensissimi eius & discipulis & doctrinæ, nunquam illius aut præcepto aut consilio paruissent, nec quenquam illius iussu pro Ethnico habuissent aut Publicano. Postremò verba ipsa singularem personam denotant, *Esto tibi tanquam Ethnicus*; tibi, *inquit*, tantum abest vt publicam aliquam constituat pœnam, quam illius Reipub. gubernatores ex eius authoritate infligerent.

k Deut. 17.

Quod ad priuatam personam, quamuis læsam, attinet; ei nullam prorsus spem vindictæ facit Christus. Prophetas falsos vitare debemus, nec cũ manifestis & obstinatis peccatoribus familiariter & amicè versari; iniurias verò priuatas patientia tolerare licet, sed vim vi repellere, aut par pari reddere penitus Christianis non licet, nisi publico iure gladij diuinitùs armentur.[l] *Nolite resistere malo*, inquit Christus, *sed siquis tibi pugnum in dexteram malam inflixerit, obuerte illi & alteram; aut si litem tibi de tunica intendat, dimitte ei etiam & pallium.* Nusquam igitur nobis permisit Christus, vt à fratre nobis iniuriam faciente, similiter abhorreamus, atque

l Math. 5.

Iudæi

Iudæi ab Ethnicis & Publicanis. Animus ad æquanimitatem & tolerantiam benè compositus fratrem in se peccantem tanquam prophanum reijcere non potest, certè non debet. Quare non aliud perfugium læsis reliquit Christus, quàm vt vbi neque æquitas neque charitas apud aduersarium obtineret, supremum forum, quod tunc scilicet Romanum erat, ad illius audaciam frangendam adiretur. Sic enim cum Ethnicis ac Publicanis agebatur, quos ad Romanum Præsidem pertrahere oportebat. Ea enim authoritate ac potestate erat Præses Romanus, vt inuitos ac repugnantes stare iudicatis, ac sententiæ parere, vinculis, exilijs, ac capitis supplicio posset cogere. Atque ita mea quidē sententia exponi hac verba possunt: *Esto tibi tanquam Ethnicus aut Publicanus*, id est, fratrem tuum nullo modo iuri aut iustitiæ cedentem, cum omnia prius pertentaueris, ad Cæsaris tribunal tam pertinacem aduersarium perducito, quemadmodum rebus tuis consuleres, si tibi Ethnicus aut Publicanus iniuriam faceret.

Quòd si cui hæc interpretatio non satis probetur, per me illam alteram sequatur licet, vt pars oppressa hosce immanes & violentos homines deuitet; non secus atque Ethnicos & Publicanos; scilicet ab eorum familiari conuictu ac societate sibi temperando, donec ad humanitatem & æquitatem se componant; ita tamen vt animi nullam acerbitatem aut ægritudinem intus foueat, aut foris euomat. Est vbi Sanctus Augustinus ita hunc locum exposuit:[m] *Si nec Ecclesiæ audierit, sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus. Noli illum deputare iam in numero fratrum tuorum, nec ideò tamen salus eius negligenda est. Hoc ergo audiuimus Dominum ita monentem, & tanta cura præcipientem, vt etiam hoc adderet continuò, Amen dico vobis, quæcunque ligaueritis super terram, ligata erunt & in cœlo: Cœpisti habere fratrem tuum tanquam Publicanum, ligas illum in terra; Cùm autem correxeris, & concordaueris cum fratre tuo, soluisti illum in terra. Cùm solueris in terra, solutus erit & in cœlo.*

[m] De verbis Dom. ser. 16.

Sunt qui nihil opus esse putant vt Christus Iudæos doceret, quemadmodum in litibus & priuatis iniurijs se gererent; quòd

quòd ea cura potiùs ad iuriſconſultos, quàm ad Miniſtros verbi ſpectet. Sunt alij, qui nullum verborum ſubſequentium vſum vident, [n] *Amen dico vobis, quicquid ligaueritis, ſoluerit iſve in terris, erit ligatum aut ſolutum in cœlis*, niſi vt terreantur homines à periculo excommunicationis, & Eccleſiaſticæ cenſuræ contemptu. Quare vt illorum fert opinio, verba illa quæ præcedunt, Eccleſiæ faciunt poteſtatem obſtinatos è cœtu piorum pellendi, ac inter Ethnicos numerandi.

n Matth. 18.

Ad primum reſpondeo; Chriſtum optimè potuiſſe inſtituere auditores ſuos in qua re cunque, quæ officium erga Deum & proximum attingeret. Iam autem quemadmodum ius ſuum perſequerentur ſine Dei aut proximi offenſione, vtriuſque officij conſiderationem habet. Ad ſecundum; Verba illa ſequentia non tam poſteriorem, quàm priorem partem præcedentis ſententiæ confirmare. Nam nulli dubium eſſe poteſt, quin iuſtum Eccleſiæ iudicium Deo ratum habeatur. Quocirca Dominus hoc in loco affirmat, conſenſum etiam duorum modò, qui in illius nomen conueniant, id eſt, ad illius voluntatis præſcriptum, in cœlis vim habere. Addit enim: [o] *Rurſum dico vobis, quòd ſi veſtrûm duo in rem quampiam conſenſerint, quicquid petierint, præſtabitur illis à patre meo, qui in cœlis eſt.* Quamobrem non ſolùm Synedrij ſententia, ſed correptio fratris abiectiſſimi læſi à nobis & indignè vexati, vel admonitio inter priuatos adhibita, non parui æſtimanda eſt; quandoquidem Dominus de cœlo vota & preces exaudit vel duorum in illius nominis gloriam, & mutuam vtilitatem conſentientium: & in hijs priuatis iniurijs condonandis ampliorem habet poteſtatem, qui oppreſſus eſt, quouis Iudicum, Paſtorum, aut Presbyterorum conuentu.

o Matth. 18.

Quod igitur de ligando & ſoluendo dicitur, id hanc ſententiam habere poteſt. Qui ius & æquitatem conculcando tenuiores fratres iniurioſè tractant; vtvt priuatas correptiones & monitiones ſpernant; vtvt magiſtratus etiam publici iudicia & authoritatem flocci faciant, modò ſpes ſit prætextu iuris, longíſve appellationum ambagibus aduerſarium ſumptibus & moleſtijs fatigandi; Dominus tamen & magiſter

ſter noſter certò affirmat futurum, vt manus Dei vindicis nunquam effugiant. Gemitus & dolor fratris illorum conſcientiam iuſta expoſtulatione verberantis, eos apud Dei tribunal in reos referet; quantò magis legitima ſacroſancti magiſtratus ſententia confirmabitur in cœlis, diuinamque vindictam in ſceleratos & iniquos arceſſet.

Poſtremò, ſi quis hæc Seruatoris verba: *Si Eccleſiam non audierit, eſto tibi vt Ethnicus aut Publicanus*; longiùs ad legitimam excommunicationis vim tantummodò in cauſis fidei & morum emendandorum ſtabiliendam deducat; & eò magis, quòd veteres orthodoxi Patres frequentes in hanc iuerunt ſententiam, non ſanè pugnabo; neque enim libenter ab illorum veſtigijs diſcedo, modò Catholicorum Patrum ſententias & teſtimonia ſincerè & incorruptè proferat, non verbum vnum aut alterum contra propoſitum & ſenſum authorum captet. Certò enim mihi perſuaſum eſt, neminem vnquam orthodoxorum Patrum, Eccleſiæ Chriſtianæ regimen ad Iudaici Synedrij regulam & amuſſim exegiſſe, aut vllis Laicis ſenioribus claues regni cœlorum, Apoſtolis & eorum ſucceſſoribus à Chriſto traditas, in manus dediſſe, vt in executione iuriſdictionis Eccleſiaſticæ & excommunicationis cenſura, eos pari poteſtate Paſtoribus adiungeret.

p *Quicquid ligaueritis in terra, erit ligatum & in cœlis, & quicquid ſolueritis in terra, ſolutum erit in cœlis. Terreni Principes poteſtatem etiam ligandi habent, ſed corpus ſolùm. Hoc vinculum Sacerdotum animam ipſam pertingit, peruaditq; etiam in cœlum, vt quicquid Sacerdotes hîc infrà facient, Deus ſupernè ratum habeat, & iudicia ſeruorum confirmat Dominus.* Sic Ambroſius: p Chryſoſt. de Sacerdo. lib. 3

q *Eccleſia in vtroque ſeruat obedientiam, vt peccatum & alliget, & relaxet. Dominus enim par ius & ſoluendi eſſe voluit, & ligandi, qui vtrumque pari conditione permiſit. Ergo qui ſoluendi ius non habet, nec ligandi habet. Quomodo igitur poteſt alterum licere, alterum non licere? certum eſt vtrumque Eccleſia licere. Ius enim hoc ſolis permiſſum eſt Sacerdotibus. Rectè igitur Eccleſia vendicat, quæ veros Sacerdotes habet.* Sic Hieronymus: q Ambroſ. de pœnit. lib. 1. cap. 2.

r *Quia dixerat, ſi Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus & Publicanus; & poterat contemptoris fratris hæc occulta eſſe reſpon-* r Hieron. in Mat. cap. 18.

ſponſio, vel tacita cogitatio; Si me deſpicis, & ego te deſpicio; ſi tu me condemnas, & mea ſententia condemnaberis: poteſtatem tribuit Apoſtolis, vt ſciant humanam ſententiam diuina ſententia roborari, & quodcunque ligatum fuerit in terra, ligari pariter & in cœlo. Et Hilarius: [f] *Ad terrorem maximi metus, quo in præſens omnes continerentur, immobile ſeueritatis Apoſtolicæ iudicium præmiſit; vt quos in terris ligauerint, id eſt, peccatorum nodis innexos reliquerint; & quos ſoluerint, confeſſione videlicet veniæ receperint in ſalutem, hij Apoſtolicæ conditione ſententiæ in cœlis quoque aut ſoluti ſint, aut ligati.*

[f] Hilar in Mat. cap. 18.

Concludamus itaque nullam eſſe vel analogiam, vel imitationem Iudaici Synedrij, neque illius ſummi, neque inferioris in quaque vrbe aut expectandam, aut admittendam in *Eccleſia Chriſti: præterea illa verba Matthæi decimo octauo,* in quibus quidam recentiores fundamenta iaciunt Laicorum Presbyterorum, plurimum diſtare ab iſtiuſmodi conſtructione aut concluſione: denique Catholicos veteres Patres in illius loci expoſitione, iſtius noui regiminis prorſus nullam feciſſe mentionem.

CAP. V.

De Apoſtolorum prærogatiua & authoritate, tum antè, tum poſt Chriſti aſcenſionem.

QVanquam Dei Filius, dum in terris nobiſcum verſaretur, nullam Eccleſiam coëgit, nec Iudæorum Sanhedrin perpetuis ſæculis inter Chriſtianos duraturũ ſtabiliuit, quantum quidem ex ſacris literis doceri poteſt: ne tamen Dei domus imperfecta relinqueretur, aut meſſis illius non colligeretur, quoſdam operarios, dum hìc degebat, præ cæteris ſelegit; quibus præcipuam curam, inſpectionem & gubernationem, poſt ipſius è terris deceſſum, Dei domus ædificandæ, & cœleſtis agriculturæ procurandæ demandauit. Ob quam cauſam, dum adhuc inter homines viuebat, diſcipulorum ſuorum duos ordines diſtinctos habuit; alios quidem Apoſtolos, tanquam ſummæ

mæ authoritatis [a] *duodecim* legatos; alios autem [b] *septuaginta* quidem illos numero, sed inferiore loco, quos ante sese ad quamcunque venturus esset ciuitatem aut pagum emisit, vt regnum Dei annunciarent.

a Luc.6.
b Luc.10.

Illos duodecim ampliore delegatione, maiori authoritate, potioribus Spiritus sancti donis cumulatos, mandatis omnibus perfectissimè instruxit: hos verò septuaginta, licèt in eadem messe operarios, & eiusdem Euangelij nuncios; nec tanta potestate, nec tantis donis excellere voluit. Nam illi, non isti, quasi perpetui quidam comites & domestici sectatores, omnes illius sermones audiebant, omnium operum spectatores aderant assidui, vtpotè delecti qui ipsius doctrinæ, miraculorum, afflictionum, mortis, & resurrectionis *vniuerso mundo certissimi & locupletissimi* testes essent futuri. Illi, non alij ad mensam assidebant, in qua postremam illam & cœlestem cœnam instituit, & soli sacras illas preces, quas tunc fudit; consolationes illas dulcissimas, quas tunc adhibuit; augustissima illa promissa, quæ tunc fecit; auribus accepêre. [c] Illis data est ampliſſima illa orbem vniuersum obeundi, docendi, ac baptizandi prouincia; vtque Pater misit Filium suum, ita Filius misit illos, nempe Apostolos, hoc est à suo latere legatos; non solùm vt veritatem cœlestem prædicarent, & Ecclesias in vniuerso orbe fundarent, sed etiam vt fidelibus in omnibus causis fidei & morum, Christi nomine & authoritate præciperent; vt ordinem in administranda Ecclesia præscriberent; vt quicquid ad propagationem, pacem, & vnitatem Ecclesiæ conseruandam pertineret, stabilirent; vt rebelles ac refractarios coercerent; vt Ecclesijs sinceros præponerent Pastores; vt ora obstruerent ijs, qui turpis lucri causa, quæ non oportebat docerent; denique vt eos Satanæ dederent, qui nullum blasphemijs & flagitijs finem imponerent, aut modum statuerent.

c Matth.18.

Quid numerem ampliſſima illa Spiritus sancti charismata in Apostolos profusa? Quid illam certissimam & ab omni errore liberam illustrationem cœlestis doctrinæ, vt siue dicerent, siue scriberent, nihil prorsus nisi diuina funderent

d Act.2. rent oracula, idque omnibus omnium gentium [d] linguis? Quid sanationis donum, adeò vt vel ipsorum [e] vmbræ præ-
e Act 5. tereuntium, vel sudaria, quæ illorum corpora modò attigissent, ægrotos curarent? Quid potestatem in dæmones,
f Ibid.19. quos verbo in Christi nomine expellebant? Neque istis tantùm pollebant donis, idque longè maiori, quàm alij quiuis, mensura; sed etiam ipsis, non autem cæteris datum est, vt manuum impositione eadem alijs communicarẽt. Cùm Philippus Samaritanos fide imbuisset, nemo eorum, licèt baptismo in Christi nomine initiati essent, miranda Spiritus sancti dona accepit; donec Petrus & [g] Iohannes eò descendentes pro eis orarent, & manibus impositis ea spiritus charismata tribuerent. Philippus iam antè verbum & sacramenta dispensarat, sed tamen ille, quamuis Spiritu sancto plenus, & vnus ex illis septem, quos Ecclesiæ curandæ præfecerant Apostoli, dona illa impertire non potuit. Hæc Apostolorum prærogatiua peculiaris erat, vtpotè supremæ cuiusdam in Ecclesia vocationis & authoritatis amplissimæ documentũ. Paulus itidem, cum duodecim Ephesi discipulis manus imposuisset, protinus [*] alijs linguis loquuti sunt, & prophetabãt.

g Act.8.

[*] Act.19.

Ex quo cernimus tum viuentem in terris, tum regnantem in cœlis Seruatorem nostrum, distinctionem manifestam inter Apostolos & reliquos discipulos etiam tum verbi Ministros retinuisse. Apostolis enim semper intimos habebat, & in oculis ferebat; regni Dei mysteria omnia illos perfectissimè docebat; eis amplissimam prouinciam orbis terrarum ad fidem conuertendi delegauit; eosdem post ascensum in cœlos vberiori Spiritus sancti gratia quàm alios vllos ditabat, quò scilicet difficiliori & magis arduo muneri sustinendo pares esse possent.

Quod vt magis liqueat, meminerimus Dominum in deligendis duodecim discipulis, qui Præceptori ad omnia præstò essent; & alijs septuaginta, qui semper præirent, cùm ipsius primùm Ecclesia colligeretur; ad veterem Iudæorum
h Num 1. politeiã respexisse; in qua [h] duodecim Principes ex singulis
i Num.11. tribubus singuli sunt à Deo selecti, & postea [i] septuaginta primarij viri cæteris in Concilium adiuncti. Ex qua diuersi-

tate

tate tam numeri quàm gradus, apparet non eandem omnibus nec in populo Dei, nec in Ecclesia Christi gubernatoribus fuisse dignitatem. Præterea cùm Iudas per summũ scelus Apostolatu decidisset, alius in eius locum ex septuaginta discipulis suffectus est; quod nulla ratione factum esset, si eandem cum Apostolis vocationem & authoritatem antea habuisset. [k] *Nam qui prouehitur, de minore ad maius prouehitur*. Iam verò Matthian ex septuaginta discipulis, non ex Laicis assumptum fuisse, ex eo constare potest, quòd omnes Apostolos ipsius Christi voce ἀμίσως vocari, quomodo & illi septuaginta vocati fuerunt, non autem ab hominibus ordinari oportuerit. Quæ causa fuit Apostolis, nullas vt super Matthian imponerent manus, quippe iam antea ab ipso Christo inter septuaginta discipulos collocatum. Accedit etiam Veterum authoritas; Hieronymi; [l] *Matthias cùm vnus esset è numero septuaginta, allectus est in ordinem vndecim Apostolorum in locum Iudæ, qui fuit proditor*. Epiphanij, [m] *Christus septuaginta duos ad prædicandum misit, ex quorum numero Matthias erat, qui in locum Iudæ inter Apostolos est annumeratus*. Eusebij, [n] *Matthias qui in locum Iudæ proditoris ad Apostolos electus, eandem cum septuaginta discipulis vocationem habuit*.

k Hieron. in epist. ad Euagrium.

l De Script. Eccles. in Mat.

m In fine com. 1. cont. hæreses.

n Euseb. l. 1. cap. 12. & lib. 2. cap. 1.

Paulus varia dona & administrationes in Ecclesia percensens ita loquitur: [o] *Deus constituit in Ecclesia, primùm Apostolos, deinde Prophetas, tertiò Doctores, tum potestates, deinceps dona sanationum, opitulationes, gubernationes, genera linguarum*. Apostolos enumerat vt primos, non ordine solùm, sed etiam dignitate & excellentia: quod ex ea similitudine manifestũ est, quæ à corpore deducitur humano, in quo partes quædam honoratiores, quædam infirmiores & inhonestiores censentur. Quæ est etiam Chrysostomi obseruatio: [p] *Quoniam quidam linguarum dono magnifice turgebãt, hoc postremum omnium collocat. Neque enim primum & secundum hîc numeri gratiâ vsurpantur, sed quod gradu sublimius est, quodq; inferius, designat. Quam ob causam Apostolos anteponit, vt qui omnibus donorum generibus præditi erant. Non ait, Alios constituit Deus Apostolos esse, alios Prophetas esse; sed primo, secundo, tertio*

o 1. Cor. 12.

p Homil. 32. in 1. Cor.

tio loco. Ita Ambrosius: [q] *Caput in Ecclesia Apostolos collocat, qui Christi legati sunt.* Hieronymus de duodecim fontibus & palmis septuaginta duabus, ad quas Israelitæ in Elim peruenerunt, ita scribit: [r] *Nec dubium, quin de duodecim Apostolis sermo sit, de quorum fontibus aquæ derivatæ totius mundi siccitatem rigant. Iuxta has aquas septuaginta creuerunt palmæ, quas & ipsos secundi ordinis intelligimus præceptores; Luca Euangelista testante, duodecim fuisse Apostolos, & septuaginta discipulos minoris gradus, quos & binos ante se Dominus præmittebat.* Et Augustinus: [s] *Quomodo quando oritur Sol, prius luce montes illustrat, & inde lux ad humillima terrarum descendit: sic quando venit Dominus noster Iesus Christus, prius radiauit in altitudinem Apostolorum, prius illustrauit montes, & sic lux eius descendit ad conuallem terrarum.* Sic Theophilactus ad eandem illam historiam de duodecim fontibus & palmis septuaginta cum Hieronymo alludens, inquit: [t] *Palmæ sunt isti (70. discipuli) qui nutriuntur ac eruditur ab Apostolis. Nam quamquam Christus hos etiam elegit, erant tamen duodecim illis inferiores, & posteà illorum discipuli ac sectatores.* Id quod eò magis credas quoniam longè anteà ab Eusebio & Clemente testatum est, [u] *Christum sui cognitionem Apostolis tradidisse, Apostolos autem posteà septuaginta discipulis.*

q Amb. in 12. 1. ad Cor.

r Hiero. de 42. mansio. mans. 9.

s Augustin in Psal. 35.

t Theophil. in Luc. c. 10.

u Euseb. lib. 2. cap. 1.

Prætereà Apostolos eminente quodam gradu fuisse supra Prophetas, Euangelistas, Pastores, & Doctores in Ecclesia Dei, vsque adeò vt eos regerent, ac pro sua authoritate eis præciperent, obscurum esse non potest; si modò spectemus quid Apostolus Paulus, & de sese, & ad illos scribat, dum Prophetas & Euangelistas (multo magis Pastores & Doctores) dirigit & instruit; quid faciendum, quomodo in Ecclesia Dei versandū, quid in semetipsis deuitandum, quid in alijs reprehendendum & coërcendum. Qua in re nemo ausit Apostolum calumniari, quòd vocationis suæ fines trāsilierit, aut aliam quandā ab Apostolico munere delegationem acceperit; quin potiùs in illius dictis, factis, scriptis eminentiam & prærogatiuam Apostolicæ potestatis perspicuè relucentem videmus; sed ita sapientiæ, modestiæ, & mansuetudinis spiritu temperatam, vt Christianum neminem

nem offenderit, nisi forsan eos qui vel fastu tumescerent, vel ad fabulas diuerterent, vel suarum concertationum procellis Ecclesiæ fundamenta concuterent.

Ab Apostolico spiritu & potestate prouenerunt hæ voces, & eiusdem generis aliæ plurimę, quas in omnibus Pauli Epistolis obseruare poterimus. [x] *Denunciamus vobis fratres per nomen Domini nostri Iesu Christi, vt subducatis vos ab omni frater, qui inordinatè se gerit, & non ex ea traditione, quam accepit à nobis.* [y] *Confidimus autem per Dominum de vobis, quæ denunciamus vobis, & facere vos, & facturos esse.* [z] *Laudo vos fratres, quòd omnia mea meministis, & sicut tradidi vobis, traditiones retinetis: Reliqua verò, cùm venero constituam.* [a] *Porrò de collecta in Sanctos, quemadmodum constitui in Ecclesijs Galatiæ, ita & vos facitote.* Et cum Prophetas ipsos atque Pastores de donorum quorundam abusu admoneret, ita inquit. [b] *Si lingua quis loquitur, per binos (fiat) aut ad summum per ternos, idq; vicissim; vnus autem interpretetur. Quòd si non sit interpres, taceat in Ecclesia, sibi ipsi verò loquatur, & Deo. Prophetæ autem duo aut tres loquantur, & alij dijudicent. Quòd si quid alteri patefactum fuerit assidenti, prior taceat. Mulieres vestræ in Ecclesijs sileant; quòd si quid discere velint, domi viros suos interrogent. Si quis videtur Propheta esse aut spiritualis, agnoscat quæ scribo vobis, Domini esse mandata*

Et cum audisset [c] *Lites, æmulationes, contentiones, obtrectationes, tumultuationes,* & alia multa vitia Corinthi regnare, idque non in plebe solùm, sed etiam in [d] ijs, qui eò venientes Euangelij prædicandi gratia, Pauli authoritatem & existimationem apud Corinthios labefactabant; ita minatur: [e] *Arma militiæ nostræ non carnalia sunt, sed in Deo valida, ad subuersionem munitionum; quibus consilia demolimur, omnemq; sublimitatem quæ extollitur aduersus cognitionem Dei, & captiuam ducimus omnem cogitationem ad obediendum Christo; & in promptu habemus, quo vindicemus omnem contumaciam, postquam impleta fuerit vestra obedientia. Si amplius etiam quippiam glorier de potestate nostra, quam dedit nobis Dominus ad ædificationem, non ad subuersionem vestri, non pudefiam.* [f] *Hæc absens scribo eis, qui anteà peccarunt, & reliquis omnibus; fore, vt si denuò*

x 2.Thes.3.
y Ibidem.
z 1.Cor.11.
a 1.Cor.16.
b 1.Cor.14.
c 2.Cor.12.
d 2.Cor.11.
e 2.Cor.10.
f 2.Cor.13.

denuò venero, non parcam. Quandoquidem experimentum quæritis in me loquentis Christi, qui erga vos infirmus non est, sed potens est in vobis. Propterea hæc absens scribo, ne præsens seueritate vti cogar, ex potestate, quam dedit mihi Dominus ad ædificationem, non ad destructionem.

Cum autem Timotheum instrueret, quo pacto Ecclesiam Ephesinam gubernaret; non præceptis solùm, sed & authoritate eum communiuit in hunc modum. g *Quemadmodum te rogauit precatus, vt permaneres Ephesi, cum ego in Macedoniam proficiscerer, ita facito; vt denuncies quibusdam, ne diuersam doctrinam doceant, nec attendant fabulis. Hoc mandatum commendo tibi fili Timothee. Hymenæum & Alexandrum tradidi Satanæ, vt discant amplius non blasphemare.* Posteà cùm quæ dotes & conditiones in Episcopis & Diaconis requirantur, priusquam in ministerium ascribantur, copiosè exposuisset; adiecit. h *Hæc ad te scribo, vt noris quomodo oporteat te in domo Dei versari, si tardiùs venero.* i *Iuniores viduas recusa. Velim enim eas nubere, liberos gignere, domos administrare. Vidua allegatur non minor annis sexaginta. Aduersus Presbyterum accusationem ne admittito, nisi sub duobus aut tribus testibus. Eos qui peccant coram omnibus argue, vt reliqui timeant. Manus citò ne cui imponito, ne cum alienis communices peccatis.* Et cùm doctrinæ sanæ, vitæ synceræ, regiminis salutaris præcepta commemorasset quàm plurima; authoritatem Timotheo, vt hæc ab alijs exigeret, hijs verbis impertijt. k *Hæc denuncia, & doce. Nemo iuuentutem tuam despiciat.* l *Obtestor in conspectu Dei, & Domini Iesu Christi, & electorum Angelorum, hæc serues; absque eo, vt vnum alteri præferas, nihil faciens in alteram partem declinando.* Et in ipso penè calce Epistolæ. m *Denuncio tibi coram Deo, qui viuificat omnia, & Iesu Christo, qui testatam fecit coram Pontio Pilato bonam professionem, vt serues mandatum hoc sine macula & reprehensione vsque ad illustrem aduentum Domini nostri Iesu Christi.*

Hoc eodem modo ad alium quendam σύνεργον suum in Euangelio Titum scribens, Apostolicam suam functionem, & præcipiendi authoritatem demonstrat: n *Huius rei gratia reliqui te in Creta, vt, quæ reliqua sunt, pergas corrigere: & constituas*

g 1. Tim. 1.
Ibidem.
h 1. Tim. 3.
i 1. Tim. 5.
k 1. Tim 4.
l 1. Tim. 5.
m 1. Tim 6.
n Tit. 1.

ſtituas oppidatim Preſbyteros, ſicut ego tibi mandaui. Sunt enim multi refractarij, & vaniloqui, & mentium deceptores, quibus oportet os obturari. Domos enim totas ſubuertunt, docentes quæ non oportet, turpis lucri cauſa. Hos ſeuerè redarguito, vt ſani ſint in fide, neque attendant Iudaicis fabulis, & mandatis hominum auerſantium veritatem. o *Hæc loquere, & exhortare, & redargue cum omni imperio. Nemo te deſpiciat.* p *Hæreticum hominem poſt vnam aut alteram admonitionem reijce.* Hijs & huiuſmodi mandatis ſeſe vbique pro Chriſti legato ampliſſima poteſtate prædito gerit, & in omnibus fidei, morum, & diſciplinæ neceſſariæ cauſis Apoſtolum, ac Doctorem ſe eſſe gentium declarat. In quibus omnibus, non ſolùm populus fidelis, ſed ipſi etiam Paſtores, Prophetæ, Euangeliſtæ illius ſynceritatem animaduertentes, & authoritatem ſummam reueriti, voci eius obtemperarunt: vtpote qui q *Dei ſpiritu* vberrimè perfuſus eſt, vt Eccleſiam Chriſti inter gentes plantaret, rigaret, doceret, & inſtrueret quàm perfectiſſimè.

o Tit.2.
p Tit.3.
q 1.Cor.7.

Sed quis cuncta commemoret, quæ in hanc ſententiam ex eius Epiſtolis adduci poſſint? Hoc certè perſpicuum eſt, Apoſtolicam functionem & vocationem reliquis omnibus in Eccleſia miniſterijs, ſcilicet Diaconorum, Doctorum, Paſtorum, Prophetarum, Euangeliſtarum, ſeptuaginta Diſcipulorum ſuperiorem fuiſſe; & hanc prærogatiuam gradus ac authoritatis, illis ab ipſo Seruatore, dum in terris vixit, datam & conceſſam: & poſt aſcenſum eius in cœlos, mirificis illis Spiritus ſancti virtutibus & donis ab eodem confirmatam fuiſſe, ac etiam ob omnibus fidelibus quamdiù in hoc mundo verſati ſunt Apoſtoli, ſumma cultam obſeruantia, & agnitam obedientiſſimè: nemine repugnante, nemine refragante, niſi ſi qui diſcipulos poſt ſe abducerent, in quos dominarentur, aut ſimplices à veritatis amore pellicerent, vt eos depecularentur.

Diotrephen quendam aſperiùs perſtringit Johannes, quòd ipſius authoritatem & functionem Apoſtolicam contemneret, hijs verbis: r *Ad Eccleſiam ſcripſi, ſed qui primatum inter eos ambit Diotrephes, non recipit nos. Propterea ſi venero,*

r Epiſt.Ioh.3

ſuggeram facinora eius, quæ fecit: verbis improbis in nos garriens.

Longè alio fuerũt animo probi Paſtores & Doctores, qui cũ omni ſummiſſione & obſeruãtia Apoſtolis paruerunt, vtpote diuinæ voluntatis nuncijs exploratiſſimis, & myſteriorum Chriſti fideliſſimis interpretibus: atque inter Apoſtolicam, & ſuam functionem, maximum intereſſe diſcrimen verè & ingenuè agnouerunt. Sic ad Romanos Ignatius: [f] *οὐχ ὡς Πέτρος καὶ Παῦλος διατάσσομαι ὑμῖν: ἐκεῖνοι ἀπόστολοι Ἰησοῦ Χριστοῦ, ἐγὼ δὲ ἐλάχιστος. Nihil vobis mando, vti Petrus & Paulus fecerunt: illi enim Christi Apoſtoli fuerunt, ego verò omniũ minimus.* Et idem, [t] *οὐχ ὡς ἀπόστολος διατάσσομαι, ἀλλ' ἐμαυτὸν μετρῶ. Non vt Apoſtolus præſcribo, intra fines meos me contineo.* Cuius rei nulla certior confirmatio poteſt afferri, quàm quòd vniuerſa Eccleſia etiam tum, & poſteà ſemper, omnia præcepta, mandata, monita, regulas Apoſtolicas pro Spiritus ſancti oraculis amplexa, in authenticis & canonicis ſcriptis repoſuit. Quòd ſi eodem Spiritu docuerunt, quo ſcripſerunt, (de quo nemo bonus ambigat;) quemadmodum iam nefarium eſſet eorum ſcriptis, concionibus, epiſtolis fidem abrogare, ita eo tempore, nemo Paſtor, Doctor, Euangeliſta, illis docentibus aut decernentibus ſine ſummo ſcelere reſiſtere potuit; ex quo in omnes & ſupra omnes eorum authoritas apertiſſimè concluditur.

f Ignat. ad Romanos.

t Idem ad Tralianos.

Hoc enim Apoſtolici muneris inſigne fuit, quòd Spiritus ſanctus eos in omnem veritatem duxerit; quòd omne Dei conſilium ijs patefecerit; & eorum linguas & calamos ita moderatus ſit, vt nullis in rebus docendo vel ſcribendo lapſi ſint, nec vſpiam de recta religione vel tantulum deflexerint; quæ laus in nullum noui Teſtamenti Prophetam aut Euangeliſtam tam propriè cadit. Hinc eſt quòd hiſtoriæ illæ à Marco & à Luca exaratæ canonicam authoritatem nactæ ſint, non tam ex Scriptorum nominibus, qui eas ediderunt; quàm ex Apoſtolorum ſuffragijs, qui eas lectas approbarunt, Eccleſijſque ſuo teſtimonio commendarunt. Huius rei teſtis eſt ipſe Lucas in Euangelij ſui exordio. [u] *Quemadmodum tradiderunt nobis, qui à principio ſpectatores ipſi & Miniſtri fuerunt ſermonis; viſum eſt mihi, quum iam penitus*

u Luc. 1.

tus

tus omnia scrutatus essem, ordine præscribere. De hoc scripto in omnibus Ecclesijs recepto iam & comprobato, Paulus ait:[x] *Misimus autem vnà cum eo fratrem illum, cuius laus est in Euangelio per omnes Ecclesias.* Neque enim tanto & tam constanti fidelium in omnibus locis consensu receptus esset ille codex, nisi Apostolorum, qui tum Ecclesias moderabantur, accessisset authoritas. De Euangelio Marci à Petro præceptore illius approbato, idem testatur Hieronymus cum alijs. [y] *Marcus discipulus & interpres Petri, iuxta quod Petrum referentem audierat, rogatus Romæ à fratribus, breue scripsit Euangelion: Quod cum Petrus audisset, probauit, & Ecclesiæ legendum sua authoritate edidit, sicut Clemens in sexto Hypotypωseωn libro scribit.*

x 2. Cor. 8.

y Hieron. in Mar. Euseb. lib. 2. cap. 15.

Non est igitur de Apostolico iure præcipiendi quibuscuis relictus dubitandi locus, nec quisquam benè sanus de potestate corripiendi, redarguendi, vlciscendi, disponendi, ordinandi illis diuinitùs concessa quicquam ausit detrahere. Nam quod in omnibus causis tam ad morum & fidei sanitatem tuendam, quàm ad decus & ordinem in cœtu fidelium retinendum, fratribus & compresbyteris præscripserint, præceperint, & obedientiam ab eis Christi nomine exegerint, ac contumaciam in hostibus Euangelij vindicauerint, an est quisquam tam demens, qui eos ambitionis aut tyrannidis insimulabit? Sed Paulus forsitan de hijsce rebus presbyterion consuluit, & ad numerum punctorum, aut nutum cæterorum ista decreuit? Nihil minus. Quin potiùs fulminantem audiamus: [z] *Ita in omnibus Ecclesijs doceo.* [a] *Si nos, aut Angelus de cœlo aliter doceat, anathema esto.* [b] *Perinde quasi non sim venturus ad vos, inflati sunt quidam. Sed veniam breui Domino volente, & cognoscam non verba istorum, qui inflati sunt, sed virtutem.* [c] *Quòd si quis non obedit nostro sermoni, per epistolam hunc notate, & ne commercium habete cum eo, vt cum pudeat.*

z 1. Cor. 7.
a Gal. 1.
b 1. Cor. 4.
c 2. Thess. 3.

Sub Apostolis certi fuerunt discipuli, quos secum ducebant tum in solatium itinerum, tum in laborum leuamentum. Hij cum militiæ Christianæ tyrocinium expleissent, & morum ac doctrinæ sanæ specimen edidissent tantis præceptoribus

toribus non indignum; partim ab Apostolis ad alias plantandas Ecclesias discessuris alicubi relicti sunt; partim ab ijsdem, quò tulit occasio, missi vt inchoata perficerent, vt collapsa instaurarent, vt falsos & pernicioſos doctores auerterent à plebe, si non præuerterent; vt Ecclesias inuiserent, & doctrinam ab Apostolis traditam, ordinemque constitutum, sartum tectum conseruarent. Hij quò diligentiùs in Christi cognitione & pietate erudirentur, cum Apostolis in Euangelio seruierunt tanquam cum parentibus filij. Sic Paulus de Timotheo: [d] *Probationem eius nostis, quòd tanquam cum patre filius, ita mecum seruierit in Euangelio.* De hijs [e] *mandata acceperunt Ecclesiæ*, vt si ad eas veniſſent, eos omni obseruantia ac cura amplecterentur, [f] *vt eos cum omni gaudio susciperent, & summo in pretio haberent.*

d Phil. 2.
e Col. 4.
f Phil. 2.

Ex horum ore, vtpote qui Apostolorum mentem, sensus, sermonem propter assiduum cum eis conuictum, optimè callerent; alij Pastores & Doctores instituendi ac regendi erant. [g] *Permane in eis quæ didicisti*, (inquit Timotheo Paulus) *& quæ tibi concredita sunt, sciens à quo didiceris.* [h] *Et quæ audisti ex me inter multos testes, hæc committe fidelibus hominibus, qui idonei sint ad alios quoque docendos.* [i] *Misi vobis Timotheum qui est dilectus filius meus & fidelis in Domino, qui vobis in memoriam reducet, quæ sint viæ meæ in Christo, sicut vbique in omnibus Ecclesijs doceo.* Hijs mandatum erat ab Apostolo, [k] *vt denunciarent* & præciperent Pastoribus ac concionatoribus reliquis, [k] *ne aliter docerent*, scilicet ne falsam dissemi-narent religionem; [l] *vt ora eis obstruerent*, ac reijcerent, siqui id facerent; vt locis opportunis idoneos [l] *constituerent Ministros*; vt siquid deliquisset [l] *accusationem aduersus eos admitterent*, conuictos [m] *duriter & palàm redarguerent, idque* [n] *cum omni authoritate.* Hæc inquam, in mandatis ab Apostolo habuerunt, hæc coram Deo, & Christo, & electis Angelis, multis ac grauissimis obtestationibus illis imperata sunt. Quod si nihil aliud authoritatis in illis residebat, nisi vt Presbyteros conuocarent Apostoli monita proponerent, suffragia colligerent, pro maioris partis arbitrio pronunciarent, ac exequutioni mandarent, quæ consistorio placerent;

g 2. Tim. 3.
h 2. Tim. 2.
i 1. Cor. 4.
k 1. Tim. 1.
l Tit. 1.
m 1. Tim. 5.
n Tit. 2

rent; quorsum istæ Apostoli obsecrationes? Dei, Christi, Angelorum electorum contestationes? Vbi Apostoli memoria? vbi prudentia, qui senatum totum non compellabat, vt præscriptiones ipsius inuiolatas seruaret? Eos verò, inuocato Dei ac Christi nomine obligaret, qui nihil iniussu Presbyterij facere possent; quod si attentarent, ex eorum sententia rescinderetur?

Cum itaque mandata ab Apostolis, & pariter authoritatem, quæ necessariò cum mandatis coniuncta est, ordinandi, examinandi, redarguendi, ac reijcendi Pastores & Presbyteros acceperint; cumque par in parem non habet imperium; efficitur tum Apostolos in præscribendo, tum Titum & Timotheum reliquosque similes in exequendo, eminentiorem cæteris Presbyteris locum & gradum in Ecclesia tenuisse; eosq; & potuisse, & perfeciſſe, quod ipsis imperatum erat, non expectato Presbyterorum assensu, aut consistorij decreto; & illius temporis Ecclesias hijs legatis, non secus ac Apostolis ipsis paruisse, quippe qui literis & præceptis Apostolicis essent instructi, quibus qui resisterent, Spiritus sancti dispositionem in Ecclesia regenda repudiarent.

CAP. VI.

Quonam dominatu, & quibus titulis Christus suos Apostolos prohibuit.

POtestas & prærogatiua Apostolorũ in omnes Ecclesiæ ordines, Euangelistas dico, Prophetas, Pastores, Doctores faciliùs admitteretur, nisi quædam Scripturarum loca prima specie viderentur repugnare: verbi causa cum Dominus discipulis suis [o] omni in fratres dominatu interdixit; cum Apostoli in idoneis hominibus ad [p] sacrum ministerium eligendis, in [q] Concilio celebrando vbi fidei grauissima quæstio est ventilata, in [r] manuum impositione, & [s] eiectione sceleratorum ex societate fidelium, si non Ecclesiam totam, alios certè multos adhibuerunt: sic vt authoritas illa Ecclesiam gubernandi & res omnes Ecclesiasticas administrandi multorum saltem

o Luc. 22.
p Mat. 20.
q Act. 6.
r Act. 15.
s 1. Tim. 4.
t 1. Cor. 5.

Presbyterorum communis, non Apostolorum propria videatur, Erit igitur operæpretium actiones istas excutere sigillatim.

Ac primùm in illa Apostolorum de principatu dimicatione, tam occasio contentionis, quàm concertantium affectio est ponderanda: Causam eius certaminis reperiemus, fuisse importunam illam matris Iacobi & Iohannis sollicitationem, qua postulauit vt Christo, in summa maiestate & gloria imperanti, filiorum alter ad [t] dextram, alter ad sinistram assideret. Quid in illa postulatione spectabant mater & filij, quid sperabant, hinc facilè potest intelligi. Cõcipiebant *illi, vt & reliqui Apostoli, (quippe adhuc infirmiores, necdùm potentia Spiritus sancti cœlitùs confirmati) terrestre* quoddam Christi [u] regnum, quale fuit Dauidis & Salomonis, Israelitis instaurandum: Somniabant eum, in throno Dauidis regali quodam & magnifico splendore, sessurum; nationes omnes ferreo sceptro subacturum, & ab eis obsequium, seruitutem, tributum, more cæterorum Principum exacturum: Denique quicquid Prophetæ, de rerum omnium vbertate, tranquillitate, fœlicitate, sub regno Messiæ vaticinati fuerant, id Zebedæi non adhuc [x] sapientes quæ Dei sed quæ carnis erant, neque quicquam de cœlesti & spirituali Christi regno [y] intelligentes, ad rerum terrenarum expectationem conuertebant, nec aliud sibi animo, quàm honores, dignitates, principatus, imperia, spe vana delusi, proponebant. Apostoli reliqui eodem errore ducti, nec minori ambitione elati, tametsi verecundiùs se gerentes animi morbum cælabant, duos illos fratres [z] indignabantur, & stomachabantur: & quò propiùs ad mortem Magister accedebat, eo magis efferbuit certamen, quis eorum esset maximus, & in illo mundano regno, quod sibi finxerant, plurima authoritate polleret.

t Mat. 20.

u Act. 1.

x Mat. 16.

y Luc. 18.

z Math. 20.

Hanc auream sed inanem spem & expectationem, discipulis suis, in vltima cœna vbi illa [a] cõcertatio recrudescebat, penitus ex animis euellit Christus, ac de manibus excussit. Nam pro certo dixit eis, regnum suum nihil minus quàm mundanum fore, neque expectandum eis vt Regũ ac Principum

a Luc. 22.

cipum more fratribus præsint ac imperent: Id enim hæc verba significant, [b] *Scitis Reges gentium in eas dominari, & magnates potestatem exercere, verum non ita erit inter vos*: Hoc est, vos talem potestatem ac dominationem, qualem illi exercent, non estis habituri. Non dixit, Vos omnino nullam eminentiam, nullã supra alios habebitis potestatem, *sed non ita erit inter vos* quemadmodum est inter illos. Quibus verbis omnem ciuilem dominationem & authoritatem iubendi, cogendi, ac iure gladij, id est, morte, exilio, vinculis, damno subditos coercẽdi Ministris prohibuit, permisit magistratibus. Nunquam Seruatori venit in mentem, diuersos ordines ac gradus ministeriorum ab Ecclesia sua summouere, nec à disparibus donis & officijs discipulos suos excludere, quin potiùs eodem loco præcipuam dignitatem & honorem singularem Apostolis pollicitus est; [c] *Vos estis qui permansistis mecum in tentationibus meis, & ego dispono vobis regnum sicut Pater meus disposuit mihi, vt edatis & bibatis in regno meo, & sedeatis super thronos, iudicantes duodecim tribus Israelis.*

b Mat. 20.

c Luc. 22.

Posteà, non vt Apostolos illo honore, quo maximi in suo regno essent futuri, Dominus spoliaret, sed vt admoneret quemadmodum ea dignitate absque Dei offensione, aut fratrum iniuria vterentur, subiunxit: [d] *Qui maximus est inter vos, sit tanquam si esset minimus: & qui præest, sicut qui ministrat.* Quo loco manifestam inter suos distinctionem ponit, & ab alijs alios ita separat, vt quosdam superiores, quosdam inferiores; minores quosdam, quosdam maiores esse significet: eaque eminentia & amplitudine sic vti iubeat, vt vel minimo cuique in ipsius commodum seruiant, nec pigeat [e] *Omnia fieri omnibus vt quosdam lucrifaciant.* Hoc ipsum, eodem tempore, Dominus non solùm verbis, sed etiam factis discipulos suos docuit. Nam cum pedes eorum abluisset, ac linteo quo erat cinctus abstersisset, ita inquit, [f] *Intelligitis quid fecerim vobis? Vos vocatis me magister, ac Domine: & bene dicitis: sum enim. Itaque si ego laui pedes vestros magister ac Dominus, vos quoque debetis alij aliorum pedes lauare. Exemplum præbui vobis, vt prout ego feci, & vos faciatis.* Tantum igitur abesse

d Luc. 22.

e 1. Cor. 9.

f Ioh. 13.

abesse deberent ab honorum ac gloriæ contentione, vt quo quisque præstantior & maior fuerit, eò citiùs infimum quemque ad Magistri exemplum, obsequio præuerteret.

Ex hijs igitur locis duo satis rectè concluduntur: vnum, ne quisquam Apostolus aut verbi Minister, officij sui respectu, aut vlla à Christo delegatione, coertionem violentam, vel aliquam cogendi potestatem vsurpet: hæc enim est propria magistratus. Alterum quantò quisque maior est in Ecclesia Dei, tantò se gerat summissiùs, & cum tenuissimis quibusque in eorum bonum se exæquet. Nam omnes in Ecclesia Ministros pari ac æquali authoritate esse oportere, aut ita vnquam Christum docuisse, adduci non possum vt credam, hijs potissimùm nixus fundamentis. Quod Christus Apostolis dederat, aut erat daturus, id nullis verbis auferre voluit: facti aut consilij sui non potest Filium Dei pœnitere. At verò Dominus in orbem vniuersum Apostolos misit, sicut ipse missus est à g Patre; suam ipsius vicem eis assignans, & eos amplioribus tum mandatis tum donis instruens, vt omni creaturæ prædicarent quod ab ipso didicissent: & cæteros omnes Ecclesiæ Pastores crearent, docerent, regerent: quæ potestatis & spiritus mensura nullis pòst Prophetis aut Euangelistis legitur concessa. Non igitur vllam partem Apostolicæ dignitatis vel potestatis, illis, aut alijs vllis verbis minuere voluit Christus, aut abrogare: tantùm hoc voluit, vt ad Dei gloriam & fratrum vtilitatem conferrent.

g Ioh.20.

Secundò quod Christus semel expressis verbis prohibuisset, id Apostolorum nullus Spiritu sancto loquens aut scribens sibi vendicaret. Ast Paulus in scriptis suis assumit sibi potestatem in alios Pastores, & Doctores Ecclesiæ, quod luce clarius capite superiori demonstrauimus. Nunquam igitur Christo venit in mentem omnes Pastores cum Apostolis suis adæquare. Tertiò si quicquam ex illis verbis pro æqualitate gradus concludi posset, id totum ad Apostolos ipsos est referendum, qui eiusdem inter se loci & ordinis fuerunt: non est ad cæteros extendendum, qui dignitate & potestate ab Apostolis superantur. h *Nam Apostoli omnes pari consortio præditi erãt honoris & potestatis:* vt inquit Cyprianus: & Apostoli

h Cypr. de Vnitate Eccles.

ſtoli cuncti, authore Hieronymo, [i] *Claues regni cœlorum acceperunt, & ſuper eos Eccleſiæ ſoliditas ex æquo fundata eſt.* Non igitur ſi Apoſtoli gradu & authoritate inter ſe fuerũt æquales, idcirco Paſtores ac Doctores pari cum illis iure cenſebuntur. *Aſſt Paulus*, inquiunt, *de ſe loquens ait:* [k] *Non quòd dominemur fidei veſtræ, ſed adiutores ſumus gaudij veſtri. Deinde Petrus Paſtores admonet,* [l] *Vt paſcant gregem Dominicum, non quaſi dominantes in hæreditatem (aut ſortem) Domini, ſed tanquam gregis exemplaria. Hoc etiam Patres teſtantur: Origenes;* [m] *Qui vocatur ad epiſcopatum, non ad principatum vocatur, ſed ad ſeruitutem totius Eccleſiæ. Hieronymus;* [n] *Epiſcopi Sacerdotes ſe eſſe nouerint, non Dominos. Bernardus;* [o] *Forma Apoſtolica hæc eſt: dominatio interdicitur, indicitur miniſtratio.* Reſpondeo has & huiuſmodi Scripturarum & Patrum ſententias non id efficere quod iſti volunt, nempe vt omnes Miniſtri aut inter ſeſe, aut cum Apoſtolis, pari ſint authoritatis & dignitatis gradu: multò minus vt Eccleſiæ Paſtores in gregem ſibi concreditum omnino nullam habeant poteſtatem. Quin potiùs hoc volunt tum Scripturæ, tum Patres, vt Miniſtri verbi [p] *ad ædificationem non ad deſtructionem* ſuo munere fungantur: vt nihil *contra veritatem, ſed pro veritate* faciant. Nam credentes in Chriſtum fide ſtant; ex quo gradu nemo Apoſtolorum aut Paſtorum eos deijciendi poteſtatem vllam accepit. Moderationem igitur Apoſtolicæ poteſtatis, & illius rectum vſum, ad diuinæ voluntatis præſcriptum, ea verba docent. Secundò quod ex verbis Seruatoris noſtri iam anteà audiuimus, inter Paſtoralem & Regalem potentiam diſtinguit. Hoc eſt enim quod à Chriſto & Apoſtolis (quos Patres ſequuntur) nominatim interdicitur: ne liceret Eccleſiæ Doctoribus aut Paſtoribus in fratres κυριέυειν, id eſt, dominatum exercere. Nam vt huius verbi vis plenius intelligatur, ſpectandum eſt illud alterum vocabulum quod huic ex aduerſo reſpondet: ita fiet vt in horum verborum & ſimilium interpretatione non multum aberremus. Opponitur autem domino ſeruus vt videre eſt ex hijs locis, [q] οὐκ ἔστι δοῦλος ὑπὲρ τὸν κύριον αὐτοῦ; *Non eſt ſeruus ſupra dominum eius.* [r] οὐδεὶς δύναται δυσὶ κυρίοις δουλεύειν: *Nemo poteſt duobus dominis ſer-*

i Lib.1.aduer. Iouinianum.

k 2.Cor.1.

l 1.Pet.5.

m Orig.in Eſai.6.hom.

n Hieron.ad Nepotianũ de vita Clericorũ

o Bernard. de conſid.lib.20.

p 2.Cor.13.

q Mat.10.

r Mat.6.

seruire. Quæ verò sit Domini potestas in seruum, alibi à Christo exprimitur. [f] *Seruus qui nouit voluntatem Domini, & non facit, plagis vapulabit multis.* [t] *Seruo meo dico hoc fac, & facit.* [u] *Serui* (inquit Paulus) *obedite per omina dominis secundùm carnem.* [x] *An enim nescitis quòd cui vosipsos exhibetis seruos ad obediendum, eius serui estis cui obeditis?* Hijs & infinitis alijs locis perspicimus κυρίῳ, (à quo κυριεύειν) id est, Domino aut hero, non filios, non fratres, sed solos opponi seruos; seruum autem eum esse, qui iugo Domini subditur, ita vt mandata Domini perficere teneatur, & cogatur. Hæc est enim Domini potestas, vt seruum *recusantem aut segnem*, verberibus aut vinculis coerceat.

f Luc.12.
t Luc.7.
u Col.3.
u Eph.6.
x Rom.6.

Quid igitur mirum, si Apostolis à Christo sit interdictum, ne regali aut herili iure in fratres dominentur: id est, ne tanquam seruis imperent, aut eos cogant, & puniant vt mancipia: cùm fideles non serui, sed filij sint, & fratres: neque Pastores, Reges sint aut Domini, sed patres & Ministri. Non tamen quisquam putet authoritatem aut honorem pastoralem hac ratione labefactari, aut imminui: nec gregi permissum esse Pastores suos aspernari: aut hoc nomine quòd patres sint minoris æstimare: quin imò dignitas & existimatio Pastorum hoc pacto firmissimè communitur. Vtri enim maiorem deferimus honorem & reuerentiam? Dominóne an patri? Et quis ardentiori charitate nos prosequitur? seruus an filius? [y] *Amare filiorum est, timere seruorum.* Quod ipsum confirmat Dominus per Prophetam. [z] *Si Pater sum, vbi est honor meus? sin Dominus vbi est timor?* Vt igitur amorem plebis in Pastores magis inflammaret Christus, non eos metui tanquam Dominos; sed coli ac diligi tanquam parentes, imò plusquam parentes secundùm carnem: contrà Pastores non dominari sed pascere, non terrere sed ducere, & docere; non tanquam in seruos sæuire, sed exhortari, obsecrare, admonere vt fratres, vt filios, vt eiusdem regni cohæredes, voluit. Quòd siquid alicubi præcipiant, aut inobsequentes à cæteris summoueant, id in Christi nomine faciunt: vt illius voluntatis interpretes, & mandatorum nuncij, qui solus in istiusmodi rebus imperandi ius habet: ipsi nihil aliud sunt

y Hieron. ad Nepot.
z Malac.1.

quàm

quàm conſerui, aut ad ſumnium œconomi, qui alijs cibum in tempore prębeant,& Dominicę voluntatis reliquos commonefaciant. Hijs de cauſis illorum officium *miniſterium non dominatio; ſeruitus, non principatus*, rectè ab Hieronymo & Origene cenſetur. [n] *Si quis Epiſcopatum deſiderat, bonum opus deſiderat. Opus, non dignitatem: laborem, non delicias: opus, per quod humilitate decreſcat, non intumeſcat faſtigio.* [o] *Nomen eſt operis, non honoris: vt intelligat ſe non eſſe Epiſcopum, qui præeſſe deſiderat, non prodeſſe.* [p] *Specula eſt ſonans tibi Epiſcopi nomine non dominium ſed officium.*

n Hieron. Oceano.
o Auguſt. de ciuitat. Dei. lib. 19. cap. 19
p Bernard de conſid. lib. 2.

Nemo Epiſcoporum piorum hac oratione mea, ſcio, offendetur, dum illius functionem ſeruitute non dominatione definio. Meminit enim Dei Filiũ in hunc mundũ veniſſe, *Vt miniſtraret, non vt ei miniſtraretur*: ad cuius [r] exemplum diſcipulos omnes conformari oporteat. Meminit electos Angelos, [ſ] natura & dignitate nobis longè præſtantiores, [t] *Cunctos tamen eſſe miniſtratores ſpiritus: & mitti, vt illis miniſtrent qui hæredes erunt ſalutis.* Meminit etiam Reges ac Principes qui Deo probentur, non [u] animo ſupra fratres efferri debere, ſed in illorum medio tanquam ex illis quoſpiam verſari. In omni enim ſocietate, præcipuè bonorũm ac fidelium, valet illud quod ait Auguſtinus: [x] *Qui imperant ſeruiunt eis quibus videntur imperare. Non enim dominandi cupiditate imperant, ſed officio conſulendi: nec principandi ſuperbia, ſed miſericordia prouidendi.* Chriſtianum præſulem ne pudeat cum Apoſtolo dicere: [y] *Non noſmetipſos prædicamus, ſed Chriſtum Ieſum Dominũ: nos autem ſeruos veſtros propter Ieſum.* Et cum Auguſtino: [z] *Non ſumus Epiſcopi propter nos, ſed propter eos quibus verbum & ſacramentum Dominicũ miniſtramus.* Verè aureum eſt illud Chryſoſtomi. [a] *Siquis Epiſcopatum deſiderat, non principatus ac dominationis faſtu: verùm curæ regiminis, & charitatis affectu non improbo, bonum quippe opus deſiderat.* [Pergunt tamen iſti *non tantum dominatricem poteſtatem, ſed etiam ipſum Domini nomen ac titulum interdictum eſſe Miniſtris. Sic enim ex Anglicana quadam tranſlatione Chriſti verba citant.*] [b] *Et qui poteſtatem habent in nationes, gratioſi Domini nuncupantur: vos autem non ita vocabimini.* Argumentum ex noſtra lingua deductum

r Ioh. 13.
ſ 2. Pet. 2.
t Heb. 1.
u Deut. 17.
x Auguſt. de ciuit. Dei. lib. 19. cap. 14.
y 2. Cor. 4.
z Auguſt. cõtra Creſcon. lib. 2. c. 11.
a Chryſ. hom. 10. in 1. ad. Tim.
b Luc. 22.

ductum audio, ex ipso contextu non audio. Potest hic falli quispiam illiteratus, doctus non potest. Verbum à S. Luca positum εὐεργέτης beneficum aut benè meritum designat: nec gratiam nec clementiam nec dominium vllo pacto sonat. [Ast instant, *Si benefici titulus, in quo non est tantum incommodum, Apostolis negatur: quanto magis istæ, quæ grauiùs animos inflant, ampullæ, Gratiosi seu clementes Domini.* Nomen benefici nec Sacerdoti nec è populo cuiquam negari debet, si modò re ipsa liberalis in rempublicam aut in homines priuatos extiterit. Vt autem benefici nomen quis ambiat, cùm à beneficentiæ ac benignitatis laude quàm plurimùm absit, id quoniam redolet inanis gloriæ cupiditatem, æquè Principibus ac Pastoribus est illicitum. Præterea nomen Rabbi, quod nobis est magister, simili modo prohibetur. [c] *Nolite vocari Rabbi.* Et tamen tenuissimus Presbyter supercilium, opinor, contrahet; nisi eo titulo dignetur. Quòd si nobis esset in animo de verbis rixari, (quemadmodum nonnullis mos est) neminem posse patrem dici cauillaremur. [d] *Neminem*, inquit Christus, *patrem vestrum interra vocetis: vnus est Pater vester, qui in cœlis est.* Nullum etiam Angelum nec hominem posse Dominum appellari: [e] *Vnus enim nobis est Dominus Iesus Christus.* Et certè si Creatoris præstantissimam operationem, aut hominis partem digniorem, id est, animam consideremus: nemo in terris suo iure pater, magister, aut Dominus nuncupari potest. Solus enim Deus, qui in omnibus efficit omnia, formare, docere, & regere potest hominem, hoc est, præcipuam hominis partem; quam nemo præterea vi sua saltem efficaci, fingit aut flectit. Tamen si quandam anologiam à Creatoris verbo & voluntate deriuatam respicimus, qui nos gignunt, erudiunt, & gubernant in terris, appellantur patres, magistri, & Domini: maximè verò qui diuinitùs eam acceperunt prouinciam, vt pro curandis & regendis animabus excubent.

c Mat. 23.

d Mat. 23.

e 1. Cor. 8.

De vocabulo Patris aut Magistri non ita controuertitur: solum Domini nomen est quod in multorum odium & offensionem incurrit; & certè si nihil aliud exprimeretur eo verbo nisi dominatus, ego quoque ad istorum hominum sententiam

tentiam accederem: & quantum à re voci ſubiecta diſſideo, tantum ab inani vocis ſono refugerem. Nunc verò quum nobis ea vox honorabilem quandam reuerentiam tantummodò ſonet, qua vel maxima digni ſunt ſacrorum antiſtites, & Chriſtianæ religionis curatores; cur quæſo qui rem ipſam licitam & honeſtam eſſe confitemur, temperabimus nobis à verbo, Scripturarum exemplis, & omnium gentium literis, & lingus, confirmato? Gallis nullus auguſtior eſt titulus, quo *Dominum* exprimant, quàm *Seigneur*: quo vocabulo Deum ipſum ac Chriſtum honorant, vt *Le Seigneur Ieſus*, *le Seigneur Dieu*: eodem tamen appellant nomine quoſcunque, qui modò alicuius apud eos exiſtimationis aut fidei habentur. Apud nos quæuis contemptiſſima mulier, quæ conductam habet ancillam, aut vnam eius artis qua viuit famulam, *Domina* cenſetur & ſalutatur à ſuis; tamen nomen apud nos ampliſſimarum fœminarum decus eſt, vt *Madame*, & etiam aliquando Regiæ Maieſtatis ornamentum. *Latinis Dominus* plus ſonat quàm *magiſter*; & tamen in ſcholis pueri norunt Dominum ſalutare quemuis, qui vel literas guſtauerit, vel officium geſſerit, vel non planè ſordidam vitam exegerit. Quid Græci? Nullam habent honoratiorem compellationem τῷ κυρίῳ, quam cuilibet vel in tertis tribuant vel in cœlis. Et tamen Petrus iubet Chriſtianas fœminas ad exemplum Saræ maritos ſuos honoris cauſa [f] κυρίους appellare, quamuis homines alioquin abiectiſſimos. Magdalena hortulanum ſeſe alloqui ſuſpicata κύριον nominauit: [g] *Si tu Domine ſuſtuliſti eum, dic mihi vbi poſueris.* Græci Ieſum videre cupientes, ad Philippum dicunt [h] κύριε, *Ieſum cernere cupimus.* Apud Hebræos *Adonai* nomen Regibus & Principibus à Iudæis poſitum, imò etiam ipſi Iehouæ attributum, annon cuiuis vel peregrino vel Sacerdoti, vel ſuperiori defertur? Lot cùm nondum Angelos eos eſſe reſciſſet quos in hoſpitium inuitabat, dixit; [i] *Domini mei diuertite quæſo in domum ſerui veſtri vbi pernoctetis.* Rebecca ſeruum Abrahami planè ignotum, cum ille bibere perparum ex hydria rogaſſet, ita honorificè accepit: [k] *Bibe Domine mi.*

f 1. Pet. 3.

g Ioh. 20.

h Ioh. 12.

i Gen. 19.

k Gen. 24.

Sunt certi qui quò vocabulum Domini defugiant, quod hono-

honoratorum quidem apud nos frequenter est insigne, licèt quandóque cum tenuissimis alio respectu communicetur: locum illũ Petri non *Lord, sed Sir*: putà per herũ, non Dominum reddi debere contendunt. Extra controuersiam vox Græca κύριος est: eadem ipsa qua Deum, qua Christum illi designant. Deinde verbum Hebræum vnde Petrus sumpsit, est[1] *Adonai*: nec Anglicè *Sir*, transferri potest. Quæ enim fœmina ita de marito loquatur: *After I am waxed old and my Sir also?* Sed quod mirere magis, ijdem translatores verbum *Lord* in Mose retinuerunt; in Petro verba Mosis citante expunxerunt. Et quid si Episcopos non Dominos sed heros appellamus, quid inquam proficiunt? Annon hoc vocabulum multò absurdiùs in Episcopum competit?

1 Gen. 18.

Vt autem de origine huius vocabuli *Sir*, quo κύριον reddunt, nonnihil dicamus; tametsi apud nos eius existimatio propter vsum frequentiorem aliquantulum est imminuta, tamen apud maiores nostros tantundem atque Dominus valuit. Hic enim est titulus quo hodie Equites nostri aurati honoris causa insigniuntur: hic idem quo Galli etiamnum Reges salutant suos. Nec priscis Anglorum Regibus fuit vllum dedecus à subditis suis audire, *Sir King*. Nam siue à Gallica voce *Syre* trahimus, quæ tantundem valet atque *Cyre*, *C.* in *S.* propter soni similitudinem commutata, nihil aliud est quàm contractio Græci vocabuli *Cyre* pro κύριε: siue ab illorum *Seigneur* ducimus *Seigneur in Sieur* cõtracto, vt *Monsieur pro Monseigneur*, quid tandem aliud sonat quàm Dominum, *Lord*? Verùm si ab ἥρως traducitur, vt Itali ac *Germani faciunt*: vt primùm *Her*, deinde *Sere* dicamus: *heros* is est, qui virtute & præstantia diuinam *quandam* perfectionem est assecutus. Sed hijs verborum pugnis Ecclesia Christi conflictari non debuit. Hoc solum assero si propter desuetudinem *Syr* non iam idem significet quod Dominus, Anglicè *Lord*: Domini tamen appellationem, multo inferioribus, cuiusuis ordinis ac gradus, quàm Episcopis tribui & posse & solere.

Sacrarum literarum exempla siquid apud nos valent, sancti Dei vates hunc honorarium titulum & dederunt & vicissim

vicissim acceperunt.[m] *An non tu Dominus meus Elias es?* inquit Obadias domui regis Achabi qui præfuit: & postquam se ad Prophetæ pedes abiecisset, insuper adiecit, [m] *Ego seruus tuus ab ineunte ætate Deum reuereor. Nonne renunciatum fuit Domino meo quid fecerim, cùm Iezebel occideret Prophetas Iehouæ, quemadmodum ex Prophetis Domini centum viros occultauerim, per quinquagenos in spelunca, & pauerim eos pane & aqua?* Filij Prophetarum tum Bethele tum Ierichunte Elizæum de Eliæ assumptione ita alloquuntur: [n] *Nostin' Deum hodiè ablaturum Dominum tuum à te?* Et Elia per turbinem sublato, filij Prophetarum occurrunt reuertenti Elizęo, & prostrati ad illius pedes inquiũt: [o] *Ecce quinquaginta viri strenui cum seruis tuis sunt, eant quæso vt quærant Dominum tuum.* Et cum Ierichuntis incolæ amœnum ciuitatis situm laudarent, sed agri sterilitatem culparent, ita eum compellant: [p] *Habitatio huius vrbis bona est, vt Dominus meus videt, sed aquæ minimè sunt salubres, & terra etiam est infœcunda.* Sic illa Sunamitis Elizęo filium pollicenti: [q] *Ne quæso Domine mi, vir Dei, illudas ancillæ tuæ.* Et puerulo mortuo prehendens illa pedes eius dixit: [r] *An petieram filium meum à Domino meo? Annon dixeram ne fallas me?* Sic Prophetarum filij cùm ædes angustas habitarent, inquiunt ad Elizæum: [s] *Eas iam cum seruis tuis vt cædamus ligna.* Et cum vnius ferrum in Iordanem decideret, exclamauit: [t] *Eheu Domine mi commodatum fuit.* Azael magnus ille Syriæ protex sub Benadabo, Prophetam iam anteà spiritu præuidentem quantas ille clades Israelitis importaturus esset, ac ea de causa lachrymas effundentem, interrogat: [u] *Quam ob rem plorat Dominus meus?* Ioash etiam rex Israel moribundum Elizæum inuisens, hijs verbis affatur: [x] *O mi pater, mi pater, currus Israelis, & equites eius.* Hæc fusiùs fortassis, quàm fuit necesse, tractauimus, sed eo consilio fecimus, ne quis nos sanctorum Prophetarum vestigia persequentes, vt Antichristianæ superbiæ sectatores criminetur. Quod enim in Prophetis toleramus, imò laudamus, quî potest id in Apostolis & eorum successoribus videri vitiosum? [*Quare igitur, si res ita se habeat, exclusit Christus Apostolos suos ab omnibus honorũ titulis?*

m 3.Reg.18.
n 4.Reg.2.
o Ibidem.
p 4.Reg.2.
q 4.Reg.4.
r 4.Reg.4.
s 4.Reg.6.
t Ibidem.
u 4.Reg.8.
x 4.Reg.13.

Qui potestatem in gentes exercent hijs vel illis nominibus vocantur, vos autem non sic.] Non exclusit suos Dominus ab eo honore, qui iure diuino illorum vocatione debetur, & ab ipso Deo approbatur: sic enim Scriptura sacra secum ipsa discordaret. [y] *Time Deum, & Sacerdotes eius honora.* [z] *Qui bene præsunt Presbyteri, duplici honore digni habentur.* [a] τὰς τοιύτους ἐντίμους ἔχετε: *Tales in honore vel pretio sint apud vos.* [b] *Propheta absque honore non est nisi in patria sua.* Si honorem illis authoritate diuina iubemur tribuere, honorem illis eadem authoritate licet recipere. Quid igitur Christus prohibuit? Primùm vt splendidos Principum titulos, qui Prophetarum & Apostolorum vocationi minimè conueniunt, nec captent nec expectent discipuli sui: sed tam verborum quàm rerum magnificentiam huius sæculi potestatibus libenter relinquant. Secundò potest Dominus id etiam prohibere, ne honorem, illis alioquin debitum, aut ambitiosè affectent, aut cupidè excipiant. Nam in vitio sunt honoris deferendi cupiditas, & delati suauitas: quamuis honor ille qui defertur vocationis nostræ fines non excedat. Quod in Pharisæis grauiter reprehendit Christus: [c] *Quomodo potestis credere, cum gloriam alij ab alijs expetatis, & gloriam quæ à solo Deo est non quæratis?* Et alibi, [d] *Cauete à Scribis qui volunt ambulare in stolis, & amant salutationes in foro, & primos accubitus in conuiuijs.* Captare itaque honores & amare, licèt minimi sint aut nobis debiti, ambitiosæ cuiusdam est vanitatis, & à Christi mandatis alienum: eosdem tamen recipere cùm ab alijs vrgentur, & inuitis nobis imponuntur, aut cùm ratione loci & ordinis quem tenemus iustè tribuuntur, modò absit aucupatio, titillatio, fastus, humilitati & modestiæ Christianæ non repugnat. [*Quamuis honor, reuerentia, & stipendia diuino iure Ministris debeantur, tamen tituli & appellationes honorate illorum vocationi non conueniunt.*] Quos intimis sensibus colimus & amplectimur, eos cur voce & verbis non honoremus? Quem animus veneratur, cur non etiam lingua? Quasi os non sit ea re formatum vt [e] cordis abundantiam exprimeret? Atque vtinam veritatis & religionis contemptio Ministrorum despectum non ita semper comitaretur, vt

y Eccles.7.
z 1. Tim.5.
a Phil.2.
b Marc 6.
c Ioh 5.
d Luc 20.
e Luc.6.

hæc

hæc noſtra declarant tempora. [*Virtutis ergò ſunt honorandi.*] Quid profeſſionis & functionis gratia? Num doctrina, prudentia, & diuini cultus procuratio, quæ cæteris omnibus ampliſſimæ & ornatiſſimæ ſemper ſunt habitæ, ita viles & ſordidæ nobis Anglis videntur, vt honorificam non mereantur appellationem? Quò deuenimus? Pauli ore laudantur Galatæ, quòd eum tanta reuerentia acceperint, ac ſi [f] *Angelus Dei* eſſet cœlo demiſſus. Dominus ipſe in Apocalypſi Eccleſijs præpoſitos [g] *Stellas & Angelos:* in Euangelio, [h] *Salē terræ, mundi lumen* appellat. Scriptura quæ diſſolui nō poteſt [i] *nuncupat eos deos, quibus verbū Domini factum eſt.* Et Paulus, [k] *Quàm ſpecioſi ſunt etiam pedes annunciantium pacem, euangelizantium bona?* [l] *Oculi noſtri* non tam chari ſunt, quin illorum cauſa, *ſi fieri poſſet, effoderentur.* Quibus non honorem modò, non bona, ſed [m] *noſmetipſos*, quanti quanti ſumus, *debemus.* Et vt dicam quod verum eſt, ſi cuiuſque exiſtimatio inter homines pendet ex eius amplitudine cui ſeruit, & officij quod gerit dignitate, nulla prorſus cauſa reperietur in Chriſtiana Republica; cur legati & nuncij Ieſu Chriſti, œconomi, & præpoſiti domui Dei, conſeruis ſuis contempti viderentur & abiecti; quibus cæteri parerent & obedirent, animarum quippe ſuarum [n] *doctoribus, ductoribus, parentibus.*

f Gal.4.
g Apoc 1.
h Matth.5.
i Ioh.10.
k Rom.10.
l Gal.4.
m Philē.v.19.
n Heb.13.

Num hoc in Eccleſia Dei inſolens eſt aut inauditum? Non idem hoc Patres ad vnum omnes affirmant? [o] *Eſto ſubiectus Pontifici tuo, & quaſi parentem animæ ſuſpice.* [p] *Non ſine cauſa debemus, non ſolùm plus reuereri ac metuere Sacerdotes, quàm Reges & Principes. ſed etiam plus eis honoris tribuere quam parentibus, qui nos genuerunt.* [q] *Dei imaginem Rex habet, ſicut & Epiſcopus Chriſti: Quamdiù ergò in ea traditione eſt, honorandus eſt; ſi non propter ſe, vel propter ordinem.* [r] *Honor & ſublimitas Epiſcopalis nullis poterit comparationibus adæquari. Omes quæ regendæ Sacerdotibus contraduntur meritò rectoribus ſuis ſubdi dicuntur, quia Euangelico coruſcante mandato, videmus nihilo minus eſſe præfixum: Non eſt diſcipulus ſupra magiſtrum?* [ſ] *Hæc cuncta vt oſtenderemus nihil eſſe in hoc ſæculo excellentius Sacerdotibus, nihil Epiſcopis ſublimius reperiri.* [t] *Si Regum fulgori com-*

o Hieron ad Nepot.
p Chryſoſt. de Sacerdot. li 3.
q Auguſt. qu. ex veteri Teſt 35.
r Ambroſ de dignitate Sacerdot. cap. 2.
ſ Ibid. cap. 3.
t Ibid. cap. 2.

pares & Principum diademati, longè erit inferius quàm si plumbi metallum ad auri fulgorem compares. [u] *Potestatem acceperunt quam neque Angelis, neque Archangelis dedit Deus.* [x] *Dominus noster ipse Iesus Christus rex & iudex, & Deus noster, vsque ad passionis diem seruauit honorem Pontificibus & Sacerdotibus: quamuis illi nec timorem Dei, nec cognitionem Christi seruassent: docens nos legitimè & plenè veros Sacerdotes honorare, dum circa falsos Sacerdotes ipse talis extitit.* [*Hi patres de spirituali & interno honore, qui vocationi Ministrorum congruat, non de exteriori & ciuili qui Pastorum personis detur, intelligendi sunt.*] Multo minus ita sunt interpretandi, vt dedecus & contemptio mercedis loco Ministris Dei retribuatur. Si de appellationibus honorificis dubitamus, Christus ipse *Stellas*, *Angelos*, *Deos*, nuncupat. Si de potestate, maiorem habent quàm Angeli, referente Chrysostomo. Si de honore & reuerentia, eodem teste ampliorem eis debemus quàm parentibus corporum. Id quod eo loco luculenter & manifestè demonstratur. Nam de distinctionis huius vanitate, id est, de interno & externo honore quid dicam? Si enim homines digni sunt, vterque illis honor debetur; si indigni, licet à vitijs eorum quàm plurimum abhorreamus, vocationi tamen deferendus est honor; non tantùm corde, sed verbis etiam & factis. Etenim si quoduis horum absit, non honor sed ignominia putanda est, quæ non homini sed Deo imponitur. [y] *Non te reiecerunt sed me.* Iudicium Domini verus est, [z] *Qui vos spernit* (cogitato, verbo, vel facto) *me spernit.* Mandatum illud de [a] parentibus omni honore afficiendis, totum hominem, non vnam aut alteram hominis partem obligat: & pietas in parentem, Principem, & Pastorem, vultu, voce, gestu læditur. [*At boni Pastores mercedem & honorem à Deo, non ab hominibus expectarent.*] Agnosco: Qui honor habitus est eorum magistro & Domino, idem illis ab ingrato mundo est expectandus: hoc tamen nullam iustam contemnentibus excusationem, aut defensionem præbet: quin potiùs certum est documentum spreti & contempti Dei, si cubi videmus legatos eius & Ministros negligi, & conculcari.

u Chrysost. de Sacerdot. li. 3.
x Cypr. lib. 3. epist. 9.
y 1. Sam. 8.
z Luc. 10.
a Exod. 20.

Testis

Testis est mihi Deus in animam meam, me nullius fastum adulari, nullius gratiam aucupari, pro viribus ista vada pertento. Et quemadmodum in locis antecedentibus Christum agnosco Ministerium à Magistratu distinguentem, & tam dominatu quàm splendore regio discipulis suis interdicentem, similiter etiam ab omni honoris & gloria cupiditate & amore deterrentem, iubentem denique vt ipsius exemplo maiores & præstantiores tenuioribus quibusuis ad eorum commodum inseruiant; ita planè nullam video causam, cur pias mentes offendat appellatio *Domini* in Episcopo (qua Petrus iubet quamque mulierem honorare maritum suum) præsertim eius Reipub. in qua viuunt, bonâ veniâ & vsu longo recepta & approbata: cuius moderatoribus, viris nempe principibus & prudentibus, relinquenda est ista omnis de dignitate, honore, stipendijs, Ministrorum quæstio: non cerebrosis quibusuis, Dei ac ipsius Prophetarum derisoribus permittenda; nedum rapacibus quibusdam harpyjs, quæ id solum enituntur vt vngues auaros Ecclesiasticorum prædijs & bonis impingant. Hos si excipias, cui tandem viro bono videbitur illa nuncupatio fastum & Antichristianismum olere, quæ cum modestia & humilitate quibusuis opificibus, & fabris deferri potest, si modò sint mariti?

Veterum exempla si quos delectent, habent primos illos Christianos Imperatores: qui in hoc maximopere incubuerunt, vt Episcopis honorem & authoritatem apud populum conciliarent, quòd eam rem ad augendam Christianam religionem magni esse momenti existimarent. Quam ob causam data est illis controuersias & lites audiendi & dirimendi potestas, & Episcopale iudicium Imperatorijs edictis sanctum est, perinde ac si à Præsidibus prouinciarum pronunciata fuisset sententia. Ipsi etiam Imperatores suo præclaro exemplo præibant populo, vt libenter ac prompte Episcoporum monitis & ductui sese subijcerent. [b] *Talem*, ait Valentinianus ad Synodum Mediolanensem, *in Episcopali sede collocate, cui nos Imperij Rectores sincerè ac libenter capita nostra submittamus: & cuius reprehensiones tanquam pharmaca*

b Theod. lib. 4. cap. 5.

suscipiamus salutaria.[c] *Videas*, inquit Ambrosius, *Regum colla & Principum submitti genibus Sacerdotum, & exosculatis eorum dextris, orationibus eorum credunt se communiri.* [d] *Regibus* ait Chrysostamus, *corpora creduntur, sacerdotibus animæ: ille arma sensibilia tractat, hic spiritualia; ille contra Barbaros pugnat, ego contra dæmonas. Hæc dignitas maior est, quamobrem Rex caput Sacerdotis manibus supponit.* Constantinus ille Magnus, [e] *iis qui ad iudicia trahebantur, libertatem dedit ad Episcoporum sententiam appellandi, si ciuiles magistratus recusare voluissent, iussitq; sententiam Episcoporum ratam haberi, & potiorem quàm aliorum Iudicum, perinde atque si ab ipso esset Imperatore prolata: & quæ iudicata fuissent ab Episcopis, per magistratus & milites executioni mandari.* Et ne de rebus ac causis solùm Ecclesiasticis legem hanc esse latam putemus, ostendit Augustinus suis tẽporibus, quibus negotijs Episcopi frequẽter, licet haud libenter, distinerentur. [f] *Homines quidem suas sæculares causas apud nos finire cupientes, sanctos & Dei seruos appellant, dum eis necessarij fuerimus: pro quibus rebus (auro videlicet, argento, fundis, & pecoribus) quotidie submisso capite salutamur, vt dissensiones hominum terminemus.*

c Ambros de dignitate Sacerdot cap. 2.

d Chrysost. de verbis Esaiæ, vidi Dominũ homil. 4.

e Sozom. lib. 1. cap. 9.

f August. Epist. 147.

Non ista recitamus quô in Ecclesia instaurari ac renouari hæc eadem optemus: honoris si nimium tribuas, incenditur ambitio; sin parum, contemptio generatur. Illud tantùm obseruo, illis optimis sæculis, optimos Principes magno studio in hoc elaborasse, vt suo ipsorum exemplo populum ad obseruantiam & reuerentiam Episcoporum inducerent: ac etiam vt legibus, quantum possent, authoritatem eorum apud plebem communirent: ne despectum Ministrorum religionis neglectio sequeretur. Contrà hijs nostris diebus, quosdam inuidia & superbia inflatos spiritus, perinde quasi omnis honor in Episcopali gradu sceleratus esset & impius, magnam pietatis partem in eo ponere, si possint eorum dignitatem bonis & moderatis legibus stabilitam, in summum apud infimos quosuis odium ac irrisionem adducere. Quantò melior illa Ambrosij ratio ad Episcoporum vitia si quæ sint corrigenda? vbi ait: [g] *Ne sit honor sublimis, & vita deformis: Ne sit Deifica professio, & illicita actio: Ne sit gradus excelsus,*

g Ambro de dignitate Sacerdot cap. 3.

sius, & deformis excessus: Nam quantò præ cæteris gradus Episcopalis altior est, tantò, si per negligentiam dilabatur, ruina est grauior. Magna sublimitas magnam debet habere cautelam: honor grandis grandiori debet sollicitudine circumuallari: cui plus creditur, ab eo plus exigitur. Non imminuit vir sanctus vocationis dignitatem aut honoren, iudicium grauius & acerbiora supplicia proponit: nisi officij cura & diligentia tantæ celsitati respondeant, quanta illis in Ecclesia Christi præ fratribus conceditur. Vt igitur illi *qui*[h] *adistam aspirant dignitatem, eo animo vti coram hominibus honorentur, coram Deo condemnati sunt: sic*[i] *hæc omnis mali causa est quòd Ecclesiasticorum rectorum authoritas peryit, quòd nullus eis honor, nulla reuerentia, nullus metus habeatur. Nam qui piè erga sacerdotẽ affectus est, maiori pietate Deum reuerebitur: & qui despicit Sacerdotem, huc tandem quasi gradibus quibusdam deueniet, vt contumelioſus existat in ipsum Deum.*

h Chrysost. in Act. hom. 3.
i Idem in 2. ad Tim. hom. 2.

Summa totius disputationis hæc est; Apostolis & Ecclesiæ Pastoribus interdici, ne ratione ac respectu Ministerij sui, vllam ciuilem dominationem, aut coercitionem vendicent. Hęc enim potestas est Regum ac Dominorum in subditos & seruos propria. Secundò ne titulos honorum ab hominibus captent, aut ijs delectentur, si fortè deferantur: quin potiùs magni illius Pastorum Principis aduentui, cum erit vnicuique laus à Deo, præstolentur. Tertiò quocunque gradu dignitatis, aut quantacunque donorum mensura fratres superent, ne grauentur infimis in eorum salutem & bonum ministrare. Neque tamen quicquam istorum obstat, quò minus Pastores gregibus suis, in Christi nomine, quod cum eius verbo congruat, præscribant ac præcipiant, & illius iudicia contumacibus minitentur: neque Apostolorum supra cæteros inferiores gradus prærogatiuam tollit; neque prohibet; quin Ecclesiæ Pastoribus honorem præstemus *corde, ore, opere*, quem *legatis* Christi, *præfectis* domui Dei, [k] *parentibus* fidei debemus.

k 1. Cor. 4.

CAP. VII.

Quinam cum Apostolis in electione Presbyterorum & impositione manuum iuncti fuerunt & sociati.

QVæstione illa de dominatu interdicto absoluta, sequitur vt secundam illam de electione *Presbyterorum* & Diaconorum discutiamus; cui necessariò annexa est tertia de manuum impositione. Sunt enim qui Apostolos putent, in istis rebus, nihil nisi ex consensu totius Ecclesiæ, aut saltem ex Presbyterij sententia egisse. In cuius rei confirmationem multa ex Scripturis documenta, multa exempla trahunt: nempè electionem Matthiæ Apostoli, electionem septem Diaconorum, item Presbyterorũ Ecclesiæ Lystrensis, Iconiensis, & Antiochiensis in regione Pisidiæ, denique Timothei ordinationem. Quæ omnia huc facere videntur, nihil Apostolos per se, aut sua ipsorum authoritate, sed ex aliorum voluntate potiùs & suffragijs in Ecclesia regenda gessisse. Vt igitur ad harum rerum veritatem perueniamus, loca ista quo ordine posita sunt consideremus.

In deligendo Matthia Apostolo Ecclesiæ totius authoritatem interueniisse Scriptura non exprimit. Petrus cunctos Discipulos commonefecit alium in Iudæ proditoris locum surrogandum esse: sed quinam illos duos qui propositi sunt, (Matthiam & Barnabam intelligo) designauerint ac nominauerint, vtrúmne Apostoli an discipulorum multitudo, non attingitur in illo capite: verborum vis & series neutrum conuincit. Sic enim legitur: [a] *Et statuerunt duos, & precantes dixerunt, & iecerunt sortes.* Si preces conceptæ, si sortes iactæ sunt per Apostolos, instinctu Spiritus sancti ductos ad hanc totam actionem moderandam, quæ ratio cogit hosce duos ab alijs quàm Apostolis, esse designatos? Turba Discipulorum interfuit quidem; sed, eos *statuisse* quinam Apostolatus maximũ & augustissimũ munus essent obituri, quo tandem modo non dicam concludi sed credi poterit? Nam nulla potuit

a Act. 1.

tuit esse ad Apostolatum electio nisi planè diuina: solus Deus Apostolũ deligit, non homo; imò neque [b] *per homines:* multò minus per Presbyterium aut plebem assumi potest. Quare Matthias in Apostolorum collegium à Spiritu sancto cæteros dirigente cooptatus, à Discipulis agnitus est, & reliquis vndecim annumeratus. Vt interim taceam ab extraordinaria & planè singulari Apostoli designatione ad ordinariam & quotidianam Ministrorum electionem nullam duci posse necessariam consequentiam. [*At Chrysostomus dicit,* [c] *Non ipse Petrus eos statuit sed omnes. Considera quam Petrus agit omnia ex communi Discipulorum sententia, nihil authoritate sua, nihil cum imperio.*] Respondeo Chrysostomum ita quidem opinari, sed eius sententiæ nullam adducere probationem. Verbum enim in multitudinis numero positum, *Et statuerunt duos*, æquè ad Apostolos, vt ad cœtum Ecclesiæ referri potest: Nec asserit Chrysostomus Petro licitum non fuisse, sine consensu cæterorum hos duos coram Deo statuere; aut sua singulari authoritate Presbyteros ordinare: non fecisse dicit ne studio partium abreptus videretur, nec etiam dum Spiritum sanctum acceperat. Nihil itaque Chrysostomus illorũ causam adiuuat, quin contrà potiùs grauiter vulnerat. Sic enim ait: [d] *Annon licebat ipsi* (Petro) *eligere? Licebat, & quidem maximè: verùm id non facit, ne cui videretur gratificari. Quanquam alioqui nondum erat particeps Spiritus.* Quæ causa rem ad sortes deduxit vt putat Chrysostomus, [e] *Quoniam nondum erat Spiritus, sortibus rem peragunt.*

b Galat. 1.

c Chrys. in Act. hom. 3.

d Chrysost. in Act. hom. 3.

e Ibidem.

Delectus septem Diaconorum (si tamen ita vocandi sunt) Ecclesiæ delatus est: approbatio Apostolis reseruata, idque non sine certa ratione. Quanquam hij ad ministerium verbi & Sacramentorum (si placita Consistorianorum audiamus) non assumebantur, sed tantummodò ad fidelium eleëmosynas disponendas, & Ecclesiæ facultates cum fide & sinceritate, in vsus Sanctorum necessarios, ne quid cui deesset, dispensandas. Iam verò vt populus bonorum suorum œconomos, & mensarum curatores nominaret, quorum opera vteretur in quotidiano victu, & cultu; & quorum potestati sua permisisset omnia, magnam & euidentem habuit rationem.

Præ-

Præterea hoc pacto se Apostoli neglectarum viduarum omni suspicione liberabant, & ortum super ea re murmur sedabant, cùm multitudinis arbitrio committerent, vt quos ipsa idoneos & fideles suarum facultatum distributores fore putaret, ad id munus deligeret. Nam vt ex illorum temporum historia colligitur, in ipso nascentis Euangelij primordio, [f] *Omnes qui credebant* (quotquot Hierosolymis erant) *simul versantes*, [g] *diuenditis, quas habebant, possessionibus*, facultates suas omnes in Ecclesiæ commune bonum contulerunt: vbi summa animorum coniunctione, quasi conuictores, eisdem tectis & mensis vsi sunt: nemine quicquam eorum quæ possidebat suum esse dicente: & *quotquot possessores erant agrorum aut domorum, vendentes* [h] *adferebant pretia, & deponebant ad pedes Apostolorum, vt distribueretur singulis prout cuiq; opus erat*. Huic procurationi præfuerunt quidem ante delectum Diaconorum, quos omnes verisimillimum est fuisse Iudæos: propterea quòd neglectæ sunt viduæ Græcorũ in rerum necessariarum suppeditatione, quæ prima causa fuit cur aduersus Hebræos Græci murmurabant. Hunc motum vt componerent Apostoli, ingenuè se purgantes excusationem officij adferunt, minimè æquum esse censentes, vt ipsi, derelicto sermone Domini, ministrarent mensis. Quocirca aliud consilium inierunt, conuocata discipulorum multitudine dixerunt: [i] *Dispicite ô fratres ex vobis viros septem idoneo ornatos testimonio, Spiritu sancto plenos, & sapientia, quos huic negotio præficiamus*.

f Act. 2.
g Act 4.
h Act. 4.
i Act. 6.

Quid hinc ad popularem electionẽ Pastorum & Presbyterorum erui possit, ego quidem non video. Primùm enim ipsi isti, qui popularis electionis tam studiosi videri volunt, diaconos non alio loco habent quàm Ecclesiastici ærarij quæstores, & mensarum ministros: prædicandi & baptizandi potestatem illis omnem adimunt. Nam cùm Philippum ex hijs septem vnum, Samariæ Euangelium prędicasse, & credentes baptizasse sacra commemoret historia, tergiversantur isti, nec dant Philippum, ex officio diaconi & illa manuum impositione, quam hìc ab Apostolis accepit, id egisse, sed ad authoritatem Euangelistarum confugiunt: quẽ

illi

illi titulum [k] Lucas attribuit, ita tamen vt ex horum septem numero fuisse simul significet. Deinde si Ephiphanio credimus, hij septem ex [l] septuaginta discipulis fuere, quemadmodum & Matthias & Barnabas, de quibus autea diximus, ab ipso Domino, prius quàm mortem oppeteret, ad Euangelium prædicandum emissos fuisse constat. Quod si verum sit, reuerti non poterant ad carceres, à quibus fuerãt digressi: nec post Euangelistarum munus impositum à Domino, Diaconorum sibi partes & onus asciscere: quin potius, quod etiam obseruauit Chrysostomus, fuit hęc extraordinaria quędam viduarum inspectio, temporibus illis accommodata, non antè vsitata & perpetuata in Ecclesia Christi functio.

k Act. 21.

l Epiphan. cõtra hæreses Tom. 1. in fine.

[m] *Quamnam dignitatem & qualem χειροτονίαν* (id est manuum impositionem) hij (septem) *acceperint, necessarium est intelligere. Num Diaconorum? Ast hoc in Ecclesijs* (nunc) *non est: sed ad Presbyteros pertinet ista dispensatio*, (videlicet viduis curandis *destinata.*) Quare *hoc nomen* (aut munus quod acceperunt isti septem,) *neque Diaconorum planè ac manifestè, neque Presbyterorum fuisse existimo:* [n] Huic Chrysostomi iudicio subscribit Concilium Constantinopolitanum sub Iustiniano celebratum. Siue igitur isti septem ministerio mensarum & Ecclesiasticorum bonorum dispensationi tantummodò præfecti fuerunt, vt ipsi docent; siue ex septuaginta discipulorum numero vt Epiphanius & Chrysostomus putant delecti fuerũt, non ad Diaconorum aut Presbyterorum functiones, sed ad nouam quandam & inusitatam administrationem illis temporibus & personis necessariam, nostris autem rebus & moribus tam inutilem, quàm incognitam; nullum inde præiudicium vel leuissimum fieri potest, vt in eligendis Presbyteris & Episcopis iuris idem apud nos populus haberet.

m Chrysost. hom. 14. in Act.

n Concil. Cõstan. in Trull. sub Iustiniano, cap. 16.

Si cum [o] Ignatio, [p] Cypriano, & [q] Hieronymo, Diaconorum hinc ordinem deriuemus, & id muneris impositum eis credamus, vt in sacro cœtu Presbyteris & Apostolis deseruirent; & in diuinorum celebratione mysteriorum operam nauarent suam: ne sic quidem conficitur, Apostolos hanc electionis formam, vt generalem & perpetuam omnibus, in posterum Ecclesijs præscripsisse. Ita enim nec ipse

o Ignat. ad Heronem.

p Cyp. lib. 3. epist. 9.

q Hieron. aduersus Luciferanos.

Paulus

Paulus nec Apoſtolorum quiſquam alicui manus imponere potuiſſet, niſi populi ſuffragijs antea deſignato, ne ſuam ipſi regulam contrauenirent: quod non Scripturis modò contrarium, ſed in Dei gratiam eſt iniurium. Deinde non magis ex vnico iſto exemplo popularem colligas electionem, quàm ex Matthiæ deſignatione Miniſtrorum delectum per ſortes faciendum. Nam cum duas electionis ſpecies, alteram poſt alteram continuò ſequentem, Apoſtolis vſurpatas videamus, vtram harum Eccleſiæ præſcriptam, & in omnem poſteritatem mandatam dicemus? An potiùs iſta diuerſitas rem totam in Eccleſiæ poſitam arbitrio declarat: vt quid tempori, loco, perſonis, maximè conueniret, ipſa pro ſua prudentia iudicaret? Poſtremò exempla multum diſtant à præceptis: & quæ cauſæ commouerunt Apoſtolos vt multitudini credentium iſtorum ſeptem Diaconorum diſignationem permitterent, infinitis ferè circumſtantijs variari poſſunt: quibus mutatis neceſſe fuerit aliam atque aliam electionis formam obſeruari. Quamobrem ex facto ſingulari regula generalis non poteſt conſtitui ſine maxima & manifeſtiſſima ratione, quæ concluſionem cohærentem & neceſſariam eſſe demonſtret: multo minus à deſignatione Diaconorum in illis Eccleſiæ primis incunabulis, ad Presbyterorum & Epiſcoporum electiones per omnem ſæculorum decurſum faciendas, quorum & dotes & munia Diaconorum officium longo ſuperant interuallo, poteſt vlla certa duci cõſecutio. Hactenus de Matthia & ſeptẽ illis ſiue Eccleſiæ Diaconis ſiue viduarũ curatoribus: nunc reliqua videamus.

Miniſtros & Presbyteros, Lyſtris, Iconij, ac finitimis in locis, à Paulo & Barnaba creatos eſſe, non poteſt in dubiũ vocari: adeò clara ſunt verba vt omnem ſedent controuerſiam. Sunt tamen Theologi quidam recentiores, qui ex verbo χειροτονήσαντες, populi ſuffragia & vota interueniſſe concludunt: ac ſi Paulus & Barnabas eos ſolum ordinaſſent, quos populus extentis manibus elegiſſet. Eum enim Græcorũ fuiſſe morẽ in deligẽdis magiſtratibus & eã verbi vim apud Græcorũ Theologos ſẽper manſiſſe fidenter affirmant.

Argumentum à notatione verbi χειροτονεῖν deductum non eſt

est ita firmum atque isti putant. Quamuis enim hoc verbi etymon esset, tamen quemadmodum in multis alijs Græcorum & Hebræorum vocabulis vsu venit, vt præter primariã verborũ significationem ad alias res finitimas & consequentes denotandas transferantur; ita hoc verbum licet propriè & primò manuum elationem significet, electionem quouis modo factam secundaria quadam notione declarat, neque id insulsè. Nam electio quæ subleuandarum manuum fuit causa, sublatis manibus est consequens: ab effectis autem ad causas, & contrà, translatio facillima ducitur. Quo sensu ipse Lucas idem verbum vsurpat: p *Hunc Deus excitauit tertio die, & conspicuum fecit; non toti populo, sed testibus ab ipso prius designatis* aut electis, nobis scilicet: vbi si ita conuertamus, ἀλλὰ μάρτυσι τοῖς προκεχειροτονημένοις, sed testibus populi suffragijs prius delectis, aut ab ipso Deo manus extensione designatis, quis ferat? & non potiùs has ineptias explodat? Nõ enim habet Deus digitos quos attollat; nec Apostoli ad testificandam Christi resurrectionem à populo, sed ab ipso Domino sunt constituti. Quamobrem χειροτονεῖν simpliciter deligere significat, tametsi neque populi suffragia colligantur, neque quisquam manum inter eligendum protendat. Deinde ponamus verbũ χειροτονεῖν eo loci propriam hanc, quã adferunt ipsi, significationẽ retinere, nempe vt manibus sublatis fiat electio: tamen Lucas manifestissimè totum illud quicquid fuit ad Paulum & Barnabã restringit: cùm ita scribit: *Reuersi sunt* (Paulus & Barnabas) *Lystram, & Iconium, & Antiochiã, cõfirmantes discipulorũ animos, & hortantes vt in fide permanerent.* χειροτονήσαντες δὲ αὐτοῖς πρεσβυτέρους κατ' ἐκκλησίαν: *Et creantes illis Presbyteros per singulas Ecclesias cõmendarunt eos Domino in quem crediderant.* Creantes aut constituentes, vel cùm creassent & cõstituissent illis Presbyteros. Quinam alij quàm Paulus & Barnabas, qui Lystram, Iconium & Antiochiam reuersi, confirmabant discipulorum animos, & commendabant eos Domino postquam *illis Presbyteros creassent?* Sic enim contextus & cohærentia verborum postulat: nec sine summa Scriptoris iniuria, participiũ possis, quantumcunque pugnes, aliò torquere. Quibus autem

p Act. 10.

tem

tem constituerunt presbyteros? Illis, populo videlicet aut discipulis. Sit igitur χειροτονεῖν consensus exprimendi causa manum extollere: certe Paulus & Barnabas suis ipsorum manibus elatis Presbyteros illis in locis designabant. Non enim aliorum manus, multò minus totius populi, sed suas ipsorum efferebant. Nam vt χειροτονεῖν sit populi manus in altum attollere, aut alte sublatas numerare, nullo nec argumento nec exemplo doceri potest. Non ergò suffragia colligebant Paulus & Barnabas, quod multi somniant ex hoc loco, nec rem tanti ponderis & momenti multitudinis arbitrio permiserunt, sed suis ipsorum manibus & suffragijs, quicquid id fuit, perfecerunt. Quapropter ex hijs verbis nunquã efficient aliquos Presbyteros populi votis delectos fuisse: de Paulo dicitur & Barnaba quòd presbyteros creauerint, ac ordinauerint in illis Ecclesijs; de populo nihil huiusmodi vel exprimitur, vel colligitur; nisi commenta nostrarum opinionum de industria velimus Spiritus sancti verbis supponere.

Verùm enimuero quid sibi velit hoc verbum χειροτονεῖν, non apud prophanos Græcorum oratores, quorum testimonia non est operæpretium excutere, sed apud Ecclesiæ scriptores celeberrimos, Græcos dico Patres, Historicos, & Canones, qui vera Græciæ lumina fuerunt, & istius verbi nec vim ignorarunt, nec vsum occultarunt, paulò longiùs si repetamus, operam & oleum, opinor, non perdemus. Verbi hoc est etymon, τας χεῖρας τείνειν, manus extendere, siue sursum rectas, siue transuersas. Quo factum est, vt apud Ecclesiasticos scriptores idem prorsus valeat quod χειροθετεῖν, id est, manus imponere. Extendi enim manus oportet, quod est, χειροτονεῖν, prius quàm alterius capiti possint imponi, quod est χειροθετεῖν. Hunc Ecclesiasticum verbi sensum & loquendi morem Græcis Patribus perpetuum si sequamur, omnino verbum illud χειροτονήσαντες, Actorum decimo quarto capite, Paulo & Barnabæ tributum, nihil aliud significabit quàm *manus imponere*: qua ceremonia Spiritus sanctus ab Apostolis dabatur hijs qui ad Ecclesiæ ministerium vocandi essent: sicut & Paulus duodecim illis Ephesijs manus imposuit

impoſuit, [r] *Et continuò linguis loquebantur, & prophetabant.* r Act.19.

Si quis me falſum exiſtimet, hæc quæ ſequuntur loca diligentiùs examinet. Euſebius, dum Cornelij verba recitat, quemadmodum Nouatus Præsbyteri dignitatem ſit aſſecutus nimia quadam eius Epiſcopi lenitate & indulgentia, qui manus illi impoſuit, ita ſcribit: [s] *Epiſcopus ab omni clero, & à multis Laicis prohibitus*, æquum cenſuit *vt illi permitteretur, vel hunc vnum* χειροτονῆσαι, id eſt, *impoſitione manuum ordinare.* Plebis bona pars & clerus vniuerſus huic ordinationi repugnabant, quòd ea regulis Eccleſiaſticis aduerſaretur: Epiſcopus tamen, reclamantibus tam populo quàm clero, tantum ſibi ſumpſit, vt Nouato manus imponeret. Suffragia neutiquam collegit, diſſentientibus penè cunctis qui interfuerant; ſed impenſiùs Nouato quum faueret, contra vota cæterorum manus impoſuit. s Euſeb.lib.6. cap.43.

Magnum illud Nicenum Concilium (quod refert Socrates) permiſit, vt Presbyteri à Miletio ſchiſmatico conſtituti, [t] μυστικωτέρα χειροτονία καταβάντες, id eſt, *ſacratiorem manuum impoſitionem accipientes*, ordinis & loci dignitatem *retinerent.* Quid aliud poteſt eſſe χειροτονία hoc in loco quàm χειροθεσία? Popularis namque electio ſublatis manibus declarata, nullo modo ſancta vel myſtica cenſeri poteſt: verùm impoſitio manuum Epiſcopalium ab Apoſtolis ad vſque noſtrum tempus deducta, ſacra ſemper eſt habita, & pro myſterio religioſè obſeruata. Idem ille ſcribit quòd *orthodoxi* Conſtantinopolin incolentes, *defuncto Eudoxio Arriano*, [u] *Euagrium quendam* θεοσεβάλουτο *nominabant.* Et Euſtathius olim Antiochenus Epiſcopus tunc Conſtantinopoli præ metu deliteſcens, αὐτὸν χειροτονεῖ, *ei manus impoſuit.* Quod cùm Valens Imperator reſciſſet, [x] καὶ τὸν χειροτονήσαντα, καὶ τὸν χειροτονηθέντα, *& ordinantẽ, & ordinatum, alium alio iuſſit exulare.* Rem geſtam ſi breuiter percurramus, Euagrium populus elegit: & electum offerunt Euſtathio: non iterum eligendum, ſed certè conſecrandum. Imperator verò non populum qui deſignauit & elegit, ſed Euſtathium & Euagriũ, id eſt manus imponentem & accipientem, in exilium eiecit. t Socrat.lib.2. cap.9. u Socrat.lib.4 cap.14. x Socrat.lib.4 cap.15.

Eſt

Est igitur χειροτονεῖν iam electum & nominatum impositione manuum Deo consecrare: atque eo ritu confirmatum verbi ministerio dedicare. Id quod in electione Ambrosij & Chrysostomi idem Socrates apertè monstrat: rerum grauis explicator, & verborum satis intelligens.

Mortuo Auxentio Arriano Episcopo Mediolanensi, cum populus eius ciuitatis in delectu noui tumultuaretur, & Ambrosius prouinciæ præses ædem sacram ingressus, oratione neruosa & vehementi pacem & concordiam vtrique parti suaderet: de subito fit omnium consentientium clamor, Ambrosium ea sede dignum: [y] αὐτοστὶ χειροτονεῖσθαι πάντες ἠξίουν, *Eiúsque consecrationem omnes flagitabant*. Imperator huius rei nuncio accepto, repentinam omnium ordinum conspirationem admiratus, & diuinitùs hoc esse factum arbitratus, Episcopis mandat [z] ὑπουργεῖν τῷ Θεῷ κελεύοντα χειροτονεῖν *obsequi Deo* tam apertè iubenti vt Ambrosium *consecrarent*. Non rogauit populus vt quem iamdudum cunctis suffragijs elegerant, iterum deligeretur. Hoc enim nihil aliud esset quàm actum agere: sed quod Ambrosio, licet iam tum electo, defuit, id requirebant: scilicet χειροτονῆσθαι, id est, vt impositione manuum confirmaretur. Imperator etiam audita præfecti electione, mandauit Episcopis, non vt denuò rogationem ferrent, aut suffragia colligerent, sed operâ suâ Deo subseruirent: qui tam insperato totius populi prius acerbè dissidentis consensu, quasi de cœlo iusserat Ambrosium consecrari, quod illic vocabulo χειροτονῆ exprimitur. Est igitur χειροτονῆ nihil aliud quàm Episcopales manus in caput alicuius imponere: quò precibus & oratione Deo consecretur, & ad sacram functionem admittatur.

y Socrat. lib. 4. cap. 30.

z Ibidem.

Quod ipsum in electione Chrysostomi planum fiet. Post obitum Nectarij Constantinopolitani Episcopi, Iohannes Chrysostomus Presbyter Antiochiensis Ecclesiæ ab Imperatore Arcadio accersebatur, vt in demortui locum succederet; idque [a] ψηφίσματι κοινῷ ἁπάντων κλήρου τε καὶ λαοῦ: *communi decreto: totius tum cleri, tum populi*. Imperatoris edicto Constantinopolin Episcopi permulti conuenerunt: & inter cæteros Theophilus Alexandriæ Archiepiscopus: ad nuper delectum

a Socrat. lib. 6. cap. 2.

lectum Episcopum inaugurandum. Cuius consecrationem cum Theophilus procrastinaret, quòd Presbyterum quendam suum in ea sede cuperet collocatum: multis nominibus, ob eam cunctationem, apud Episcoporum conuentum incusabatur: & graues contra ipsum deferebantur querimoniæ: quas, Eutropius summus Imperatoris cubicularius acceptis libellis ostendit Theophilo: datque optionem ἢ χειροτονῆν Ἰωάννην, vel Iohannem consecrandi, vel criminibus obiectis respondendi. Theophilus accusationes veritus, τὸν Ἰωάννην χειροτόνησεν, Chrysostomum consecrauit. Electione legitimè facta communibus principis, populi, cleri suffragijs, Synodus Episcoporum aduocatur electi consecrandi gratia. Alexandrinus non electionem iam perfectam & absolutam retractauit, sed χειροτονίαν, id est, manuum impositionem (quæ pro dignitate sedis ad eum spectabat) dare recusauit. Idem est ergo χειροτονεῖν quod manus imponere vel ordinare: quæ sacra ceremonia nullis vnquam sæculis ad populum pertinuit, sed semper ad Apostolos & eorum successores: qui Presbyteros quacunque ratione delectos, & designatos, impositione manuum suarum & approbabant, & ordinabant.

Atque ita Chrysostomus eorum electionem tractans qui viduas sub Apostolis curabant, hanc ipsam vocem de qua nunc ambigimus interpretatur, exponens illa Lucæ verba, [b] καὶ προσευξάμενοι ἐπέθηκαν αὐτοῖς τὰς χεῖρας. *Et quum* Apostoli *precati essent imposuerunt eis manus*, ita inquit: [c] ἐχειροτονήθησαν διὰ προσευχῆς. τοῦτο γάρ ἐστιν ἡ χειροτονία ἔστιν ἡ χεὶρ ἐπιτεθεῖσα τῇ ἀνδρὸς, τὸ δὲ πᾶν ὁ θεὸς ἐργάζεται· καὶ ἡ ἀπτομένη τῆς κεφαλῆς τῆ χειροτονουμένου, ἐὰν ὡς δεῖ χειροτονῆται. *Manus impositæ sunt cum precibus: hoc est enim* χειροτονία: *hominis manus imponitur, sed totum Deus operatur, & illius etiam manus est quæ tangit caput ordinati, si quemadmodum oportet consecretur:* ἐπέθηκαν τὰς χεῖρας *manus imposuerunt*, explicatur per verbum passiuum ἐχειροτονήθησαν: & χειροτονία potestate & significatione vtrique respondet. Deinde quæ vis sit voci subiecta hijs duabus circumstantijs demonstrat: ἡ χεὶρ ἐπιτίθεται τῷ ἀνδρὶ; & ἡ χεὶρ ἅπτεται τῆς κεφαλῆς: *Manus hominis imponitur: & manus attingit caput ordinati.* χειροτονῆν igitur Chrysostomi iu-

b Act.6.

c Chrys.hom. 14.in Act.

dicio prorsus idem valet quod manus extendere super caput ordinandi; vulgi verò consensum, aut populi suffragia, Scriptoribus Ecclesiasticis, quod ego legerim, nusquam designat. Idem in illa Pauli verba ad Timotheum: [d] *Ne negligas donum quod tibi datum est per prophetiam, cum impositione manuum Presbyterij* ita scribit. [e] *Non verba facit Paulus hoc loco de Presbyteris, sed de Episcopis:* ὁ γὰρ δὴ χειροτονῶν τὸν ἐπίσκοπον ἐχειροτόνει. *Non enim Presbyteri Episcopum ordinabant.* Vbi χειροτονία Chrysostomo tantundem valet quantum Paulo τῶν χειρῶν ἐπιθέσις.

d 1. Tim. 4.
e Chryst. hom. 13. in 1. ad Tim. cap. 4.

Atque hæc huius vocabuli vis est frequentissima apud Ecclesiasticam historiam. Cum Moses quidam Saracenorum Episcopus esset constituendus, antequã pacem cum eis habere posset Imperator; & ad Luciũ Arrianũ Alexandrinũ tunc Episcopum, sed crudelissimum Christianorũ carnificẽ, adduceretur, vt ordinationem ab eo consequeretur, χειροτονίαν hijs verbis declinauit. [f] *Ego me quidem indignum censeo qui sim Episcopus, sed si id Reipublicæ status exposcat,* οὐκ ἐπιθήσει μοὶ χεῖρας Λούκιος. *Lucius mihi manus nunquam imponet: eius enim dextra madet sanguine. Atque inde ab amicis ad montes abductus,* χειροτονίαν id est, *impositionem manuum* (quam à Lucio noluit) ab exulibus orthodoxis accepit. Similiter Sabbatius Iudæus à Martiano Nouatianæ factionis Episcopo creatus Presbyter; cum in Ecclesia turbas faceret, circa paschatis obseruationem more Iudaico celebrandam, Martianus errorem agnoscens suum [g] ἐπὶ χειροτονίᾳ quod illum ordinasset: *satius fuisse* dicebat, ἐπὶ ἀκάνθας πεθεικέναι τὰς χεῖρας ἑαυτοῦ, *super spinas manum suam posuisse*, quam super huiusmodi Presbyteros. Sic etiam Basilius Pauli locum enodat & aperit, *Manus citò nemini imposueris:* [h] ὃ δεῖ περὶ τὰς χειροτονίας εὐχερῆ εἶναι: *Non oportet esse facilem ad manus imponendas.*

f Socrat. lib. 4 cap. 36.
g Socrat. lib. 5 cap. 22.
h Basil. de sinit 70.

Quemadmodum igitur apud prophanos Græcorum scriptores, χειροτονεῖν manum attollere consensus exprimendi gratia significat, quod illis in more positum fuit; sic apud Ecclesiasticos authores ferè semper hanc habet notionem, vt alterius capiti, cum certa quadam consecratione, ma-

manus imponatur: quæ consuetudo benedicendi ac manus imponendi Presbyteris & Episcopis cum ordinantur, à fontibus Apostolicis deducta, per mille quingentas sæculorum ætates, & amplius, in Ecclesia Dei religiosè semper retenta est & obseruata.

Dies me deficiet, si quæ dici in hanc sententiam possunt, omnia coner exprimere: sexcenti sunt, quos prætermisimus, loci qui huic rei dant testimonium, si non hij satis essent superque, quos produximus. Cui libeat, & per otium liceat, legat hos Patres, & hæc Concilia, quæ subiunximus: quorum plena & prolixa tractatione, breuitatis ergò, supersedemus. Cur enim in re plus quam manifesta diutiùs hærendo meipsum & alios fatigarem? *Canones* qui dicuntur *Apostolorum* antiquioris disciplinæ documenta sanè peruetusta: *Cannone.* 1. 2. 29. 35. 68. *Concilium Ancyranum Cap.* 10. 13. *Neocæsariense cap.* 9. 11. *magnum Nicenum Concilium cap.* 4. 16. 19. *Antiochenum cap.* 9. 10. 18. 19. 22. *Laodicense cap.* 5. *Generale Concilium Constantinopolitanum. cap.* 2. 4. *Oicumenicum Chalcedonense cap.* 2. 6. 15. 24. *Concilium Africanum cap.* 13. 18. 50. 51. 56. 90. 95. *Basilius epist.* 74. 76. *Nazianzenus in Epitaphio patris. Chrysostom. de Sacerdotio. lib.* 2. *&* 4. *Epiphanius hæres.* 75. *Gregorius in vita Nazianzeni. Græci Historici hi sunt, Eusebius lib.* 6. *cap.* 20. *Socrates lib.* 1. *cap.* 15. *lib.* 2. *cap.* 6. 12. 13. 24. 26. 35. 44. *lib.* 3. *cap.* 9. *lib.* 4. *cap.* 29. *lib.* 5. *cap.* 5. 8. 15. *lib* 6. *cap.* 12. 14. 15. 17. *lib.* 7. *cap.* 12. 26. 28. 36. 37. *Theodoret lib.* 4. *cap.* 7. 13. *lib.* 5. *cap.* 23. *Sozomenus lib.* 3. *cap.* 3. 4. 6. *lib.* 4. *cap.* 8. 12. 20. 22. 24. *lib.* 5. *cap.* 12. 13. *lib.* 6. *cap* 8. 13. 23. 24. 38. *lib.* 7. *cap.* 3. 8. 9. 10. 18. *lib.* 8 *cap.* 2. *Euagrius lib.* 2. *cap.* 5. 8. 10. *lib.* 3. *cap.* 7. In quibus locis omnibus & infinitis alij vox χειροτονεῖν ad impositionem manuum, actionem Episcopis peculiarem, refertur: neque vllo modo suffragia multitudinis, aut populi consensum, manibus in altum sublatis, significare potest.

Non negamus tamen quin aliquando simpliciter eligere denotet à quibuscunque fiat vno aut pluribus & quacunque demum ratione. Ita Paulus abutitur hoc verbo dum Lucam Corinthijs commendat. [h] *Misimus autem vnà cum illo fra-* h 2 Cor. 8.

trem cuius laus est in Euangelio per omnes Ecclesias: neque id solùm sed etiam qui itineris nostri comes χειροτονηθεὶς ὑπο τῶν ἐκκλησιῶν ab Ecclesiis est delectus. Noluit Paulus in colligenda fratrum beneficentia, & ad sanctos Hierosolymitanos conuehenda solus esse, aut socios illius peregrinationis solus deligere, ne quam detractæ aut interuersæ pecuniæ suspicionem maleuolis daret. Vitabat enim in illa Ecclesiarum liberalitate deferenda reprehensorum sermonem & obtrectationem: honesta procurans, non solùm coram Deo, sed etiam coram hominibus. Quamobrē certos ab Ecclesijs, quæ largitionem illam sanctis subministrabant, delectos in itineris & operis societatem adhibuit, vt omnem eo facto suis inuidis ansam calumniandi præcideret: vnde & [i] Ecclesiarum Apostolos, id est, Legatos eos nuncupat. Eundem huius vocis vsum in Epistolis illis quæ Ignatij feruntur, [k] semel atque iterum inuenio: vbi [k] χειροτονεῖν τὸν ἐπίσκοπον, significat Episcopum quendam ad Antiochiam Syriæ *mittendum* eligere, qui pacem eius Ecclesiæ procuraret & stabiliret: non autem nouum Antiochenis Episcopum vel eligendum vel ordinandum. Ignatius quippe eorum Episcopus adhuc viuus erat, & eas literas conscripsit; & vt maximè locus Episcopo vacasset, nec Philadelphia, aut Smyrna, in eligendo aut designando, qui Antiochenam regeret Ecclesiam, ius vllum assumere aut vendicare potuit. Verùm vtì mos erat illius temporis, si qua discordiarum fluctibus iactaretur Ecclesia, confines vndique ciuitates Episcopum, Presbyterum, aut Diaconum ad eam legabant, qui tempestatem sedaret, & reduceret tranquillitatem, Ita rogat Ignatius iam absens & vinctus Iesu Christi vicinos suos, vt Antiochenæ videlicet suæ vulnus Ecclesiæ sanare, & incendium iam excitatum restinguere laborarent. Atque hæc de etymologia & notatione verbi χειροτονεῖν sufficiant.

i 2 Cor. 8.

k Ignat. ad Philadelphios ep. 6. & ad Polycarp. epist. 8.

Ex quibus intelligimus nullam firmam deduci posse conclusionem ex Actorum 14. qua vel populum vel Presbyterium coniunctum fuisse cum Paulo & Barnaba vel in electione vel in ordinatione Ministrorum demonstretur. Quinimò propter illius vocabuli perpetuum in omnibus Græcis Concilijs

cilijs, Patribus, & hiſtorijs vſum, & ipſorum etiam verborum *quæ præcedunt & ſequuntur* cohærentiam, multò certiùs colligas ad Pauli & Barnabæ perſonas illam vocem eſſe reſtringendam. Non enim ita ſcribit Lucas quemadmodum noſtræ nuper tranſlationes reddiderunt: *Quum ipſis Preſbyteros in ſingulis Eccleſijs per ſuffragia creaſſent*, ſed χειροτονήσαντες αὐτοῖς πρεσβυτέρους, id eſt, *quum conſtituiſſent illis Preſbyteros*, aut (manibus impoſitis) *ordinaſſent*.

Reliquus eſt ille Pauli locus, vbi fateri videtur Apoſtolus alios vnà ſecum, nempe Presbyteros, Timotheo manus impoſuiſſe cùm ad verbi Miniſterium vocaretur. Sic enim ait ad Timotheum; [l] *Nolis negligere gratiam, quæ data eſt tibi per impoſitionem manuum Preſbyterij.* Sed quid ſi πρεσβυτέριον eo in loco non cœtum Presbyterorum, ſed ordinem & functionem Presbyteri deſignet? Num homonymiam verbi præſidium cauſæ ſuæ collocabunt? & hoc fundamento totam diſciplinæ ſuperficiem excitabunt? Commentarij Hieronymi nomine inſcripti ſtatuunt eſſe nomen officij: [m] *Prophetiæ gratiam habebat cum ordinatione Epiſcopatus.* Sic Primaſius, ſic Haimo, ſic alij, ſic Lyranus ipſe. [n] *Preſbyterium eſt dignitas vel officium Preſbyteri.* Neque temerè hæc ſunt effutita, cum verbi vis frequenti vſu ſimiliter hunc ſenſum ferat atque illum alterum.

l 1. Tim. 4. v. 14.

m Hiero. in 1. ad Tim. 4.

n Lyra. in 1. Tim. 4.

Canone ſecundo magni Niceni Concilij Patribus diſplicuit, [o] ἵνα τοῖς βαπτιζομένοις ἐπιτεθῇ ἡ εἰς πρεσβυτέριον, quoſdam, *ſimul atque baptizabantur, ad Epiſcopatum vel preſbyteratum* promoueri. Canon decimus octauus Concilij Ancyrani ſancit, vt ſiquis Epiſcopus ordinetur, & in ea παροικίᾳ ad quam electus eſt, (ſic enim vocabant ciuitatem principalem vnà cum territorio ad alicuius Epiſcopi iuriſdictionem ſpectante) non admittatur, in Eccleſia, vnde aſſumptus eſt, honoris & Miniſterij particeps maneat. Quòd ſi illius Eccleſiæ Epiſcopo negotium faceſſat, [p] ἀφαιρεῖσθαι αὐτὸν καὶ τοῦ τιμᾶν τὸ πρεσβυτέριον, *etiam Preſbyteri honor illi detrahendus erit.* Concilium Africanum in Epiſtola ſua ad Bonifacium Romanum Epiſcopum hijs verbis certiorem eum facit, quid de Appiario, pro quo ad eos Bonifacius ſcripſerat, actum eſſet. [q] *Viſum eſt nobis*

o Concil. Nicen. cap. 2.

p Concil. Ancyran. c. 18.

q Concil. Africanum. 101

nobis vt Appianus ab Ecclesia Sicæ amoueretur; sed tamen gradu honorem retineret; & accepto nostro testimonio, τὸ ἐπίσκοπον τῆ πρεσβυτερίῳ λειτουργεῖν (alibi vbicunque vellet & posset) *Presbyteri munere fungeretur.*

Eusebius sæpe hanc vocem vsurpat in eo sensu. Episcopi Cæsarienses & Hierosolymitanus Origenem summo gradu dignum iudicantes, [r] χεῖρας εἰς πρεσβυτέριον ἤδη τεθεῖσαν, *manus illi ad Presbyterium imposuerunt.* Iterum, Episcopi Cæsarienses rogabant Origenem, vt in Ecclesia frequente Scripturas diuinas exponeret: [s] τὸν τῆ πρεσβυτερίᾳ χειροτονίαν ἔτι οὔπω τότε χραδὸν ἔχοντα, *cum nondum Presbyterij ordinationem esset assecutus*: & posteà Origenes in Palestinam ob necessaria quædam Ecclesiæ negotia legatus, ab Episcopis illius regionis, τὸν πρεσβυτερίου χειροθετήσαντο *Presbyteri gradum* suscepit. Cornelius de Nouato dicit, quòd nimio fauore locum obtinuit in Ecclesia, [u] ὡς δοκεῖν ἤδη χεῖρας εἰς πρεσβυτερίου κλῆρον, Episcopo *manus ei ad Presbyteri sortem imponente.* Socrates de Proclo narrans quomodo ad summũ Constantinopolitanæ sedis fastigium ascenderit, scribit, eum ab Attico primùm in ordine ([x] διακονίαν) *diaconatus* constitutum esse; posteà (πρεσβυτερίου) honore Presbyteri dignum esse habitum; tandem à Sisinnio ad *Cyzici* (ἐπισκοπὴν) *Episcopatum* prouectum fuisse. Vbi διακονία, πρεσβυτερίου ἐπισκοπὴ, eo quo locantur ordine, gradus & officia Diaconi, Presbyteri, Episcopi declarant. Et certè vel Græci deficiuntur verbo, quo functionẽ Presbyteri χρὴ τῆ πρεσβυτέρῳ denominent, quod omnino non est verisimile; aut hæc duo verba πρεσβυτέριον & πρεσβυτερεῖον perindè officium Presbyteri atque Presbyterorum cœtum significant.

Si quis hanc interpretationem declinet vt vanam aut curiosam; audiat id, quod Caluinus, vir longè doctissimus, in hunc locum commentatur: *Presbyterium:* [y] *qui hîc nomen collectiuum esse putant procollegio Presbyterorum positum, rectè meo iudicio sentiunt: Tametsi omnibus expensis, diuersum sensum non male quadrare fateor, vt sit nomen officij.* Ex quo sequitur non id solidum esse, quod hinc colligitur de Presbyteris vnà cum Apostolo sociatis in ordinatione Timothei. Paulum ipsum ei manus imposuisse tam est certum quàm quod certissimum

r Euseb. lib. 6. cap. 8.

s Idem lib 6. cap. 20.

t Idem lib. 6. cap. 23.

u Idem lib. 6. cap. 43.

x Socrat lib 7 cap. 41.

y Caluin in. 1. Tim. cap 4.

tissimum. Sic enim asserit Apostolus, [z] *Admoneo te vt exsuscites Dei donum quod in te est per impositionem manuum mearum.* Presbyterium in actione illa cum Paulo coniunctum fuisse, quidam ambiguitate [a] vocis inducti opinantur; sed propter homonymiam verbi cum duæ differentes sententiæ possint accipi, nihil expressi, nihil inde firmi concluditur. [*Sed Caluinus, Chrysostomus, Theodoretus, Ambrosius, Theophylactus eo Pauli loco Presbyterium exponunt pro cœtu Presbyterorum, non pro functione Presbyteri.*] Caluinus, vt anteà vidimus vtramque partem æqua lance sustinet: sed idem alibi re tota diligentiùs & accuratiùs ponderata, in nostram planè propendet sententiam: [b] *Paulus ipse alibi se, non complures alios, Timotheo manus imposuisse commemorat. Admoneo te, inquit, vt gratiam suscites quæ in te est per impositionem manuum mearum. Nam quod in altera Epistola de impositione manuum Presbyterij dicitur, non ita accipio, quasi Paulus de seniorum collegio loquatur, sed hoc nomine ordinationem ipsam intelligo, quasi diceret; Fac vt gratia, quam per manuum impositionem accepisti, cum te Presbyterum crearem, non sit irrita.*

z 2.Tim.1.

a 1.Tim.4.

b Caluinus Institut.lib.4. cap.3.

Verùm si remotis paulisper nominibus, & sopitis præiudicijs, res ipsas putemus, & expositionis vtriusque momenta perpendamus; vtra sit probabilior facilè iudicabimus. Presbyterium vnà cum Paulo manus ordinando Timotheo imposuisse, nulla ratio necessitatem affert vt credamus; coniectura, quæ solâ nititur amphiboliâ, quosdam interpretes in eam opinionẽ adduxit. Ex altera parte, Paulum solum eam ordinationem perfeciſſe; (præter ipsius manifesta verba breuissimè simul ac verissimè à Caluino superiùs exposita) minimè dubiam mihi fidem faciunt excellentia vocationis Timothei supra sortem Presbyterorum; & Apostolicarum manuum efficacitas sine quouis adiumento cæterorum: Vt interim istorum hominum confessionem taceam, qui si constare sibi velint, nulla potuit in ordinando Timotheo, quippe Euangelista Presbyterorum authoritas intercedere. Is enim Euangelista, dicendus est, si hos authores sequamur, qui Apostolum, vt socius itinerum & adiutor laborum, comitari solebat. Iam autem ad nullius Ecclesiæ ius spectabat

huiusmodi personæ designatio; sed vnum penes Apostolum fuit, quem sibi profectionis suæ participem asciscceret. Hoc ipsum liquet in Paulo, qui repudiato Marco Sylam prætulit: & in Barnaba, qui Marcum peregrinationum suarum consortem assumpsit. Deinde charismata spiritus in Timotheum collata, quæ Paulus iubet exuscitari; & potestas Euangelistæ, si istis credimus; aut Episcopi, si priscis Patribus consentimus; Presbyterorum vocationem longè superabant; & à nullis præterquam Apostolis dari potuerunt. Vt igitur tam dona quàm vocatio Timothei Presbyteris superiora fuerunt; ita manuum impositionem, quæ dona conferebat & vocationem confirmabat, ab altiori & eminentiori potestate quàm Presbyterorum proficiscì oportuit. Postremò cùm Paulus affirmet gratiam illam Timotheo datam esse per impositionem manuum suarum, quid opus fuit aliorum manus ad eam ordinationem admisceri? Non Pauli sufficiebant manus & ad gratiam prophetiæ dandam, & alia spiritus charismata tribuenda, quibus homines eo tempore instruebantur ad sacrum Ministerium obeundum? Non Apostolus Euangelistam, Episcopum, Pastorem, ordinare sine Presbyterorum potuit auxilio? Quis ergo primos illos Prophetas & Pastores quibus Ecclesię gentiũ concreditę sunt, antequàm essent illis in locis presbyteri, constituit? Quis illis manus imposuit ad prophetandum & linguis loquendum? Non Paulus? Qui fit igitur vt Prophetas, Pastores, Presbyteros vbiq; gentiũ qui creare potuit, & eos donis necessarijs cumulare, cùm nullus adhuc ibidem Pastor esset aut Presbyter; qui, inquam, fit, vt Timotheũ non potuerit Euangelistã, Episcopũ, aut Pastorem ordinare, nisi concurrentibus & adiuuantibus, nescio quibus Presbyteris? An ita vecordes erimus & amentes, vt Apostolicam in Paulo potestatem exaruisse dicamus? [*Sed enim Chrysostomus, Theodoretus & cæteri superiùs citati patres alios in ordinatione Timothei cum Paulo consociant*] Chrysostomus adiungit alios, sed illos quidem Episcopos; Presbyteros autem verbis disertis excludit hac addita ratione: quia[c] *Presbyteri Timotheũ non* potuerunt *Episcopum ordinare.* Verba ipsa paulò antea posuimus. Theodoretus in eandem it sen-

c Chrys. ho. 13. in 1. ad Tim. & hom. 1 ad Philip.

sententiam.[d] *Presbyterion hic vocat eos qui Apostolicam gratiam acceperunt*, id est, Episcopalem, vt ipsemet testatur. Theophilactus pro more suo Chrysostomi vestigia persequitur. [e] *Aduerte*, inquit, *quantum valeant Pontificum manus impositæ.* Ambrosius vnum potiùs ordinatorem quàm plures suggerit. [f] *Gratiam tamen dari ordinatoris significat per prophetiam & manuum impositionem.*

d Theodor. in 4. cap. 1. ad Tim.
e Theophil. in 4. cap. 1. ad Tim.
f Ambros. in 4 cap. 1. ad Tim.

Nondum igitur ex sacris Scripturis probatur vel multitudinem cum Apostolis Presbyteros elegisse, vel Presbyteros cum Apostolis fuisse copulatos in Pastoribus ordinandis. Quæ loca proferuntur ne probabiliter quidem id efficiunt; tantum abest vt necessariò concludant. Matthias sortibus est delectus ad Apostolatum; Septem Diaconorum fidelitas vniuersæ multitudini fuit prius appobanda, quàm cæterorum omnium facultates illis crederentur, ad communem totius Ecclesiæ victum & cultum comparandum: quibus tamen ipsi vos nec verbi prædicandi, nec sacramenta dispensandi ius, aut munus vllum conceditis. Lystrenses & Iconienses Pastores Paulus cum Barnaba, quos dignos iudicabant, impositione manuũ ordinabant. Timotheum tam vestra quàm nostra confessione Presbyteris longè superiorem, non ab inferioribus, sed à maioribus aut certè paribus vocationis suæ plenitudinem & perfectionem oportuit suscipere. Nihil in hijs nostris assertionibus coactum aut violentum; Scripturarum nec loca disiungimus à veris circumstantijs, nec verba diuellimus à natiuis viribus. χειροτονία, si morem loquendi Concilijs, Patribus, & historijs vsitatum spectemus, ordinandis manus imponere significat. πρεσβυτέριον tam officium & munus Presbyteri, quàm cœtum & consessum Presbyterorum declarat: & hunc germanum esse loci Paulini sensum quem nos adferimus, (præterquam quòd Paulus asserit Timotheum *suis manibus* consecratum) Caluinus, istorum nemini secundus, in suis Christianæ religionis fundamentis ingenuè confitetur & liberè. Veritatis quanta vis, quantum est lumen, nisi aures ad omnia libeat occludere, & oculos obsignare? Eant isti nunc & sua commenta pro sancti Spiritus institutis venditent: populares electiones

nes iure diuino ſtabilitas iactent; Apoſtolos ſine Presbyteris manus imponere non potuiſſe clamitent.

Quemadmodum igitur (inquies) factæ ſunt electiones Apoſtolorum temporibus, & manus impoſitæ? Equidem malim apud alios audire, quàm meũ ipſius interponere iudiciũ: dum tamẽ illi non more prætorio iuris dicundi poteſtatem ſibi ſumant, ſed idoneis teſtibus ſua confirmare; vel firmis rationibus pugnare non recuſent. Quæ res obtineri ſi poſſet, in Eccleſia Chriſti citiùs multò capitales iſtæ diſcordiæ, quæ plurimorum mentes affligunt, & pietatis ſtudia pene reſtinguunt, dum neſciunt quid aut quem ſequantur, ſedarentur. Ne tamen quibuſdam qui ſua inuenta mirifice amplectuntur, vel longiùs procedendi vel fortius in errore perſeuerandi cauſam tribuat noſtrum ſilentium, qui mihi tàm Presbyteros eligendi quàm manus imponendi mos videatur Apoſtolicus, haud grauabor oſtendere. Et primùm de impoſitione manuum; vnde orta, & quem in finem ſolita ſit adhiberi.

Ritus imponendarum manuum perantiquus fuit, & Iudęis celebri in vſu, cum alicui bene precarentur, aut teſtimonium dicerent, ab ipſo Deo primũ approbatus, ac tandem à Seruatore noſtro in Euãgelio confirmatus. Iacobus cũ nepotibus ſuis Ioſephi filijs benediceret, [g] *manus* ſuas illorum capitibus decuſſatas, *impoſuit*. Moſes à Deo miſſus eſt, vt Ioſuæ [h] *coram toto cœtu manus imponeret*, & in oculis omnium ſummum illi magiſtratum mandaret. Quiſquis hoſtiam Domino mactabat, eam [i] *manu in caput victimæ impoſita* dedicabat. Teſtes qui falſò Suſannam accuſabant, [k] *manus ſuas ſupra caput illius ponebant*. Filius Dei in carne noſtra veniens eundem ritum roborauit potiùs quàm reiecit. Cum enim pueruli ad eum adducerentur, & [l] *manus impoſuit, & eis benedixit*. [m] Ægrotos & [n] Dæmoniacos *manibus impoſitis curauit*. Dedit Apoſtolis & alijs hanc poteſtatem, vt [o] *manus ſuper ægrotos imponerent & ſanarent*.

g Geneſ. 48. h Num. 2.
i Leuit 3. 4.
k Hiſt. Suſannæ.
l Math. 19. Mar. 10.
m Mar. 6.
n Luc. 13.
o Mar. 16.

Apoſtoli ceremoniam à Magiſtro acceptam, non ægrotis ſolummodò curandis, & fratribus gratiæ Domini commendandis, ſed etiam in largiendis Spiritus ſancti mirificis donis,

nis, & in vocatione Miniſtrorum ac conſecratione, retinuerunt. Paulus Publij patrem ex febri & dyſenteria laborantem [p] *impoſitis manibus* curauit. In *Paulum* ipſum, Ananias, nondum baptizatum, [q] *impoſuit manus*, vt *viſum* cœleſti ſplendore amiſſum *recuperaret*. Cum iuſſu diuino Paulus & Barnabas amandandi eſſent ad opus, cui Spiritus ſanctus eos deſtinauerat, *Simeon, Lucius, & Manahen, Antiochiæ tunc docentes & prophetantes, cum* [r] *oratione & ieiunio manus eis impoſuerunt, & eos dimiſerunt*. Delectis illis ſeptem, qui menſis minitrarent, & bona fidelium in totius Eccleſiæ neceſſitates impẽderent, [ſ] *fuſa prius oratione, manus impoſuerunt* Apoſtoli,

p Act. 28.
q Act. 9.
r Act. 13.
ſ Act. 6.

Hoc primùm loco conſtituti ſunt Eccleſiæ Diaconi: quorum deſignationem multitudini diſcipulorum permiſſam videmus. Et certè cum in pecunijs & facultatibus cęterorum ad indigentiam cuiuſque diſtribuendis, œconomorum integritas, prudentia, diligentia maxime opus eſſent, res illa præcipuè populum attingebat, cuius captum & iudicium nullo modo ſuperabat. Solis tamen Apoſtolis impoſitio manuum eſt reſeruata, quamuis etiam id temporis ſeptuaginta diſcipuli cum alijs multis presbyteris adeſſent. Fieri potuit vt multitudo de fidelitate ac ſinceritate Diaconorum recte iudicare potuerit: de dotibus autem Miniſtrorum ac Paſtorum Eccleſiæ nnnquam erant idonei iudices: non magis quàm cœci, quod aiunt, de coloribus. Quæ quiſque nouit, de hijs bene iudicat; præceps in errorem ruit quem dirigit ignorantia. Quô fit vt in fidei myſterijs tradendis tractandiſque non ducat plebs Paſtorem, ſed potius ſequatur: & ea de cauſa Paſtorum dotes & talenta nequaquam diſcernat. Mores forſitan internoſcere poteſt multitudo, (quà de re aliàs pluribus) doctrinæ verò puritatem, & cætera bonis Paſtoribus quæ ſunt attributa, nec aliquando potuit dijudicare, nec poterit. Quanquam nondum in eo ſum vt de Paſtorum creandorum iudicibus agam; illud hoc loco quæritur; quinam, Apoſtolorum ætate, non vtrum eſſent idonei iudicare, ſed vt eſſent idonei præſtare potuerunt. Nam cum primùm Eccleſiæ plantarentur, etiam illi qui credebant

debant, in diuinis Scripturis & myſterijs adeò tyrones fuerunt & rudes, vt ad populum docendum & regendum nulli fuerint idonei; niſi quos Apoſtoli, per manuum ſuarum impoſitionem, variis Spiritus ſancti donis inſtruerent, & ad illud munus exequendū aptos efficerent. Hanc à Chriſto poteſtatem, vt impoſitione manuum omnigenas Spiritus ſancti gratias largirentur, quibus homines repentè mirandum in modum ad verbi prædicationem redderentur idonei, non plebs, non Presbyterium, ſed ſoli receperunt Apoſtoli. Ex quo ſequitur Paulum, ſine plebis aut Presbyterij conſenſu, vel conſilio, (quippe quibus ea conferendi Spiritum ſanctum facultas non erat conceſſa) ſola manuum ſuarum impoſitione Timotheum tantis Spiritus ſancti donis cumulare potuiſſe, vt diuinitùs in Paſtorem, Prophetam, aut Euangeliſtam delectus cenſeretur.

Res erit exēplo illuſtrior. Populus Samaritanus per Philippi prædicationē crediderat, & ab eodē baptizatus fuerat: in neminē tamē eorum venit Spiritus ſanctus, donec Petrus
t Act.8. & Iohannes eò [t] *deſcendentes precati ſunt pro eis, vt acciperent Spiritum ſanctū*; tunc verò *impoſuerunt eis manus, & receperunt* (Samaritæ) *Spiritum ſanctum*. Chariſmata quippe Spiritus, vt linguis loquerentur, ægrotos ſanarent, præcipuè autem vt prædicarent, orarent & prophetarēt ſine doctore, ſine labore; hæc inquam chariſmata in primo exortu Euangelij diuinitùs copioſe profuſa religionis & Eccleſiæ fundamenta poſuerunt. [u] *Cuique data erat declaratio ſpiritus ad vſum* (Eccle-
u 1.Cor 12. ſiæ) alij ſic, alij autem ſic, in [x] *ædificationem ſanctorum, in opus*
x Epheſ.4. *miniſterij*. Hæc dona per Apoſtolorum manus collocata ſunt, non in omnes credentes, ſed in eos ſolummodò, quos arcana quadam ratione Spiritus ſanctus Apoſtolis ſignificabat: quoſque ad cœleſtem doctrinam diſſeminandam, & regendam Eccleſiam ſuam paratos & ornatos eſſe voluit: idq; ea
y 1.Cor.14. menſura qua ſingulis admetiri Deo viſum eſt, [y] *ad conſolandum, ad docendum, ad exhortandum*. In Samaria recens ad fidem conuerſa nondum Chriſtianæ religionis partes & iura callebant, non ſacrarum literarū aditus & receſſus perueſtigauerant, quibus vel ſuos erudirent, vel aduerſarios reuincerent

cerent: prorsus ad Euangelij prædicationem & Ecclesiæ gubernationem inermes & inepti fuerunt: donec Petrus & Iohannes eorum aliquos Spiritus sancti virtute per manuũ impositionem donantes, alios Prophetas, alios Pastores, alios Doctores mirabiliter effecerant: quemque donis ad functionem necessarijs adornantes. Qua in re non ita desipere debemus, vt populum aut Presbyterium eos elegisse dicamus, quos Petrus & Iohannes donis cœlestibus ditauerant; sed quos ipse Spiritus vel instinctu, vel voce, vel per Prophetas nominauerat, in eos Apostoli manus imposuere.

Hoc ipsum Ephesi à Paulo factum est duodecim illis discipulis qui de mirificis Spiritus sancti gratijs ne fando quidem audiuerant. [z] *Imposuit illis manus, & Spiritus in eos illapsus est, ac linguis loquebantur, atque prophetabant:* hoc est, ijs donis instruebantur quæ *ad* [a] *Sanctos colligendos & ædificationem corporis Christi fuerunt* necessaria. Id quod Beza in eum scribens locum verissimè obseruauit, [b] *Necesse est fateri hîc agi de Ecclesiæ Ephesinæ primordijs, quum antea nulli fuissent illic ordine constituti piorum conuentus: ac proinde Apostolum percontari de donis quibus illos peculiariter solebat Deus ornare qui gubernaculis Ecclesiæ admouebantur: num videlicet iam essent illis manus impositæ, vel ijs saltem Spiritus sancti donis præditi, ex quibus colligeretur illos ad sacrum Ministerium diuinitus vocari, veluti dono linguarum & prophetiæ.* Bezæ iudicium hoc in loco rectum & veritati coniunctum arbitror: & hinc, nisi me fallit animus, firma ratione concluditur, Paulum hos duodecim viros suis solius manibus Prophetas & Doctores Ephesinæ constituisse Ecclesiæ: cum nullus adhuc publicus esset populi cœtus, qui eos deligeret, aut Presbyterion vllum, cuius authoritas in eis ordinandis intercederet. Quod argumento est, Pauli manus satis habuisse virium ad creandos Euangelistas, Prophetas, Pastores, in Ecclesia Christi: tametsi Presbyterion nullum operam suam aut potestatem adiungeret.

z Act. 19.

a Ephes. 4.

b Beza annot. in Act. cap. 19

Quid quod Presbyterion in hac actione cum Apostolo sociari non poterat? Quid quòd impositis manibus Spiritum sanctum conferre, proprium Apostolicæ potestatis & ho-

honoris insigne fuit, & ornamentum? Samariæ Philippus
c Act 8. quàm plurimos ad c fidem conuerterat, & sacro perfuderat lauacro: Philippus tamen in impositione manuum cum Petro & Iohanne particeps & socius esse non poterat: sed illi soli, quippe qui fuerint Apostoli, Spiritum sanctum dabant. Paulus nunquam solus peregrinatus est: semper habuit itid Act.19.v.22 neris comites: atque tunc temporis d *Timotheus & Erastus* illi ministrabant: Solus tamen Paulus in Ephesios illos manus imposuit: solus Prophetas illos constituit. Quod scribit
e Rom.16. ad Romanos hunc optimè sensum ferre potest: e *Scio me, quum veniam ad vos, cum abundantia benedictionis Euangelij Christi venturum:* hoc est, Deum, scio, per manus meas in vos copiosas sui Spiritus dotes profusurum. Illud certè ad Corinthios manifestum est aliò referri non posse. f *Indicia*
f 2.Cor.12. *quidem Apostoli edita sunt apud vos cum omni tolerantia, per signa, prodigia, & virtutes: nam quid est in quo inferiores fueritis reliquis Ecclesijs?* Prodigia & charismata diuinitùs ostensa & effusa per eius manus in Corinthios, Apostolatus sui sigillum esse profitetur. Tantum & plus etiam agnoscit Beza, vir inprimis doctus; cui & omnes boni plurimum, & isti omnia tribuunt in hac præsertim controuersia: qui fundamentum opinionis suæ statuens Christi promissionem, solis duodecim illis factam, & quinquagesimo die post præstitam, Apostolos solos suis manibus Spiritum sanctum censet potuisse largiri. g *Omnes duodecim simul die Pentecostes conuenerunt, promissionem videlicet expectantes, totius quidem Ecclesiæ commodo, tamen non toti Ecclesiæ, nec discipulis omnibus, sed illis propriè & peculiariter factam. Luc.* 24.49. *Matth.*28. 16.& 19. *Mar.*16. 14.& 15. *Act.*1.2.& 4. *In illius historiæ progressu dicuntur omnes isti Galilæi fuisse. Nec Petrus dicitur stetisse cum alijs quàm cum illis vnd cim collegis suis Act.*2.7.& 14. 27. *vt manifestè liqueat hanc missionem Spiritus sancti tam solennem ad nullos alios quàm ad duodecim illos, plantandis per orbem terrarum Ecclesijs cum peculiari Spiritus sancti abundantia destinatos, pernituisse: quorum posteà ministerio alijs ipsorum συνεργοις futuris Spiritus sancti χαρισματα communicarentur.* In neminem præter illos duodecim eo die sanctum de-
g Beza de Ministr.gradib. cap.5.

scendisse

scendisse Spiritum, aut cæteros omnes etiam septuaginta Discipulos tunc præsentes cum Apostolis, eorum tamẽ manibus Spiritum accepisse, vix ausim affirmare. [h] *Venit de cælo Spiritus sanctus*, inquit Augustinus, *& implenit vno loco sedentes centum viginti.* Septem illos qui ad communem Ecclesiæ curam assumpti sunt, ante manuum Apostolicarum impositionem *Spiritu sancto plenos* fuisse, diuina meminit Scriptura. De Gentibus in Cornelij domo congregatis, ita refert Petrus: [i] *Cùm cœpissem loqui, illapsus est in eos Spiritus sanctus, quemadmodum & in nos in principio.* Itaque Deus alijs perinde ac Apostolis hæc Spiritus charismata, quamuis non eadem mensura donauit: idque ante manus Apostolorum impositas. Hoc tamen mihi persuasum est, hominem neminem præter Apostolos impositione manuum miranda Spiritus sancti dona contulisse. Nam eos solos id fecisse lego, non alios. Atque ita Chrysostomus: [k] *Philippus baptizans Spiritum sanctum non dabat, neque enim poterat. Hoc enim donum solorum Apostolorum erat.* Et iterum: [l] *Alij potestatem edendi signa acceperant, non tamen tribuendi Spiritum sanctum. Hoc igitur in Apostolis erat singulare.* Quapropter non solùm Apostoli sine Presbyterijs manus imponebant, & ita per mirabilem Spiritus sancti potentiam & virtutem Prophetas & Pastores, qui priùs non fuerant, idoneos sine minima temporis dilatione, reddebant: sed Ecclesiarum Presbyteria sibi tantum assumere non debuerunt, vt se cum Apostolis sociarent ad Spiritus sancti dona per impositionem manuum tribuenda, quod peculiare fuit signum & argumentum Apostolatus. Quos igitur ipse Spiritus nominatim designabat, in hos Apostoli manus imponebant, & dona conferebant ad sacrum ministerium accommodata: nec populo nec Presbyterio linguas aut manus admiscente, quo diuinitùs factam electionem & ordinationem perficerent aut promouerent. Non enim expectanda sunt humana suffragia cum precedunt diuina: nec voluntate Dei reuelata requirendus est hominum consensus: maximè quum Spiritus sanctus in suis donis elargiendis ex aliorum nutu & arbitrio non pendeat, sed suum ipsius consilium & institutum persequatur.

h Augustin. in ep. Ioh tract. 3

i Act. 11. v. 15.

k Chrysostom. 18 in cap. 8. Act.

l Ibid.

Præ-

Præeunte ergo Spiritu sancto, & suam voluntatem per Apostolorum manus declarante, Presbyterium ordinationem diuinitùs factam, nec confirmare sine superbia potuit, nec sine scelere repudiare. [*Num exemplis ostendi potest aliquos à Spiritu sancto nominatim designatos fuisse, qui manus impositionem ab Apostolis reciperent?*] Spiritus sanctus Apostolis suggerebat, tum quibus in locis Euangelium disseminarent, tum quibus personis manus imponerent. [m] *Paulus peragrata Phrygia & Galatia prohibitus est à Spiritu sancto verbum loqui in Asia. Cùm tentarent ire in Bithyniam, non siuit eos Spiritus. Visu nocturno à Troade in Macedoniam euocati sunt.* Cùm Prophetæ ac Doctores Antiochienses ministrarent Domino, ac ieiunarent, [n] *dixit Spiritus sanctus, Separate mihi Barnabam & Saulum ad opus, ad quod eos vocaui.* De Timotheo, quem Presbyterorum manibus ordinatum asserunt isti, Paulus ita scribit: [o] *Vt secundùm antegressas de te prophetias milites per illas bonam militiam.* Timotheum igitur testimonio Prophetarum approbatum & commendatum, Paulus in comitatum assumpsit, & secum proficisci voluit, & per *impositionem manuum suarum* eum Spiritu sancto locupletauit: in quo quis potuit accedere, vel Presbyterij, vel populi consensus? Neque hoc in Timotheo singulare erat, quin potiùs alijs commune fuisse notat Chrysostomus. [p] *Tunc quia nihil fiebat humanum, sacerdotes ex prophetia veniebant. Quid est ex prophetia? Ex Spiritu sancto. Quippe munus est prophetiæ non modò futura prædicere, verùm & præsentia dicere. Vt Saulus prophetia ostensus est ad vasa & impedimenta delitescere: vt Spiritus sanctus dixit, Separate mihi Paulum & Barnabam: ita & Timotheus electus est.* In Timotheum à Spiritu sancto delectum ac designatum, Paulus, licet Apostolus, tamen sine presbyterio manus imponere non potuit? Ita scilicet ratiocinantur nonnulli, sed aliter longè Chrysostomus, & itidem Theodoretus: [q] *Vocationem tuam non habes ab hominibus, sed ex diuina reuelatione eum ordinem accepisti.* Similiter & Oicumenij σχόλια. [r] *Iuxta Spiritus reuelationem Timotheus, & à Paulo in discipulum electus, & circumcisus, & Episcopus ordinatus est.* Quod ipsum longo post tempore in Ecclesia perdu-

m Act.16.

n Act.13.

o 1.Tim.1.

p Chrys.hom. 5. in 1. cap.1. ad Tim.

q Theod in 1. cap.1.ad Tim

r Oicum.in 1. cap.1.ad Tim

s Euseb. lib.3. cap.23.

rauit

rauit vsque ad Iohannis Apostoli mortem, vt Pastores diuinitùs designarentur: sicut Eusebius ex Clemente Alexandrino refert.[f] *Post mortem tyranni cum Iohannes Apostolus ex insula Patmo Ephesum reuersus esset, Ecclesias gentium circumiacentes ambiuit: vt alicubi Episcopos constitueret, alibi totas Ecclesias componeret.* ὅπου δὲ γε κλῆρον ἑνα τινα κληρώσων τῶν ὑπὸ τοῦ πνεύματος σημαινομένων, *nonnullis in locis vt in clerum eligeret* (vel sortibus designaret) *quos Spiritus sanctus significabat.* Videmus, Paulo vita iam annos triginta defuncto, Spiritum sanctum Iohanni suggessisse, quos in clerum cooptatos vellet: atque ambitus & tumultus euitandi causa, sortitionem in vsu fuisse, quemadmodum in Matthiæ delectu initio fuit obseruatum.

[f] Euseb. lib. 3. cap. 23.

Si quis quærat quænam generalis regula fuerit eligendi ac ordinandi temporibus Apostolicis; in re varia & multiplici non vnum & simplex responsum à me potest auferre. Triplicem eligendi in Testamento nouo rationem inuenio, per Spiritum, per sortes, per suffragia. Per sortes *Matthias* deligebatur: per suffragia *Diaconi:* per Spiritus vocem emissam *Paulus* & *Barnabas* ad Gentes docendas ablegati sunt: per Spiritum in prophetis loquentem *Timotheus* designabatur.[t] *Ne negligito gratiam quæ data est tibi per prophetiam cum impositione manuum ad ordinem presbyteratus.* Iterum.[u] *Hoc præceptum commendo tibi fili Timothee iuxta præcedentes de te prophetias, vt milites in illis bonã militiam.*[x] *Philippo dixit Spiritus* vt ad Eunuchi currum se adiungeret: & [y] *Petro* vt cum Cornelij nuncijs ire non recusaret. Ananias & Saphira cum Spiritum in Petro tentare voluerunt, an cordis arcana consilia rescisceret, magno suo malo senserunt eum animi recessus etiam intimos perscrutari.[z] *Si denuò venero non parcam,* inquit Paulus, *quandoquidem experimentum quæritis Christi in me loquentis.* Idem Spiritus Petrum & Iohannem Samariæ dirigebat, in quos manus suas imponerent. Pari modo Paulum afflauit, vt duodecim illis Ephesijs ad Ecclesiam ibi plantandam multiformes Spiritus dotes impertiret. Quo sensu verè illos posteà admonere potuit:[a] *Attenderent gregem in quo Spiritus sanctus eos constituisset*

[t] 1. Tim. 4.
[u] 1. Tim. 1.
[x] Act. 8. v. 29.
[y] Act. 11. v. 12.
[z] 2. Cor. 13.
[a] Act. 20.

Episcopos, vt pascerent Ecclesiam Dei. Erat enim planè diuinum opus & Spiritu sancto dignum, tum homines indicare Paulo in quos manus imponeret, tum eos admirandis gratiæ suæ subsidijs augere, vt Prophetas & Pastores ad Ecclesiæ commodum vtiles & opportunos eos efficeret. [*Quicquid Apostolis, abundanti mensura Spiritus vltra Pastorum, Prophetarum, & Euangelistarum sortem ac conditionem præditis, concedamus, eorum tamen Discipuli, qualis Timotheus & Titus fuerunt, nec eligere sine plebe, nec ordinare sine Presbyterio poterant.*] Hoc frequenter à quibusdam asseritur, & vehementer: cuius tamen ego nullam adhuc probationem audire potui. Fundamentum huius assertionis in eo positum est, quòd ita factitauerint Apostoli, sicut isti putant: à quorum vestigijs reliquos non temerè discessuros arbitrantur. Atqui iam Apostolos ipsos non ita fecisse, re penitùs perspecta, comperimus. Per sortes, per Prophetas cœlesti numine concitatos Apostoli Pastores designabant: imò potiùs per impositionem manuum suarum, prout spiritus ducebat, omnibus rebus ad Pastorum munus necessarijs eos instruebant, quos imparatos & impolitos offenderant. Certè quenquam eos suffragijs creasse Pastorem aut Prophetam nemo omnium ex Scripturis docebit. Quamobrem istis vel inuitis concedendum nobis est, vt Timotheum & Titum Prophetarum ope Pastores idoneos vestigasse potiùs putemus, quàm arbitrio multitudinis. Siquidem illorum ætate nondum Ecclesiam defecerant ista Spiritus sancti dona: quinimò qui sub Apostolis Prophetæ fuerunt, temporibus illis perdurarunt. Illud etiam donum [b] *Occulta rescisendi &* [c] *spiritus discernendi* sub Apostolorum Discipulis viguit, tametsi longè minori quàm in Apostolis mensura.: vndè Pastores veros à fucatis internoscere poterant. Deficientibus tandem Prophetijs, ad suffragia ventum est: nec aliud habebant Ecclesiæ tacente Spiritu sancto quàm vt hominum starent iudicio, quamdiu verò Spiritus sancti vis & voluntas, in designandis quos ipse dignos iudicauerat, aperta fuit & testata, nec plebis vota nec Presbyterij iudicia requirebantur. [*Canonem Paulus præscribit Timotheo & Tito quales*

b 1. Cor. 14 v. 25.

c 1. Cor. 12. v. 10.

&

& quibus donis prædatos oporteat eligi.] Hunc igitur canonem firmum & in perpetuum ratum teneamus. Nec tamen hoc canone Paulus populum monet quales eligere debeant, sed Timotheum & Titum quales admittere liceat & ordinare. Ad ambitionem & æmulationem candidatorum præuertendam, ad dissentionē electorum & gratiam præcauendā initio sortes adhibebant Apostoli, quas multos post annos Iohannes retinuit. Paulus etiam ad euitandos seductores & illusores qui iam tum irrepserant in Ecclesiam, has fixit leges: ad quas tanquam ad exemplum & regulam ij qui Apostolis succederent omnium spiritus exigerent, & hijs tanquam lapide Lydio spiritum veritatis sincerè & incorruptè loquentē secernerent à callidis & dolosis veteratoribus, qui quæstus ac compendij sui causa imperarunt sibi omnia assentari, omnia ementiri. Sicut enim Deus ad illustrandam & amplificandam Filij sui gloriam eos magnis Spiritus sancti viribus & dotibus instruxit quos Euangelio prædicando destinârat, ita Satanas ad obscurandam Christi gratiam,& cursum veritatis impediendum, malorum & subdolorum operariorum cateruas effudit: quæ causa fuit vt Apostolus Timotheo ac Tito præfiniret, quos in ministerium admitterent, & quos rejicerent, si se puros & ab aliorum vitijs integros conseruare vellent.[*Non potuit Paulus vereri ne Spiritus sanctus per ora Prophetarum homines indignos ad Ecclesiæ curam vocaret.*] Falsorum & mendacium Prophetarum turbam magnam iam id ætatis exortam vidit Paulus, & exorituram postea maiorem præuidit: quorum fraudes & fallacias,ne simplicium animos inescarent,præuenire voluit. Quocirca leges tulit in omnem posteritatem valituras; ex quibus cerneretur in Pastoribus deligendis, quæ virtutes potissimùm spectarentur, quæ vitia maximè fugerentur. Tales Spiritus sanctus Apostolis indicabat: tales per Prophetas nominabat: tales etiam, deficientibus in Ecclesia Prophetis,voluit per omnes sęculorum ætates ab Episcopis ordinari; de popularibus autem electionibus nec Paulus, nec cæterorum quisquam, aut verbum fecit, aut literam scripsit, quamuis nostri nihil nisi ius diuinū loquantur. [*Prima & antiquissima Ecclesia suffragijs populi suos*

elegit Pastores, idq; non aliud esse quàm diuinam traditionem & Apostolicam obseruationem putauit Cyprianus.] Erit tempus de Ecclesiæ consuetudine & Patrũ iudicio posteà disputandi: nunc Scripturas expendimus, an ex eis concludi possit, omnem electionem Pastorum & Presbyterorum irritam esse, nisi fiat de sententia populi: & quod ad me attinet liberè profiteor me tale nihil inuenire. Video multos id agere quàm acerrimè vt diuini iuris esse credatur, silente tamen de electione populari tam Lege quàm Euangelio: ego quidem mandatum diuinum sine verbo Dei non ausim prætexere. In veteri Testamento Aaron à [d] *Deo vocatus est*; & [e] Leuitæ secundùm ordinem familiarũ descripti sunt & decuriati: quorũ filijs semper paternæ dignitatis hæreditas veniebat. Prophetæ diuino numine sunt afflati, delectus est nemo. [f] Mosem, [g] Iosuam, Iudices ipse Deus designauit: sic etiã [h] principes duodecim tribuum, quemq; suo nomine. Septuaginta seniores constituti sunt, quos Moses non elegit, sed [i] *nouerat esse populi moderatores*; & in chiliarchas, centuriones, & decuriones viri primarij cuiusque tribus assumpti sunt. [k] Saulo Regi per sortes, [l] Dauidi per vocem Prophetæ Samuelis regnum tribuit Dominus. Cæteri vel hæreditario iure successerunt, vel armis imperium occuparunt. In quibus omnibus nec ciuiles magistratus, nec sacrorum quisquam præfectus iudicio populi designatus est. In nouo Testamento, quod sæpè iam dixi, neminem à multitudine delectum fuisse lego, præter illos septem viduarum & mensarum curatores: quibus plebs vniuersa bonorum suorum distributionem credidit & commendauit. Et quamuis ita fecerint Apostoli ne cuiquam in suspicionem venirent, pecuniæ vel per fraudem detentæ, vel per iniuriam dissipatæ: sed hanc ex bonis communibus & instruendi mensas, & viduas sustentandi prouinciam alijs darent: tamen non est consequens vt in Pastoribus & Episcopis deligendis populus eandem libertatem sibi vendicet, & eo sit iure, quo qui optimo. Nam vt à vestris placitis transuersum vnguem non discedamus, plurimum interest inter terrenas opes Diaconorum fidei commissas, & diuinas Presbyterorum & Episcoporum prudentiæ

d Heb.5.
e Num.3.
f Exod.3.
g Num.27.
h Num.1.
i Num.11. Deuter.1.
k 1.Sam.10.
l 1.Sam.16.

dentiæ reſeruatas: nec ſi populo tunc facta fuerit poteſtas de rebus ſuis ſtatuendi, protinus ei fas erit res ſacras & cœleſtes ad arbitrium ſuum reuocare. De cæteris per Apoſtolorum manus deſignatis non eſt quod ambigatur, cùm in illis creādis, & ſancti Spiritus multiplici gratia cumulandis, vt oneri ſuſtinendo pares eſſent; nec populi voluntas quicquam valeret, nec plebs cum Deo ſocietatem coiret. [m *Paulus & Barnabas Eccleſijs ſingulis, quas peragrabant, Paſtores per ſuffragia creabant.*] Hic vnus eſt locus qui popularibus Presbyterorum electionibus prætenditur: & tamen tam aperta cernitur homonymia, vel potiùs adeò manifeſta verbo vis affertur, ſicut anteà vidimus, vt nemo doctus hoc nomine nos poſthac interpellabit. Paſtores & Presbyteros impoſitione manuum ſuarum Paulus & Barnabas, quocunque iter habebant, deſignabant; (eſt enim ea verbi χειροτονεῖν poteſtas apud omnes Græcos Theologos.) Porrectas populi manus nec numerabant, nec expectabant: quin Spiritui ſancto potiùs auſcultabant, quoſnam ille muneribus ſuis admirandis dignaretur, vt ad ſacrum Miniſterium habiles & apti redderentur. Illud enim firmum teneo: cùm Apoſtoli primùm orbem terrarum circuirent, non idoneos vbique Paſtores eos inueniſſe, quos populi ſuffragijs eligerent, ſed impoſitione manuum ſuarum chariſmata Spiritus in eos cōtuliſſe, quos voce diuina non hominum aſſenſu delectos præſentirent. Illud exemplo duodecim illorum Epheſiorum in quos Paulo manus ſuas imponente, confeſtim illapſus eſt Spiritus ſanctus, conſtare poteſt. Et hoc Beza vir egregiè doctus planè nobis aſſentitur. Idem ex hiſtoria Samaritanorum quibus Petrus & Iohannes Spiritum ſanctum dederunt facilè perſpicitur. [*Forſitan tunc temporis præter ſolos Apoſtolos nemo Spiritum ſanctum acceperat, & ea de cauſa nemo per impoſitionem manuū Spiritum ſanctum dare potuit præter Apoſtolos.*] Mirum in quas ſe cogunt anguſtias, qui manus dare veritati recuſant: ex hijs tamen latebris emergent opinor aliquando. Nemini dubium eſſe poteſt quin Apoſtoli ſaltem, ſi non alij, Spiritu ſancto repleti fuerint ipſo Pentecoſtes die. Poſt quem diem cum Petrus & Iohannes

m Act.14.

n Act.4. claudo pedes, n *restituissent*, & emissi è custodia *venissent ad suos, & concorditer Deum orassent: commotus est* (iterum) *locus in quo erant coacti, & repleti sunt omnes Spiritu sancto.* Apostoli iam anteà Spiritu sancto pleni non opus habebant rursum repleri. Alios etiam Spiritus sancti plenos fuisse, sic

o Act.6. ipsi memorant Apostoli: o *Dispicite fratres ex vobis viros septem idoneo testimonio commendatos plenos Spiritu sancto, quibus hoc negotij mandemus. Liquet igitur* tam hos septem, quam alios in hoc delectu præteritos, Spiritus sancti plenos fuisse, prius quàm Apostolorum manus illis imponerentur. Id quod de multis in Cornelij domum congregatis apertissimè Lucas testatur. Quicquid de verbis & exemplis præcedentibus statuatis, satis habemus quòd vestrûm doctissimi confitentur neminem præter Apostolos impositione manuum dare Spiritum sanctum potuisse: quod etiam in primis Ecclesiæ fundamentis Ephesi & Samarię constituendis euenisse manifestè videmus. Hoc igitur vt cõpertum & assensum ponimus: accepisse multo Spiritum sanctum qui tamẽ dare non potuerunt; id enim ita peculiare fuit Apostolis vt in eo nullæ plebis aut Presbyterorum fuerint partes. [*Certè multi præter Apostolos manus imposuêre.*] Id ego non inficior. Timotheo siquidem Paulus præcepit ne cui *temerè manus imponeret*: sed Presbyteros in Spiritu sancto per impositionem manuum effundendo fuisse cum Apostolis sociatos, id ex Scripturis ostendi non potest. [*Presbyterium Antiochenum ipsi Paulo (quod longè maius est) manus imposuit, cùm ad gentes emitteretur.*] Prophetæ qui tunc Antiochiæ

p Act.12.v. 25. docebant id fecerunt, Presbyteri non fecerunt. p Marcus id temporis Antiochiæ degens à Presbyterio non potuit excludi: nec tamen in ea re se cum Prophetis coniunxit. Deinde Prophetæ nec Paulum hac impositione manuum ad aliquod munus ordinarunt, nec Spiritus sancti donis Apostolum auxerunt, quibus iam antè Paulus abundabat. Quanquam nec illi Paulum emiserunt vt gentibus prędicaret, sed à Spiritu sancto mandatum habebant vt huic operi Paulum

q Act.13. & Barnabam à suo numero segregarent. q *Illis enim Domino ministrantibus dixit Spiritus sanctus; Separate mihi Paulum & Barnabam*

Barnabam operi ad quod eos aduocauit: atque ita *prece fusa pro eis, ac manibus super eos positis, dimissi sunt.* [*Paulus hîc ordinatus est Apostolus quò gentibus cum potestate prædicaret, vt author est* r *Chrysostomus*] Paulus voce diuina monitus est, & à Prophetis per impositionem manuum amandatus vt Apostolatum suum apud cæteras gentes obiret, ac verbum Domini spargeret & disseminaret in orbem terræ, quod in illud vsque tempus Spiritus sanctus distulerat: Alioquin Paulus ab Anitochiensibus neque Presbyteris neque Prophetis in Apostolum est ordinatus, nec ad Gentes docendas inauguratus. Sic enim ipse de se. [f] *Paulus Apostolus neque ab hominibus, neque per homines*. Et alibi. [t] *Qui videbantur inter Apostolos magni esse pretij, mihi nihil adiecerunt* neque authoritatis neque institutionis: multò minus ab hijs tribus Prophetis creatus est Apostolus: quæ potestas ita Christi solius est vt cum hominibus communicari non possit. Præterea neq; tunc primùm Paulus ad Gentes legabatur: eam prouinciam priùs susceperat, & eo munere iam antè perfunctus erat, nisi fidem ipsi derogemus; sic enim inquit. [u] *Quando placuit Deo, qui separauit me ab vtero matris meæ & vocauit me per gratiam suam, retegere Filium suum in me vt euangelizarem ipsum inter Gentes, in Arabiam abij: ac denuò reuersus sum Damascum. Deinde tribus pòst annis Hierosolymam redij*, & antequam Antiochiam venisset, à Barnaba [x] *ad Apostolos adductus eis commendatus est*. Pòst [y] Tarsum Ciliciæ commigrauit: inde à Barnaba Antiochiam deductus est, vti [z] vas à Deo delectum, qui nomen ipsius ad Gentes & Reges perferret. Et iam Antiochiæ cùm [a] annum explesset integrum, quibusnam nisi Græcis & Gentibus prędicauerat? Hac ergo manuum impositione nihil minus actum est, quàm vt vel Apostolus, vel doctor gentium constitueretur. [*Quorsum igitur ista manuum impositio?*] Per hoc tempus Antiochiæ iam Paulus Ecclesiam plantauerat, & eam non solùm vera doctrina, sed etiam Pastoribus idoneis, qui curam agerent animarum, instruxerat. Quare Spiritus sanctus eandem gratiam alijs ad salutem impertire volens, Saulum & Barnabam ad id opus seuocauit. Mandat itaque [b] Prophetis & doctoribus Antio-

r Chrys. hom. 27. in Act. Apost.
f Galat. 1.
t Galat. 2.
u Gala. 1.
x Act. 9.
y Act. 11.
z Act. 9.
a Act. 11.
b Act. 13. v. 2.

chiensibus vt eos dimittant, (sic enim verba ἀποστεῖλαι & [c] ἀπόλυσαι rectissimè possunt accipi (nec eos detineant diutiùs: eorum enim opera sibi opus esse, vt reliquas Gentes ad sanitatem conuerteret, & in Ecclesiæ corpus insereret. Illi denique à Spiritu sancto [d] emissi, *Seleuciam, Cyprum*, & cæteras regiones peragrarunt. [*Non ad eum finem necessaria fuit manuum impositio.*] Tam ieiunium & preces quàm manuum impositionem adhibuerunt Prophetæ; quò testatum apud totam Ecclesiam relinquerent, Paulum & Barnabam non de suo consilio recessisse, sed Spiritus sancti verbis & voluntate auocatos fuisse; deinde difficilem eam profectionem perpetuis fidelium orationibus indigere, tum ob prosperum laboris euentum, tum ob legatos maximis hostium periculis expositos. Quapropter solenni prece & impositione manuum, quæ (Augustino authore) [e] *nihil aliud est quàm oratio super hominem*, cœlestis gratiæ subsidio sunt commendati. Hic finis, hic vsus erat illius ceremoniæ, quam obseruabant Antiocheni: quod ex ipso Luca colligi potest. Scribit enim eos ex itinere redeuntes Antiochiam venisse; [f] *vnde ad opus, quod iam expleuerant, gratiæ Dei fuerant commendati.* Itaque hæc oratio & impositio manuum, quę cursum Euangelij secundum, & incolumem Apostolorum reditum à Deo petebat & promittebat, eos gratiæ Dei, qua ducerentur ac in pace reducerentur, commendauit. [*Chrysostomus, Oicumenius & alij in illum Pauli locum obseruant Episcopos vnà cum Paulo manus imposuisse Timotheo. Episcopos autem eosdem cum Presbyteris initio fuisse censemus & docemus.*] Chrysostomus & Oicumenius cum alijs Episcopos illos fuisse, non autem Presbyteros opinantur; quia *Presbyteri* Timotheum *Episcopum ordinare non poterant*. Quæ Chrysostomi propositio Presbyterij vestri potestatem, & Ministrorum æqualitatem refrigerat penitus & extinguit; præsertim quum in Pauli verbis non liquidò confirmetur alios fuisse Pauli consortes in manibus super Timotheum imponendis. [*Presbyterium Timotheo manus imposuit eodem certè, temporis puncto, quo Paulus.*] Vestrum illud *certè* si nudam verborum Pauli seriem spectemus, lubricum est & incertum, si Hieronymo, Primasio

c Ibid.v.3.

d Ibid.v.4.

e Augustin. de Baptis. contra Donatist. lib. 3.cap 16.

f Act.14.v.26.

sio, & cæteris Latinis credimus, vanum est & adulterinum. In quam Latinorum sententiam Caluinus sciens prudensque discedit, ac si g *per impositionem manuum* Pauli, gratia presbyterij Timotheo fuisset tributa; fieri tamen potuit, vt Presbyterium alio tempore, quàm Paulus, & aliam ob causam, Timotheo manus imposuerit. Nouum enim & inusitatum non est in Ecclesia Christi, nec Pauli ætate fuit, impositione manuum vna & altera quemquã consecrari. Ananias h Paulo manus imposuit; idem posteà fecerunt Antiochienses i Prophetæ. k Barnabas cum Matthia constitutus ad sortem Apostolatus, erat de numero septuaginta discipulorum; hic tamen Antiochiæ manus impositionem iteratam accepit. Si Ecclesiæ satum, ortum, & incrementa lustremus, perpetua quadam consuetudine Diaconi primò designabantur; pòst cùm in eo gradu virtutis & doctrinæ non vulgare specimen dedissent, in ordinem Presbyterij cooptabantur; tandem ad Episcopatum, si eo munere se dignos præstitissent, prouehebantur. Atque ita ex antiqua disciplina prius quàm ad Ecclesiæ regimen quisquam admitteretur, bina saltem, si non terna manuum impositione sacrabatur. Idem in Timotheo euenisse neutiquam est incredibile. l Bonum illud testimonium, quod ei fratres Lystrenses & Iconienses tribuebãt, ex eo potuit originem habuisse, quòd fidem ille suam & industriam in humiliori quodam ministerij gradu ita probasset omnibus, vt Paulo dederit occasionem eum assumendi, ac secum vnà circumducendi: Deinde processu temporis probatum iam & satis spectatum, impositione manuum secunda promouere potuit ad gradum altiorem. Neque enim verisimile est, iuuenem ætate tam immatura, ad summum in Ecclesia fastigium à Paulo statim euectum fuisse; nisi post cognitam & compertam in functione aliqua inferiore eius prudentiam, grauitatem, & modestiam.

g 1. Tim. 4.

h Act. 9.

i Act. 13.

k Act. 1.

l Act. 16. v. 2.

Ad extremum, vt hanc rem totam absoluamus; si Græcorum hoc detur authoritati, (quod in Ecclesia Dei non est insolens) vt Presbyterium vnà cum Paulo manus imposuisse dicamus; ex eo nihil conficitur, quod ad istorum valeat in-

inſtitutum. Nam illorum temporum Presbyteria conſtabant ex *Apoſtolis, Prophetis, Euangeliſtis, Paſtoribus*; qui vnà cum Paulo coniungi poterant in ordinatione Timothei. συμπρεσβύτερος ſe Petrus vocat: id eſt, vnum de Presbyteris, qui tamen inter Apoſtolos primus fuerat. Barnabas Lyſtrenſibus & Iconienſibus Presbyteris coniunctim cum Paulo manus impoſuit. Duo tamen hîc cauenda ſunt. Vnum ne de Pauli dignitate detrahamus; quaſi manus Apoſtoli, quibus tam ſæpè Spiritum ſanctum alijs contuliſſet, ad ordinandum Timotheum ſine presbyterio minùs ſuffeciſſent. Alterum, ne poteſtatem Apoſtoli minuamus, quaſi non fuiſſet in eius arbitrio poſitum; quem ſecum deduceret, quem Epheſinæ, quem Cretenſi præficeret Eccleſiæ, ſine Presbyterorum, neſcio quorum, conſenſu. Hæc enim à veritate valdè ſunt aliena. Sed quoniam Timotheus admodum iuuenis erat, ne flecti à gratia Paulus videretur, aut nimio in Timotheum amori indulgere; fieri potuit vt Prophetas tunc præſentes, & eodem, quo ipſe fuit, ſpiritu afflatos, audire voluerit; & eorum tam manus quàm linguas in illa conſecratione ſecum ſociari; quô teſtatum eſſet omnibus, Timotheum nullo Pauli fauore ad honores obrepere; ſed eum, licet adoleſcentem, à Spiritu ſancto tamen deſignatum fuiſſe, qui id muneris ſubiret. Eum itaque Prophetæ diuina vi præditi dignum pronunciarunt, & concordi manuum impoſitione, (qui bene precandi & teſtificandi ritus fuit) tanquam diuinitùs electum Eccleſiæ commendarunt vniuerſæ. Hæc forſitan potuit eſſe cauſa, cur ad Thimotheũ ordinandum multorum manus adiungerentur; alioquin Paulus vel ſolus, impoſitione manuum ſuarum, ad Prophetas & Paſtores ordinandos;, Spiritus ſancti donis cumulandos, valuit; quod in illis duodecim Epheſijs manifeſtè patet; & quem vellet perigrinationum ſuarum comitem circumducere potuit; quod anteà ſatis declarauit, cum repudiato Marco, Sylam in itineris ſortem & ſocietatem aſſumpſit.

CAP.

CAP. VIII.

De Apostolica authoritate in definiendis fidei controuersiis, & hominibus Satanæ tradendis.

EX hijs quæ sexti capitis initio proposui, duo mihi supersunt tractanda, quorum vtrumque potestatem Apostolicam ita debilitat & eneruat, vt neutrum Apostoli sine plebis vel saltem Presbyterij consensu fecisse, aut facere potuisse videantur. Horum primum in quæstionibus fidei terminandis: proximum in eiectione sceleratorum & contumacium à cœtu fidelium cernitur. Asseritur enim ab istis[a] Presbyteros in Concilio Hierosolymitano vnà cum Apostolis sedisse, vt quæstionem illam de circumcisione Gentiũ, & obseruatione Legis, inter Paulum & alios agitatam explicarent; literas etiam à Synodo conscriptas, & legatos ad hanc litem sedandam missos tam seniorum & fratrum, quàm Apostolorum nomen prætulisse; & hæc omnia manifestis Lucæ verbis confirmari. Rem ita se habuisse negari non potest; cur ita fecerint ratio nondum aperitur. Neque enim ad hanc controuersiam dirimendam Paulo vel soli defuit authoritas, nec illi opus erat vllo vel Presbyterorum vel Apostolorum concilio aut consensu, vt doctrinam diuinitùs illi traditam comprobarent, sed aliò Paulum spectasse, si rectè rem attendamus, reperiemus. Vt altiùs exordium capiamus, illius grauissimæ contestationis, quam in hac ipsa causa Paulus adhibuit, meminisse debemus.[b] *Si Angelus de cœlo annunciauerit vobis aliud* (inquit Paulus) *quàm à me accepistis, Anathema esto. Vt prædixi, iterum dico, si quis vobis euangelizauerit præter id quod accepistis, Anathema sit.* Ratio sequentibus verbis redditur:[c] *Notum vobis facio fratres, Euangelium prædicatum à me non esse secundùm hominem, neque enim ego ab homine accepi, neque ab homine edoctus sum, sed per reuelationem Iesu Christi.* Quod igitur à Christo per cœlestem visionem & reuelationem se didicisse Paulus perspectum planéque cognitum habuit, id ho-

a Act. 15.

b Gal. 1.

c Gal. 1. v. 11.

hominum quorumcunque (ne Apostolis quidem exceptis) iudicio submittere, quasi Christi non discipuli, sed censores & correctores essent, non sobrietatis & modestiæ, sed animi potiùs diffidentis & insolentis ingenij fuisset. Ob quam causam cùm Deo visum esset illi Filium suum reuelare, [d] *rem cum carne & sanguine non communicauit, neque Hierosolymam rediit ad eos qui Apostoli ante ipsum vocati erant*, ne de Christi voce & veritate quicquam dubitaret; sed confestim ad Apostolatus officium, id est, ad Euangelium prædicandum omnes curas & cogitationes suas contulit, certissimè persuasus quod à Dei Filio didicisset id à filijs hominum retractari aut emendari, nec debuisse, nec potuisse.

d Gal.1,16.

Quæret aliquis cur longo pòst tempore Hierosolymam accessit, vt Apostoli & Presbyteri doctrinam à se traditam examinarent, & per literas Ecclesijs confirmarent? Facilis est & expedita responsio. Multi Hierosolyma proficiscentes, & Apostolorum nomina venditantes, Pauli tum doctrinam oppugnabant, tum existimationem lædebant, docentes non potuisse Græcos æternam salutem consequi nisi circumciderentur; ita enim Hierosolymis fieri ab Apostolis Paulo longè maioribus & dignioribus. Quæ res & infirmos in fide Antiochienses, apud quos Paulus tunc vitam degebat, conturbauit, & constantiores à progressu retardauit. Vt igitur horum ora Paulus obstrueret, & Ecclesias Gentium in veritate fidei contineret, præsertim grauissimum illud scandalum amoueret, ac si cum cæteris Apostolis in Euangelio prædicando discordaret; [e] Spiritus sancti iussu Hierosolymam ascendit, & doctrinæ suæ summam omnibus explicauit, vt eorum literis & testimonio Pauli sinceritas & reliquorum quasi concentus atque consensus ab omnibus cerneretur. Hic illius profectionis finis fuit, non vt Pauli doctrina huius authoritate Concilij recognita tum demùm vera crederetur, cùm ab Apostolis esset approbata; sed vt omnium tam Doctorum quàm discipulorum confessione veritas apud Ecclesias suum robur obtineret, & improbi rumores de doctrinæ varietate & Apostolorum pugna à falsis apostolis dissipati conticescerent. [f] *Ascendi* (inquit Paulus Hierosolymam

e Gal.2.2.

f Gal.2.2.

ſolymã verſus ad cæteros Apoſtolos, de itinere) *ex reuelatione, & expoſui eis Euangelium quod prædico inter gentes, priuatim verò eis qui ſunt in pretio, ne quo modo frustra currerem aut cucurriſſem, nempe, propter ſubintroductos falſos fratres qui irrepſerant ad explorandam libertatem noſtram quam habemus in Chriſto Ieſu. Quibus ne ad momentum quidem ceſſimus per ſubiectionem, vt veritas Euangelij apud vos permaneret. Nam qui primo loco numerantur nihil mihi adiecerunt. Imò è contrario cùm mihi Euangelium præputij concreditum cernerent, ſicut Petro circumciſionis, quúmque cognouiſſent gratiam mihi* (diuinitùs) *datam, Iacobus, Cephas, & Iohannes, qui putantur eſſe columnæ, dextras ſocietatis mihi & Barnabæ dederunt.* [*Quid igitur opus fuit præſentia Preſbyterorum in hoc conuentu?*] Ex hijs quidam quaſi ab Apoſtolis miſſi venerant Antiochiam, & Gentium animos in circumciſionis negotio ſolicitârant. Vt eos igitur redarguerent, & alios à ſimili audacia deterrerent, viſum eſt Apoſtolis rem omnem publicè & palàm in [g] totius Eccleſiæ oculis & auribus agitandam, quô planè generali conſenſu & communibus literis teſtatum eſſet, nullos à ſe cum huiuſmodi mandatis miſſos fuiſſe, quin potiùs Gentes eo curſu quo cœpiſſent, porrò pergerent, & Paulum ac Barnabam, vt veros & germanos fidei præcones amplecterentur. Hæc enim capita in illorum literis continentur.

Ob.

Reſp.

g Act.15.v.22

[h] *Apoſtoli, Preſbyteri, & fratres, eis qui ſunt Antiochiæ, & in Syria, & Cilicia fratribus, ſalutem.* [i] *Quoniam quoſdam è nobis egreſſos audiuimus vos turbare, verbis labefactantes animas veſtras, iubentes vos circumcidi, & ſeruare legem, quibus nihil tale mandauimus;* [k] *viſum eſt nobis concorditer coactis lectos ad vos viros mittere cum dilectis noſtris Paulo & Barnaba,* [l] *qui & ipſi eadem verbis vobis renunciabunt.*

h Act.15.v.23

i Ver.24.

k Ver.25.

l Ver.27.

Apoſtolis nec conſilium & ſcientia, nec ius & poteſtas defuerunt ad hanc litem ſine presbyterorum aut populi iudicio terminandam. Quot & quantas difficultates vnus expedit Paulus in ſuis ad Romanos, ad Corinthios, ad cæteros literis, nec cœtu coacto, nec presbyterio conſulto? Hæc ipſa contentio, quam exortam Antiochiæ Hieroſolymitata Synodus repreſſit, cùm poſteà Galatarum Eccleſias inuaderet,

ac fere cuncta dissiparet, num Paulus istius Concilij decretum protulit? num cæterorum sententiam & authoritatem interposuit, & non potiùs suum ipsius Apostolatum calumnijs contradicentium opposuit? Non sacrarum literarum armis dimicauit, & hostes suo quasi Marte profligauit? [m] *Ecce* inquit, *ego Paulus dico vobis, si circũcidamini, Christũ vobis nihil profuturum. Rursus conteſtor omni homini qui circũciditur, eum esse debitorem totius Legis seruandæ. Euacuati estis à Christo quicunq; per Legem iustificamini, à gratia excidistis.* Concilium illud Apostolorum definiuit circumcisionẽ minimè Gentibus necessariam ad salutem assequendam fuisse. *Visum est*, inquiunt, *Spiritui sancto & nobis, ne hoc onus vobis imponeremus.* Paulus autẽ quid? Quoniam pseudoapostoli Legis seruandę necessitatẽ & ceremoniarũ vsum perpetuũ vrgebant, erigit & acuit se Paulus, & ad Concilij sententiam accessionem quandam adiungit in hæc verba: *Si circumcidamini Christus vobis nihil proderit, excidistis à gratia, à Christo* (excluſi &) *vacui estis.* Tantum abest vt doctrinam suam illius Concilij authoritate niti fateatur, vt nihil *à summis Apostolis* in se collatum assueueret: quin potiùs se palàm & apertè Petro restitisse confirmat, cùm in gratiam quorundam Iudæorum Antiochiam venientium, à conuictu commercioque Gentium se Petrus subduxisset, & ad eandem simulationem Barnabam impulisset. Et ne Presbyteros cum Apostolis pari iure sociemus, in ipso Concilio quis liti finem imposuit? Num Presbyteri? num fratres? Petrus quidem & Iacobus sententijs suis auersos à veritate confixerunt. Verùm enimuerò quoniam Ecclesiæ vniuersæ quàm plurimum intererat Presbyteros tunc in Concilio præsentes, qui toto terrarum orbe disseminarent Euangeliũ, rectè institui, & præmoneri ne Gentium animos Mosaicis onerarent institutis, néue quotidianam cum eis vitæ consuetudinem formidarent & fugerent; Apostoli Spiritu sancto dirigente, rem totam maxima Presbyterorum & fratrum frequentia disceptari voluerunt, & terminari, tum vt multorum licet credentium, tamen Legis & rituum quibus à pueris assueuissent, [n] studiosissimorum conscientias pacarent, tum vt ardorem illum restinguerent, & ægritudinem sana-

m Galat.5.

n Act.21.v.20

sanarent, qua Iudæi Gentium societate sic abhorrebant, vt o Petrum ipsum ferre non possent, quòd ad Gentes ingressus, vnà cum eis cibum sumpsisset. Hæc vera fuit causa cur & Paulus Hierosolymam ascenderit, & Apostoli Concilium coegerint, non vt Presbyterorum opem implorarent, sed vt Legis zetotypiam, & Gentium detestationem in credentibus Iudæis mollirent, & mitigarent. o Act. 11.

Vltima iam restat quæstio, num populi aut Presbyterij authoritas opus erat Apostolis, vt aliquem à cœtu fideliũ & communione sanctorum excluderent, vel Satanæ traderent, donec ad meliorem mentem rediret, aut saltem exemplum statuerent, quo cæteri ab huiusmodi flagitijs deterrerentur. De nefario stupro Corinthi facto ita Paulus: p *Enimuerò ego vt absens corpore, præsens autem spiritu, iam vt præsens iudicaui, vt qui hoc ita perpetrauit, vobis & meo spiritu in nomine Domini nostri Iesu Christi congregatis, cum potestate Domini nostri Iesu Christi, eiusmodi, inquam, homo tradatur Satanæ ad interitum carnis, vt spiritus saluus sit in die illo Domini Iesu.* Hinc colligunt nonnulli potestatem excommunicandi Apostolum non habuisse, nisi addita & adiuncta Presbyterij vel Ecclesiæ potiùs authoritate, atque ita rectissime eum qui Ecclesiam non audierit pro Publicano & Ethnicho reputandum. p 1. Cor. 5.

Hic locus duos habet difficiles nodos, vnum quid sit tradere Satanæ, alterum à quonam id sit factum, à Paulóne, an à Corinthijs? Sed hoc secundum quia propius est quæstioni propositæ loco priori tractabitur, tum demum quid illud sibi velit, vt quis Satanæ tradatur.

Ex hijs verbis vt, quod nimium est, colligamus; Paulus absens Corinthios iubet insignem illum facinorosum ex suo cœtu ejiciant, nec quicquam commercij cum illo libenter habeant. Hanc enim regulam in eo capite contra manifestos diuinorum præceptorum violatores statuit. q *Si quis, cùm frater nominetur, sit scortator, aut auarus, aut idololatra, aut conuiciator, aut ebriosus, aut rapax, cum eiusmodi ne edatis quidem.* Similiter alibi fideles admonet: r *Denunciamus vobis fratres, per nomen Domini nostri Iesu Christi, vt subducatis vos* q 1. Cor. 5. r 2. Thess. 3.

ab

ab omni fratre qui inordinatè se gerit, & non secundùm institutionem à nobis traditam. Et, [f] *siquis nostro sermoni non auscultat, ne commercium habete cum eo, vt eum pudeat.* Si nihil ampliùs egisset Apostolus, quàm absens cùm esset, Corinthijs mandasset incestum illum à societate fidelium excludere, & ab eius familiaritate se subtrahere, donec resipisceret, hoc nobis est argumento, Paulum Corinthijs non solùm præscribere potuisse, quid facerent, sed etiam suo iure præcipere; verba tamen Pauli magis neruosa sunt, &, si quid ego video, plus habent ponderis ad id quod quærimus. Nam vitio dans eis, quòd pro viribus non essent enisi, quinimò nec soliciti fuissent, vt exterminaretur ille reus ex Ecclesia; ([t] *Vos* (inquit) *non luxistis, vt tolleretur è medio vestri qui facinus hoc patrauit*) & lenitatis ac misericordiæ personam deponens, quam libentissimè semper sustinuit, vehementis & seueri iudicis partes suscepit & egit hijs verbis. [u] *Iam ipse decreui, ac si præsens essem, cum potestate Domini nostri Iesu Christi, hunc talem tradere Satanæ.* Non Corinthios sententiam rogat, non opem postulat, non eorum arbitrio rem permittit; inquit, *Ego iam decreui*, scilicet antequàm ipse scriberet, antequàm illi legerent. Quid decreuerat? Vt vnà cum illis iunctus hominem illum Satanæ traderet? Minimè· *Ego*, inquit, *decreui*, licet à vobis hoc tempore procul absim, hominem istum tradere Satanæ. Qua tandem authoritate? Corinthiorum fortassis consensu vel consilio? Nihil ab illis auxilij exigit, aut expectat, sed *potestate Domini nostri Iesu Christi* perficiam, inquit, quod decreui. Quicquid igitur alij ex hijs verbis sibi fabricent, ego nihil aliud inde possum eruere, quàm Apostolum licet absentem Satanæ dedidisse sceleratum & impium illum stupratorem, ne requisita quidem plebis aut Presbyterij Corinthiaci coniunctione vel consensione. [*Ecclesiam Paulus conuocari voluit, inquit enim, congregatis vobis, & meo spiritu in nomine Domini nostri Iesu Christi.*] Tum demum facere voluit, cum frequens Ecclesia cogeretur, vt cæteri supplicium intuentes & perhorrescentes, à simili flagitio cauerent. Quanquam enim abesset corpore, præsentem tamen vim Spiritus, & efficacem Domini nostri Iesu Christi

f Ibid.

t 1.Cor.5.

u Ibid.

Christi potentiam in illud Satanæ mancipium districtam viderent. Hoc neque Presbyterium, si quod fuit Corinthi, neque plebs facere potuit. Nam illi verborum imbres maximi, quibus Paulus fulgurat & tonat, grauius quiddam minantur quàm solam à cœtu fidelium exclusionem. Quid enim opus fuit mirifica Christi potentia ad denunciandum peccatoribus Dei iudicium? & tantisper dum eos sui pœniteat, cœtu & sacramentis arcere? Quare potiùs ad Chrysostomi sententiam me inclino, qui sceleratum hunc Satanæ deditum fuisse autumat: [x] *Vt eum percelleret vulnere malo, aut morbo aliquo.* x Chrysost. in 1. Cor. 5. hom 15.

Hæc potestas id temporis frequens fuit in Ecclesia. Ananian & Saphiram de pretio possessionum suarum mentientes, & ea fraude Spiritum sanctum tentantes, verborum vi quadam repentina illicò Petrus [y] interfecit. Cùm Elymas magus veritati repugnaret, & Sergium Paulum Proconsulem auerteret ab audiendo Dei verbo, Paulus eum asperiùs obiurgans [z] cœcitate percussit. De sua potestate Paulus ita prædicat: [a] *In promptu habemus, quo vindicemus omnem contumaciam.* Et huius sceleris reprehensionem hæc verba proximè præcedunt. [b] *Quid vultis? veniámne ad vos cum virga, an cum charitate & spiritu lenitatis?* Et alibi, [c] *Si denuò venero non parcam.* Hæc virga, hæc vindicta, hoc flagellum, nihil aliud comminantur quàm à sacramentis & à fidelium familiaritate remotionem. An potiùs metuendam Spiritus potentiam vindicandi præfractos & castigandi perditos, sub oculis ponunt, & in animos imprimunt? [d] *Indicia*, inquit, *Apostoli apud vos edita sunt per signa & prodigia & virtutes.* Et cùm cœnam nonnulli Dominicam profanassent, [e] *Ob hanc causam multi inter vos infirmi sunt, & dormiunt multi.* Vndè liquet, primis illis temporibus, cùm multa contra legem Dei scelera impunita dimitterentur, ideò quòd nemo, de ijs, qui imperium tenebant, Christianam fidem amplexaretur, Dominum nunc sua, nunc Apostolorum manu improbos meritis & debitis affecisse pœnis, vt discerent noxij veritatem cognitam suis flagitijs non inquinare, nec audaciùs iram diuinam cæteri lacesserent.

y Act. 5.
z Act. 13.
a 2. Cor. 10.
b 1. Cor. 4.
c 2. Cor. 13.
d 2. Cor. 12.
e 1. Cor. 11.

Neque hæc tam est recens aut ludicra verborum Pauli interpretatio, vt rideri aut rejici debeat. Hanc Chrysostomus, hanc Hieronymus, Ambrosius, Theodoretus, Sedulius, Oicumenius, Theophilactus, & alij plures veram esse Pauli mentem magna satis ratione credunt. Hieronymus: [f] *Tradere eum Satanæ in destructionem carnis vt arripiendi illum corporaliter habeat potestatem.* Ambrosius; [g] *Eos dicit* (Paulus) *se tradidisse Satanæ, vt emendarentur. Traditio autem hæc est: quia commotus Apostolus blasphemijs eorum sententiam protulit in eos; Diabolus verò qui ad hoc paratus est vt auersos à veritate accipiat in potestatem, audita sententia corripit eos, vt intelligerent hac causa se pœnis astringi quia blasphemauerint.* Theodoretus; [h] *Horrore plenum iudicium constituit. Ipsum enim Dominum præsidere & sententiam proferre ostendit, & lictori tradere, & fines præscribere, vt corpus solum castiget. Ex hoc loco docemur quòd eos qui segregantur, & ab Ecclesia corpore separantur, inuadit Diabolus, eos gratia destitutos inueniens.* Sedulius, [i] *Tradere huiusmodi hominem Satanæ, id est, tortori Diabolo, vt tormento carnis spiritus saluaretur.* Oicumenius, [k] *Terminum præfigit Satanæ vt duntaxat corpus tangeret, non etiam animam. Ad interitum carnis, hoc est, vt agritudine ipsum macerauet.* Theophilactus, [l] *In perniciem carnis: metam Diabolo statuit, quemadmodum in sancto Iobo, vt corpus solum tangat, non etiam animam.*

f Hiero in 1. Cor. 5.
g Ambros. in 1. c. 1. Tim.
h Theod. in 1. Cor. 5.
i Sedul. 1. Cor 5.
k Oicumen. in 1. Cor. 5.
l Theoph. in 1. Cor. 5.

Si tacitis Patrum nominibus huius loci circumstantias excutiamus, nihil est causæ cur hæc sententia tanto cum fastidio rejiciatur. Mihi dubium non est, quin incestus ille seclusus etiam fuerit à fidelium societate. Tantum (nisi me fallo) verba, quæ præcedunt & sequuntur, innuunt. [m] *Non potiùs luxistis, vt qui hoc designarit tollatur è medio vestri. Expurgate vetus fermentum, tollite istum secleratum ex vobismet ipsis.* Hæc abundè demonstrant hominẽ suo scelere iam excõmunicatum, etiam à cœtu fidelium fuisse remouendum; sed quoniam tam nefarium erat facinus, & ipsis adeo Gentibus horrendum, vt Christianæ professioni non leuem maculam inusserit, ac scandalum toti præbuerit Ecclesiæ, Apostolus, mea certe sententia, non contentus sola è cœtu fidelium amotione,

m 1. Cor. 5.

amotione, vt ſupplicium peccato par eſſe, adiecit; *ſe iam decreuiſſe* in hominem illum exemplum edere, quod terrorem omnibus incuteret, & cum Eccleſia proximè conueniret, luculentam illi plagam inflicturum; videlicet, vt quanquam ipſe iam abeſſet, *poteſtate* tamen & virtute *Domini Ieſu Chriſti illis congregatis & ſuo Spiritu in nomine Domini Ieſu Chriſti* homo tam nefarius Satanæ cruciandus traderetur ad exitium carnis, vt ſpiritus ad reſipiſcentiam ductus in illo die Domini ſeruaretur.

Hoc Paulus à ſe decreuit, Corinthijs quid ageretur neſcijs & eius inſtituti penitùs ignaris. Deinde vt perficeret, quod apud ſe decreuerat, opus illi fuit poteſtate Domini noſtri Ieſu Chriſti; quæ penes Apoſtolum fuit, non autem plebem aut Presbyterium Corinthiacum. Nã δύναμις Paulo mirificam illam Dei potentiam ſignificat, qua Dæmones Apoſtolis ſubiecti fuerant, & qua mirabiles edebant virtutes. In hac autem exercenda poteſtate, quæ Presbyterorum, vel populi partes eſſe potuerunt? Poterant Presbyteri nefarium illum hominem à communione ſanctorum & vitæ cœleſtis hæreditate propter ſuũ ſcelus excluſum pronunciare; poterant verbis & minis grauiſſimè vulnerare: populus etiam ab omni voluntario commercio ſe ſubtrahere potuit & debuit; ſolus tamen Apoſtolus Satanæ torquendum dare potuit, vt ſpiritus ſaluus conſeruaretur in diem Chriſti. Plus *eſt enim Satanæ tradere, quàm excommunicare. Multi* ſanctorum ſocietate priuabantur ad tempus, qui nullam corporis vexationem ſentiebant, multi Satanæ tradebantur qui nondum Eccleſia pellebantur. Ananias & Sapphira priùs vitam cum morte commutarunt quàm cœtu fratrum iecti ſunt; Elymas ex Eccleſia deſecari non potuit in qua nunquàm fuit, & tamen Satanæ deditur, vt oculorum ſenſu orbetur. Finis huius traditionis eſt carnis cruciatus, vt malo coactus languores animi qui peccauit, per pœnitentiam ſanet. Iam verò carnificina corporis nullo ſenſu trahi poteſt ad excommunicationem niſi forſitan metaphorico: non enim corporis ſed animo periculum creat excommunicatio; nec carnis concupiſcentias reprimit excõmunicatio, ſed reſipiſcentia

ſipiſcentia potiùs, quæ non ſemper cum præcedente neceſſariò cohæret. Multi ſunt enim excommunicati, qui nunquam ad ſanitatem mentis ſunt reuerſi; ardentes verò morborum & acerbi cruciatus faciliùs & citiùs carnis libidines domant, cupiditates coercent, refrænant impetus, vt interim ſpiritus conualeſcat, quàm ſi quoſuis verborum aculeos in homines ſceleratos emittas, aut quantocunque tempore ſacris interdicas.

Quamobrem cum Paulus hanc pœnam ſolus *decreuerit*, idque *abſens*; cùm in ea infligenda mirabili Domini Ieſu Chriſti *poteſtate* ſit vſus, & per *carnis interitum* viam muniuerit ad ſalutem ſpiritus, vt corporis afflictatio nocentem cogeret ad pœnitentiam, ac alios ab eiuſmodi flagitijs reuocaret; cumque hæc in ſolam excommunicationem non conueniant, quæ alijs & proprijs verbis hanc ſententiam anteuertentibus & ſubſequentibus exprimitur, mihi perſuaſiſſimum eſt, voluiſſe Paulum, vt in iſto ſcelere vindicando quoddam veſtigium extaret eius mirabilis potentiæ & virtutis, quam à Chriſto acceperit, ad vltiſcendam impietatem, quô tanti facinoris imitatio reliquis in poſterum periculoſa videretur. De hac ſua poteſtate ſæpe Corinthios admonet.

n 2.Cor.13. n *Propterea hæc abſens ſcribo, ne præſens ſeueritate vtar, ex poteſtate quam dedit mihi Dominus ad ædificationem non ad deſtructionem.* o 2.Cor.12. o *Nam metuo ne quo modo, cum venero, non quales velim reperiam vos, & ego reperiar vobis qualem nolitis.* p 2.Cor.13. v.2. p *Prædixi & ſecundò prædico vt præſens, & abſens ſcribo nunc iis qui antè peccarunt, & reliquis omnibus, fore vt, ſi denuò venero, non parcam.*

Sed demus iſtis quod tantoperè moliuntur vt hijs verbis, *Satanæ tradatur per poteſtatem Domini noſtri Ieſu Chriſti*, nihil aliud declaretur, quàm vt ex ſocietate fidelium eximeretur; quid tandem efficient? Apoſtolum ſine plebis aut presbyterij conſenſu non potuiſſe quemquam excommunicare? Pugionem plane plumbeum intentant. Et ſolus, & abſens id Paulus *decreuit*; illis vero præſentibus, & in vnum locum congregatis, id negotij dedit, vt, quoniam ipſe non aderat, ſuum exequerentur mandatum. Qui ſolus hoc ſtatuit, Corinthijs

rinthijs ea de re ne consultis quidem, qui suum illis decretum significauit, non vt rem iudicatam rescinderent, sed vt latam ab ipso sententiam in omnium auribus recitarent, non potuit, credo, facere, quod feciſſe se scribit; præcipiti quadam temeritate longiùs est progressus quàm Apostolatus septa permittebant, ad suum munus & stationem à Corinthijs reuocandus. Ita scilicet. Qui eo sunt animo, non potuisse dicant Apostolum, quod feciſſe constat. Nec hîc solùm sed etiam aliàs sibi ius esse Satanæ sceleratos tradendi declarat. [q] *Hymeneum*, inquit, *& Alexandrum tradidi Satanæ vt discant non blasphemare*. [r] *Qui paratam habebat vindictam, non cum* presbyteris communem, sed Apostolici muneris propriam, *aduersus omnem contumaciam*, potuit hunc incestum Satanæ tradere sine cæterorum consensu. [*Excommunicatio quibusdam videtur ad totam Ecclesiam spectare, quia scriptum est*, [s] *Dic Ecclesiæ: quòd si eam non audierit, esto tibi tanquam Ethnicus & publicanus; & ob eam rem, vt illi autumant, Apostolus nec potuit, nec voluit, solus sine Ecclesiæ iudicio, excommunicare.*] De huius loci explicatione satis est antea dictum. Quoniam verò Patres tum illis Christi verbis apud Matthæum, tum istis Pauli vtuntur ad excommunicationis legitimæ vim ostendendam, & terrorem augendum, illorum authoritati ego non obsistam, modò id mihi vicissim concedatur, neminem vnquam orthodoxorum Patrum ne per somnũ quidem de Laicis cogitasse presbyteris, qui nomen & authoritatem Ecclesiæ tenerent; multò minus clauium potestatem populo feciſſe, quas nullis præterquam Apostolis & eorum successoribus assignant. *Dic Ecclesiæ*; [t] *Præsulibus scilicet, & præsidentibus*, inquit Chrysostomus. Et in illa verba: [e] *Amen dico vobis quicquid ligaueritis in terra, ligatum erit & in cœlis*; ita scribit. [u] *Non dixit Ecclesiæ præsuli, vinculis istum constringe; sed si ligaueris, hæc vincula indissolubilia manent*. Sic Hieronymus: [x] *Potestatem tribuit Apostolis vt sciant humanam sententiam diuina sententia roborari*. Sic Hilarius: [y] *Immobile seueritatis Apostolicæ iudicium præmisit, vt Apostolicæ conditione sententiæ, in cœlis aut soluti sint aut ligati.*

q 1.Tim.1.
r 2.Cor.10.
s Mat.18.
t Chrysbom. 61.ex 18.Mat.
u Ibidem.
x Hieron. in 18.Math.
y Hilar.in 18. Math.

Quòd si quis pugnacitèr certet Apostolos sine plebe aut

Presbyterio sceleratos homines excommunicare, vel Satanę tradere non potuisse, illud mihi velim expediat, quamnam Apostolis authoritatem hijs Christi verbis tributam existimet? [z] *Quorum remiseritis peccata, remittentur eis, & quorum retinueritis, retinebuntur*. Quid etiam Petro datum sit, ad quem sic Christus inquiebat. [a] *Tibi dabo claues regni cœlorum, & quodcunque ligaueris in terra, ligatum erit & in cœlis; & quodcunque solueris super terram, solutum erit & in cœlis.* Quòd si (vt Cyprianus ait, author satis idoneus) omnes Apostoli [b] *pari consortio præditi fuerunt honoris & potestatis*, si Paulus nemini de summis Apostolis [c] *inferior fuit*, neque illi quicquam fuit ab ipsis additum columnis, perspicuum est Paulum etiam solum, absque plebis aut presbyterij consensu, nefarijs & perditis hominibus cœlum occludere, vel eos Satanæ tradere potuisse. Cuius rei ratio hæc reddi potest, quoniam clauium potestas, qua primùm Apostoli donati sunt à Christo, satis firmas in illis habuit radices antequam cum Ecclesia communicaretur, nec in Apostolos ab Ecclesia, sed in Ecclesiam ab Apostolis fuit deriuata.

z Iohan.20.

a Mat.16.

b Cypr.de vnitate Eccles.

c 2. Cor.12.

Illud Augustini, [d] si in Petro non esset Ecclesiæ sacramentum, non ei diceret Dominus, *Tibi dabo claues regni cœlorum*, quæcunque ligaueris in terra ligata erunt & in cœlo: *si hoc Petro tantùm dictum est, non facit hoc Ecclesia:* [*] *si hoc in Ecclesia fit, Petrus quando claues accepit, Ecclesiam sanctam significauit*; hæc inquam verba non ita sunt intelligenda quasi plebem, aut Laicos, nescio quos, presbyteros sub Ecclesiæ nomine complecteretur Augustinus; sed hanc potestatem Ecclesiæ tribuit, & non vni Petro, quia cæteri similiter Apostoli, & eorum successores in perpetuum, Ecclesiæ silicet rectores & Pastores animarum, eandem ligandi & soluendi facultatem in Petro & cum Petro receperunt. Quod etiam obseruauit Ambrosius. [e] *Claues illas regni cœlorum in beato Petro Apostolo cuncti suscepimus Sacerdotes*. Habuerunt igitur Apostoli Christo donante claues regni cœlestis, vt ligarent & soluerent in cœlis & in terris; Spiritum etiam sanctum afflante Christo acceperunt, vt quorumuis peccata retinerent aut remitterent, nulla plebis aut Presbyterij vel facta mentione

d Augustin. tract.50. in Iohan.

* Ibid.

e Ambros. de dignitate Sacerdot. cap.6.

ne

ne vel reseruata consensione. [f] *O vos sancti & beati viri* (inquit Hilarius de Apostolis) *Ob fidei vestræ merituum claues regni cœlorum sortiti, & ligandi atque soluendi in cœlo & in terra ius adepti.*

[f] Hilar. de Trinitate l. 6.

Vt ad huius capitis calcem de Apostolorum prærogatiua tandem aliquando perueniamus, & quæ dispersa sunt colligamus, hanc omnium summã conficere possumus: Apostolos à Christo legationem ampliorem, cognitionem diuinæ voluntatis pleniorem, authoritatem maiorem, & dotes longè præstantiores accepisse, quàm reliquos in Ecclesia Pastores, Doctores, Prophetas, aut Euangelistas; ac proinde illis temporibus Ecclesiam non populi suffragijs, aut Presbyterorum punctis, antequàm quicquã decerni aut fieri posset, administratam fuisse; sed voce iussúque Apostolorum, siue quid verbo coràm, siue quid absentes per epistolam præscriberent, quibus cuncti ordines tanquam Christi legatis sine vlla cunctatione, summa cum alacritate, tam Pastores quàm cæteri fideles, erant obsequentissimi. Atque idcirco in designandis ordinandisque Ministris, & censuris Ecclesiasticis exercendis, tantum abfuisse, vt illis opus esset consensu plebis per manuum extensionem, aut alicuius authoritate Presbyterij, vt verbi Ministros ipsi potiùs ex afflatu monituque Spiritus sancti, donis ad eam functionem necessarijs per impositionem manuum suarum impertitis, creare ac consecrare potuerint, & homines impuritate vitæ aut doctrinæ falsitate professionem & nomen Christianum dedecorantes, Satanæ torquendos omnique supplicio excruciandos tradere pro mirifica illa diuinitùs ipsis data virtute ac potestate. Hanc summam authoritatem ad vitæ terminum retinentes, ita moderati sunt cuncta, vt peccantes lenitate potiùs ad sanitatem reuocare quàm per acerbitatem reijcere ac abalienare cuperent, nisi vbi morbi dira vis sua contagione latiùs manaret, & in dies singulos per cæterum gregem serperet; aut aliqua sanctæ doctrinæ insignis conflaretur infamia, id summa solicitudine præcauentes, ne asperiora nimis & aspera disciplina Ecclesiam vniuersam concinderet, vel vnius animulæ iacturam faceret dissoluta

remissio; atque ita ætatem egerunt laborum patientissimi, negligentissimi honorum, Christi gloriæ amplificandæ memores, suæ propriæ dignitatis ac authoritatis obliti. Hanc animi modestiam eximia cum mansuetudine & patientia coniunctam obseruo, ne quis me illis in Ecclesiam summum aliquod imperium tribuere existimet, vt pro suo cuncta gererent arbitrio, cùm potiùs vt fideles Christi seruos, & prudentes mysteriorum Dei dispensatores decebat, ex mandato Domini, & Spiritus sancti præscripto agerent & administrarent omnia.

CAP. IX.

Quænam partes Apostolicæ potestatis & muneris post eorum obitum in Ecclesia necessariò durent, & quibus mandata sint?

APostolorum eminentiam supra cæteros in Ecclesia Pastores, facilè concedent multi, sed quam personis eorum ita credunt annexam, vt nec post mortem, in alios transferri potuerit, ac proinde parē cum illa potestatem omnibus locis & temporibus in Ecclesia Christi non esse retinendam; quandoquidem Apostolorum functionem iamdiu desijsse, nec in posteros autumant illam dignitatem prorogari potuisse. Horum ego sententiam catenus probo, vt ad fidem promulgandā, & Ecclesias Iudæorum atque Gentium initio constituendas, multa putem Spiritus sancti charismata, diuina quadam prouidentia, Apostolorum personis vel sæculis affixa fuisse, quibus orbem terrarum ad credendum inuitarent, & credentes in via veritatis erudirent; non tamen omnes vocationis aut potestatis Apostolicæ nerui mortuis Apostolis incidendi sunt, nisi funditus Ecclesiam Christi velimus euertere. Erant quidem Apostoli ab ipso Domino, nullo cuiusquam interuentu vocati, & ad omnes Gentes legati; claram veritatis lucem habebant, & præsentem Spiritus sancti vim, qua non solùm linguis loquebantur, ægros sanabant, miracula edebant,

bant,res penitus abditas,& occultas intelligebant,ſed etiam Spiritus ſancti dona conferebant in alios, vt ad perfectionem Apoſtolicam quàm proximè accederent. Hijs nouis & admirandis Spiritus ſancti dotibus cum primùm Euangelij fundamenta iacerentur,opus fuit, ad incredulos, qui nihil dum de Chriſto audierant,conuertendos; & fideles, quibus variæ tempeſtates in dies ſingulos imminebant confirmandos; ac etiam ad idoneos Paſtores in omnibus, quæ vbique fuerunt Eccleſijs derepentè collocandos: horum tamen nihil, Eccleſijs ſemel conſtitutis, & fide Chriſtiana per orbem vniuerſum iam diſſeminata requiritur:non eſt,inquam, neceſſe,vt ipſius Chriſti voce deſignentur,aut in omnes terrarum partes ablegentur Miniſtri; nec vt illa mirifica poteſtate Spiritus inſtruantur, aut diuina virtute de ſubito perfundantur,qua repleti fuerunt Apoſtoli. Scriptura quippe diuinitùs exarata ſemper omnibus ſæculis valebit ad declarandam veritatem; miracula tunc facta dant firmum & perpetuum doctrinæ cœleſtis teſtimonium; authoritas illius primæ per Chriſtum vocationis, ad hoc vſque tempus per ſucceſſionem continuatur;& Dei dona non iam è veſtigio ſe proferunt, ſicut in Apoſtolis, ſed temporis ſpacio matureſcunt in Paſtoribus,ſi diligentes & induſtrij fuerint:illę tamen partes Apoſtolici muneris, quæ verſantur in docendo, baptizando,cœna Domini adminiſtranda, peccatis ligandis aut ſoluendis, imponendis denique manibus ad Paſtores & Presbyteros ordinandos; hæc certè nec euanuerunt in Eccleſia Chriſti,nec aliquando poterunt euaneſcere. Aut enim Eccleſiam omnino non eſſe,aut hæc oportet in Eccleſia retineri; quia ſine his nulla poteſt Eccleſia conſiſtere.

In omni cœtu fidelium prædicandum eſt Euangelium, ſuſcipienda ſunt Sacramenta, deligendi ſunt habiles quidam & idonei Paſtores, qui vtroque munere perfungantur. [a] *Quomodo enim innocabunt eum,in quem non crediderunt? Quomodo credent in eum, de quo non audierunt? Quomodo audient ſine prædicante? Quomodo prædicabunt,niſi miſſi fuerint?* Abſque miſſione non ſunt qui verbum prædicent; abſque veritatis prædicatione non eſt aliqua vſitata fidei gignendæ ratio; ſine fide,

[a] Rom.10.

fide, nulla potest Ecclesia, quæ sanè credentium cœtus est, constare. Neque verò defectus solùm, sed abusus etiam harum rerum quantum periculum creat, quantam stragem minatur Ecclesiæ Christi? *Si* [b] *sancta dentur canibus, vel margaritæ proiciantur coram porcis*, quàm certum imminet exitium tam in consentientes, quàm in facientes? [c] *Paululum fermenti totam massam inficit.* Potestas ergo mittendi in messem operarios, & arcendi prophanos à cœtu fidelium, & sacrarum rerum societate, in Ecclesia Christi retinenda & vsu roboranda est, nisi *domum Dei* libeat, *in* [d] *speluncam latronum conuertere, & in templo* [e] *omnibus immundis & inuisis auibus cubilia construere.*

b Mat.7.
c 1.Cor.5.
d Ier.7.
e Apoc.18.

Harum rerum vsus, vt semper in Ecclesia necessarius est, censendus, ita quorum fidei primò commissa fuerunt & concredita, dubitari non potest. [f] *Profecti, docete omnes Gentes, baptizantes eos*, discipulis suis inquiebat Dominus iam ad Patrem ascensurus. [g] *Hoc in meam*, ait, *facite commemorationem*, cum duodecim in vltima cœna discumbentes alloqueretur. Post resurrectionem, vndecim simul collectis, se palam ostendens, ita fatetur: [h] *Sicut me misit Pater, ita ego mitto vos: Accipite Spiritum sanctum. Quorum remiseritis peccata remittentur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt.* Neque quicquam obstat quòd soli Petro regni cœlorum claues promissæ videantur. Quamuis enim eo temporis puncto non compellarit cæteros nominatim, tamen post resurrectionem suam (vbi reipsa præstandum fuit, quod semper deinceps erat permansurum) *omnibus Apostolis* [i] *parem tribuit potestatem*, vt asserit Cyprianus, & [k] *Cuncti Claues Regni cœlorum acceperunt, & ex æquo super eos Ecclesiæ fortitudo solidata est*, vt annotauit Hieronymus: [l] *An verò soli Petro dantur à Christo claues regni cœlorum* (inquit Origenes) *nec alius beatorum quisquam eas accepturus est? quòd si dictum hoc, Tibi dabo claues regni cœlorum, cæteris quoque commune est, cur non simul omnia, & quæ prius dicta sunt, & quæ sequuntur velut ad Petrum dicta, sunt omnium communia?* Similiter Augustinus, [m] *Si in Petro non esset Ecclesiæ sacramentum, non ei diceret Dominus, Tibi dabo claues regni cœlorum, &c.* [n] *Euangelium præputij* (id est

f Matt.28.
g Luc.22.
h Ioh.20.
i Cyprian. de vnit. Eccles. æ.
k Hieron. ad uers. Iouin. lib.1.
l Origē. tract. 1. in 16. Matt.
m Tract. 50. in Iohannem.
n Gal.2.

erga

erga Gentes) *mihi concreditum est* (inquit Paulus) *sicut Petro circumcisionis. Itaque de nobis etiam* o *sic reputet homo vt de Ministris Christi, & dispensatoribus mysteriorum Dei.* Erant igitur Apostoli distributores verbi & sacramentorum, clauium regni cœlestis portitores, nec istis muneribus tantùm fungebantur, dum inter viuos fuerunt, sed eadem posteris reliquerunt, vt ad vsum Ecclesiæ perpetuum successionis iure transmitterentur. o 1.Cor.4.

Neque hoc tantopere quærendum videtur, an ista sint in Ecclesia Christi semper retinenda, qnantopere nobis illud est inuestigandum quibusnam ista commendarunt, & quorum fidei crediderunt Apostoli. De verbi & sacramentorum procuratione, quibusnam sit commissa, ferè nihil inter nos ambigitur; clauium tractatio, manuum item impositio magis in quæstione versatur. Rectè secare verbum veritatis, sacramenta fideliter administrare, perpetuum & generale quoddam est munus, ijs omnibus assignatum, qui pascendis Christi ouibus, & eius alendæ familiæ præficiuntur. *Presbyteros qui inter vos sunt, precor ego, qui vnà* p *sum presbyter* (ait Petrus) *pascite gregem Christi vobis commendatum.* q *Attendite vos ipsos, & totum gregem, in quo vos Spiritus sanctus constituit Episcopos ad pascendam Ecclesiam Dei,* inquit Paulus ad Presbyteros Ephesinos. r *Ite, prædicate, baptizate coniunctim,* ait Christus; & dirimi non debent, quæ Christus copulauit. Atque hæc baptizandi & docendi prouincia, tamdiu est in Ecclesia Christi continuanda, quamdiu durat illa Christi promissio, s *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem sæculi:* non quòd tanto tempore futurus erat cum Apostolis, qui iam ante annos mille quingentos hac vita defuncti sunt, sed illa pollicitatio ijs facta est, qui in Apostolorum loca succedentes, idem munus per omnes sęculorum ętates obirent. Officium enim docendi & baptizandi cessare non potest, quamdiu diuino, vel obligamur mandato, vel subleuamur auxilio, quorum neutrum ad vsque finem mnndi deficiet. p 1.Pet.5. q Act.20. r Matt.28. s Ibid.

Potestas clauium & manuum imponendarum authoritas, (sic semper appello ius excommunicandi scelestos, & Ministros

ſtros ordinandi) maiorem habent dubitationem, diuerſis diuerſa ſentientibus. Sunt enim qui rem hanc omnem ad arbitrium multitudinis deferant, quia ſæpè Eccleſiæ vocabulo deſignatur. Sunt alij qui ad Senatum quendam ex Paſtoribus & Laicis conſcriptum, quem Presbyterion nuncupant, hanc poteſtatem referant, quę Eccleſiæ vis & vox eſt apud illos. Sunt etiam, qui ſolis Paſtoribus & Doctoribus attribuant, ſed æquè omnibus, & pari gradu. Poſtremò, ſunt qui Paſtoribus tantùm, non tamen omnibus aſcribant, verùm quibuſdam delectis, qui iudicio, prudentia, ætate & honore reliquis præſtent. Quarum opinionum quænam verior ſit, quæque item ſacris literis & priſcis Eccleſiæ moribus & inſtitutis coniunctior, facilè ſuo loco patefiet. Nunc autem illud ſatis ſit perſtringere, poteſtas illa manus imponendi, & peccata ligandi vel laxandi quantam habent cognationem cum verbi & Sacramentorum tractatione, vt inde ſaltem appareat, an Laicis ab omni Sacramentorum & verbi publica & ſacra functione excluſis, liceat hanc clauium & imponendarum manuum facultatem ſibi vendicare.

Impoſitis manibus Miniſtros creare, non hoc ſolùm continet vt poteſtas illis fiat verbum & Sacramenta diſpenſandi, ſed etiam vt impartiatur Spiritus ſancti gratia, quæ vtramque partem muneris ſanctam faciat & fructuoſam. Hæc niſi qui prius accepit, nemo donare poteſt. Neceſſe eſt vt vtrumque habeat, qui vtrumque cum alio communicare velit. Nemo autem Laicorum eam aut poteſtatem, aut gratiam ſancti Spiritus accepit; non itaque donare poſſunt alijs, quod ipſi non acceperunt, nec habuerunt aliquando; nec impoſitionē manuum conferre, quæ ſacrum illius poteſtatis ſignum & gratiæ ſigillum eſt. Quid quòd authoritatem baptizandi & prędicandi dare maius quiddam ſit quàm baptizare & prædicare? [t] *Dare* certè *quàm accipere beatius eſt*, i. omnino vt præſtātius, ita difficilius eſt. Qui mandat ſemper eſt eo ſuperior qui mandatum recipit; & [u] *ſine controuerſia id quod minus eſt, ab eo quod maius eſt benedicitur.* [x] *Sacramentum baptiſmi eſt, quod habet qui baptizatur, ſacramentum dandi baptiſmi,*

t Act.20.
u Heb.7.
x Auguſt. de baptiſm. contra Donat.lib. 1.cap.1.

tiſmi, quod habet qui ordinatur, inquit Auguſtinus. Qui ordinatur, dandi baptiſmi ius accipit ab ordinante; ergo qui manus imponit, hoc eſt qui ordinat, tam benedictionem conſecrantem, quàm dandi baptiſmi poteſtatem impertit ordinato; quorum neutrum opinor laicis licere. Caluinus ipſe vir magni iudicij, magnæque in Eccleſia Chriſti exiſtimationis, ordinationem Miniſtrorum actionem ſacram eſſe confitetur, & ea de cauſa, quia quoddam ſacramenti genus eſt, à ſolis Paſtoribus peragendam. [y] *Certè nimis improbi ſunt* (Papiſtæ) *dum Sacramenti titulo Sacerdotium ſuum inſignire audent. Quantum ad verum Preſbyterij munus attinet, quod ore Chriſti nobis eſt commendatum, liberter eo loco habeo. Illic enim ceremonia eſt primùm ex Scripturis ſumpta, deinde quam non eſſe inanem nec ſuperuacuam, ſed fidele ſpiritualis gratiæ ſymbolum, teſtatur Paulus. Quòd autem tertium in numero Sacramentorum non poſui, eò factum eſt, quòd non ordinarium, nec commune eſt apud omnes fideles, ſed ad certam functionem ſpecialis ritus.* Manuum impoſitionem, quod idem eſt cum ordinatione Sacramentum eſſe putat, & ſpiritualis gratiæ non inane ſymbolum; & eo quidem nomine, non magis laicorum manibus patere & exponi, quàm cætera Sacramenta; quinetiam ſpeciatim de ea ſit inquit: [z] *Hoc poſtremò habendum eſt, non vniuerſam multitudinem manus impoſuiſſe Miniſtris, ſed ſolos Paſtores*. Certum eſt ergo non magis licere Laicis illis Senatoribus manus ordinandis imponere, quàm baptizare, & certè prędicandi & baptizandi legitimam poteſtatẽ dare, gratiam ſalutarẽ tribuere, non minus eſt quàm prædicandi aut baptizandi partes ſuſcipere: immò verò longè maius eſt authores harum rerum eſſe quàm Miniſtros, & tanti muneris facere magis quàm accipere poteſtatem, quorum tamen vtroque penitus prohibentur laici.

y Caluin. Inſt. lib 4. cap. 19. ſect. 28.

1. Tim. 4.

z Inſtit. lib. 4. cap. 3. ſect. 16.

Quod ad excommunicationẽ, ea ſceleratos & flagitioſos homines, necdum reſipiſcentes, à communione arcet cœnæ Dominicæ, ne ſacrilega temeritate ſanctum cibum violantes, certam ſibi perniciem arceſſerent, & cæteros nefaria contagione polluerent. Hanc minorem excommunicationem appellant. Iam verò, quorum ſit officium panem ſanctum

ctum & calicem fidelibus distribuere, non vocatur in quæstionem; nam ex eo verbi diuini ministros & sacramentorum eos nuncupamus. Ad quos autem spectat dignos admittere, ad eosdem etiam pertinet indignos rejicere. Qui à Deo constituti sunt sacrorum oiconomi, hoc in mandatis acceperunt, vt accedentes cum fide & pœnitentia quosuis amplectantur, infideles amoueant & *pollutos. Illorum est porrigere sacramenta cupientibus*; eorundem igitur erit periculum, si contra Christi mandatum improbis & nocentibus prodantur. Vel enim potestas indignos abigendi penes eos est, vel arbitriũ dignos recipiendi penes eos non est. Vtrumque illorum fidei commissum est, vel neutrum; nec à laico quoquam vel hoc potest, vel illud vsurpari. Perspicuum igitur est, tum ex pastorali diuinitus illis assignata functione; tum ex rationis olim ab illis exigendæ seueritate, omnẽ istam potestatem tum dignis ministrandi sacra symbola, tum indignis denegandi, ad solos Ministros pertinere; non ad eos qui nullo nec officio ducuntur, nec obligantur mandato vt mensæ Dominicæ curam suscipiant, aut culpam sustineant.

b Chrysost. hom. 83. in 26 Matth.

[b] *Non parua vobis imminet pœna* (Ministros sacram cœnam distribuentes ita compellat Chrysostomus) *si quem aliqua improbitate teneri scientes, ei huius mensæ participationem permittatis: Sanguis eius ex manibus requiretur vestris. Si dux igitur quispiam, si consul ipse, si qui diademate ornatur, indignè adeat; cohibe ac coerce, maiorem tu illo habes potestatem.* [c] *Cauendum tibi est qui hæc mysteria ministras, ne Dominum irrites. Si aliquis præ vecordia & amentia mensam adiuerit, nullo timore territus abiice: Deum, non hominem timeas, quòd si ipse pellere non audes, mihi dicas; animam meam tradam prius, quàm alicui corpus Dominicum indignè; sanguinémque meum effundi potiùs patiar, quàm sacratissimum illum sanguinem, præterquam digno concedam.*

c Ibid.

Præterea negari non potest, moderationem clauuium ac impositionem manuum Apostolis primùm à Christo concessam & ab illis exercitam fuisse. Id enim ex Scripturis superiùs euicimus: Apostolis autem, neque plebs, neque seniores illi laici, sed soli Pastores & Doctores succedunt. Qui ne spe-

ſpeciem quidem Apoſtolicæ ſucceſſionis poſſunt prætexere, nullam Apoſtolicæ functionis partem vſurpare debent. Neque enim ſolummodo ſpectandũ eſt quidnam ſit illud quod arroges, ſed videndum etiam, quo iure vendices, & à quo primum capite arceſſas. Si Apoſtolico, ſucceſſor es Apoſtolorum. Si ab ipſo Chriſto ius habes, ergo te profiteris eſſe *conſortem Apoſtolatus, & Apoſtolorum collegam.* Sed hanc tuam delegationem habes ex Euangelio recitare; ſi non potes, alienam prouinciam violenter, ne dicam petulanter, inuadis: [d] *Nemo ſibi honorem aſſumit, niſi qui vocatus eſt à Deo, ſicut & Aaron.* Sic enim Apoſtoli vocati ſunt. Si à Chriſto delecti ſunt laici ſeniores, vt hoc munere fungantur, deſignationem temporum & perſonarum prolatis tabulis oſtendant. Sin nullas habent, audaci tandem incœpto deſiſtant, & tam periculoſam temeritatem reformident. Sed quæ poteſt eorum eſſe hominum in prohibendis ſacramentis authoritas, quorum nulla prorſus eſt in concedendis? Cui ius eſt diploma ſigillo conſignare, idem & præterea nemo poteſt, ne ſigilletur, recuſare. Dei verba & promiſſa ſacramentis quaſi ſigillis quibuſdam confirmantur. Iam cuius ore pactum diuinum recitatur, eius etiã manu ſignatur. Si in Euangelio prædicando laici cum Apoſtolis non fuerunt in principio ſociati, nec in adminiſtrandis ſacramentis, quæ vim & veritatem Euangelij roborant & ſanciunt, cum Apoſtolis poſſunt copulari. Vtrumque vel neutrum Senioribus laicis tribuendum, quod in Paſtoribus cernitur, qui Apoſtolorum locum tenentes vtrumque munus tum verbi diſpenſandi tum ſacramenta moderandi tanquam Apoſtolorum conſortes & ſucceſſores acceperunt. [e] *Presbyteros* (inquit Petrus) *qui inter vos ſunt adhortor, & ipſe* COMPRESBYTER, *paſcite gregem Domini, qui penes vos eſt.* Itaque qui paſcunt gregem Presbyteri, ſunt Apoſtolorum ſocij, hoc eſt, Apoſtolicæ legationis & poteſtatis ſunt participes. In laicis qui publicum paſcendi munus non ſuſtinent, nullam huiuſce Presbyterij cõmunionẽ aut deriuationẽ vel ſacræ literæ vel antiqui Patres agnoſcunt. Ita enim Hieronymus; [f] *Abſit vt de his quicquam ſiniſtrum loquar, qui Apoſtolico gradui ſuccedentes,*

d Heb. 5.

e 1. Pet. 5

f Hieron. ad Heliodorum de vita eremetica.

dentes, Christi corpus sacro ore conficiunt, per quos & nos Christiani sumus, qui claues regni cœlorum habentes, quodam modo ante iudicij diem iudicant. Alia Monachorum est causa, alia clericorum, clerici pascunt oues, ego pascor. Mihi ante Presbyterum sedere non licet. Illi, si peccauero, licet tradere me Satanæ in interitum carnis, vt spiritus saluus sit. [*Manus ordinandis imponere forsitan nihil ad populum pertinebat, sed ad electionẽ Pastorum priusquam ordinarentur, populi cum primis vota & suffragia necessaria fuisse, testis est historia veteris Ecclesiæ, adeò vt quem plebs non eligeret, nemo pro legitimo Ecclesiæ præsule agnosceret. Sic etiam remissio aut retentio peccatorum, penes multitudinem fortassis non fuit, sed vt peccantes cum Ecclesiæ totius infamia & scandalo, ejicerentur ex societate fidelium, id ad plebẽ spectabat vniuersam, vt illa Pauli declarat admonitio totam Ecclesiam Corinthiacam compellantis, non Pastores aut Seniores solos, cum incestum illum iubet de medio fratrum exterminari.*] Neccdum ventum est ad morem, quem in deligendis Pastoribus prima obseruauit Ecclesia, cum iam Prophetiæ cessarent, ac Spiritus sancti dona mirifica desijssent: id ad ætatem post Apostolos proximam reseruo quo me continuatio temporis, & historiæ series deducet. Cum Apostolis autem ipsis, in delectu Pastorum coniunctam fuisse multitudinem, sicut nec ostendi ratio potest, ita nec afferri probatio. Nam quo pacto designaret populus, quos donis cœlestibus Spiritus sanctus locupletaret? aut quos demum idoneos deligeret, cum iam essent nulli, præterquam qui per Apostolorum manus repentinis gratijs ornarentur? Illa enim diuina & admiranda Spiritus charismata, quibus Apostolorum ætate Pastores instruebantur, non aliqua populari suffragatione, sed diuina potius selectione donabantur. Itaque non præeunte multitudine, sed dirigente Spiritu manus Apostolorum imponebantur.

Huic assertioni si quid est quod opponi possit, libenter audirem. Mihi nec vlla ratio, nec exemplum occurrit in sacris literis, nisi si quis ex illa septem Diaconorum designatione coniecturam ceperit de Pastorum electione, quæ tamen nihil firmi, nihil certi continet. Videmus enim Apostolos

los in Ecclesiæ bonis administrandis omnem fraudis & auaritiæ vel tenuissimam suspicionem diligenter cauisse. Quæ Paulo causa fuit cur Eleemosynarum ad Sanctos pauperes Hierosolymitanos apportandarum legatus esse noluit, nisi adiunctis quibusdam viris perspectissimæ fidei & existimationis integerrimæ; qui Ecclesijs eam beneficentiam suppeditantibus maximè probarentur. De Luca sic Paulus scribit: g *Delectus est ab Ecclesiis, socius peregrinationis nostræ; vitamus enim hoc, ne quis nos vituperet in hac exuberantia, quæ administratur à nobis.* h *Omnes enim quæ sua ipsorum sunt, quærunt, ac* i *quæstum esse pietatem arbitrantur.* Paulus vt ab hac se labe purũ conseruaret, & aliorum salutem suum esse compendiũ demonstraret, ne k *potestate* quidem sibi diuinitùs data, vti voluit, vt ex *Euangelio viueret*; quin potiùs assiduo l manuum *labore* victum quærebat. Quis itaque miretur Apostolos Hierosolymis adhuc degentes, à pecunijs & possessionibus fratrum manus abstinere voluisse, præsertim cum iam ea de re murmur esset inter discipulos exortum; ac eam potiùs prouinciam, ad quosdam Diaconos, & bonorum Ecclesiæ dispensatores transtulisse, qui propter fidem & integritatẽ cæteris noti, & à cæteris essent ad hoc opus nominatim designati? Sed in deligendis idoneis Pastoribus, aut veriùs efficiendis idoneis, cũ iam antea fuerint inepti, nihil habebat populus quod suis vel suffragijs vel manibus perficeret, sed Spiritus sanctus Apostolos in Pastorum delectu, voce, prophetia, vel afflatu dirigebat, in quos manus imponerent, quosque ipse cœlestibus suis donis ac Ministerio dignis adornaret. In qua re quis vel animo concipiat, qua de causa plebs cum Deo cõiungeretur ad singulares & mirabiles illas Spiritus sancti dotes impertiendas, aut quo pacto populus Apostolis præscriberet, quibus essent manus imponendæ, cum illa prima Pastorum sub Apostolis electio vel effectio non ex hominum arbitrio penderet, sed diuino magis iudicio tota niteretur?

g 2.Cor.8.
h Phil.2.
i 1.Tim.6.
k 1.Cor.9.
l Act.20.
Act.14.

Quantum ad excommunicationẽ, si nihil aliud contineret quàm turpium & nocentium hominum remotionem à ciuili societate fidelium, & communi vitæ consuetudine, non

valde recusarem, nullo præsertim existente magistratu, qui rebellium contumaciam legitimis pœnis coerceat, quin Ecclesia tota Pastoribus suam in Domino operam & opem adiungat. Tum enim peccantes pudore & mœrore suffusi, ad meliorem se frugem citiùs recipient, cum ab omni fratrum conuictu & familiaritate prorsus exulauerint; & cæteri suam omnibus confirmabunt innocentiam, cum maleficorum & sceleratorum commercium repudiauerint; ac etiam sanctitatis studium & amorem suum ita Deo maximè commendabunt, si nequitiam, & iniustitiam in alijs quasi detestantes, ab omnium scelerum maculis & sordibus se quàm longissimè amouerint.[n] *Si quis cum frater nominetur, scortator sit, aut auarus, aut idololatra, aut conuiciator, aut ebriosus, aut rapax, cum eiusmodi ne edatis quidem.* [o] *Neque tamen vt inimicum ducite, sed admonete vt fratrem.* Hanc ego Regulam vt à singulis priuatim obseruari cupiam, sic Christiano magistratu deficiente vniuersè velim à tota congregatione retineri, vt in *obiurgandis, ac* repellendis contumacibus & prefractis peccatoribus magnum populus adferat Pastoribus *solatium &* adiumentum. Sed quod attinet ad sacramenta vel Sanctis tradenda, vel nefarijs & indignis subtrahenda, nisi me multũ opinio fallit, id munus & onus in solos incumbit Sacerdotes. Rectè tamen meo iudicio fecerint Pastores non solùm si peccantes ad sanitatem mentis reduxerint: sed etiam si de exemplo Cypriani & aliorum omnem dent operam, vt offensionibus & scandalis Ecclesia liberetur; quod ita demum fiet si piorum animi gloriæ diuinæ zelo accensi, & scelerum commissorum atrocitate perculsi, vera pœnitentium confessione, submissione, deprecatione, leniantur, ac confirmentur, priusquam eiusmodi nocentes ad mensam Domini sacrosanctam recipiantur. Has partes Christianæ moderationis & solicitudinis tantum abest vt vituperem, vt eas potiùs summoperè probem ac prædicem. De eo tantùm est controuersia, num Laicis liceat ex verbi diuini præscripto sacramenta porrigere fidelibus, aut eadem indignis subducere, sine Pastorum concessu aut consensu. Et vt ingenuè dicam quod sentio, tam sacræ literæ,

n 1. Cor. 5.

o 2. Thess 3.

quàm

quàm vetusti Patres, & Ecclesiæ Catholicæ perpetua disciplina, solis verbi ministris & Pastoribus hanc omnem potestatem tribuunt & concedunt; & quę in contrariam partẽ afferuntur tam leuia sunt & infirma, vt neminem impellant nisi sua sponte iam inclinantẽ, & ad opinionem suam magis propendentem quàm ad veritatem.

Illa Christi verba, [p] *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi tanquam Ethnicus aut Publicanus*, quæ tantę rei molem sustinent, iam ante discussimus, quantũ satis esse potest. Si in illis verbis *Ecclesia Christi* significetur, quod nulla loci circumstantia conuincit, tamen Ecclesiæ nomine Præsules & Præpositi (authore Chrysostomo) intelligendi sunt. Certè si Bezam ipsum audimus, [q] *errare turpiter* eos notabimus, qui Ecclesiæ nomẽ hoc loco *referunt ad totius multitudinis cœtũ*. Et certè nouum non est, apud Scriptores sacros, nec apud prophanos inusitatum, totius nomine meliorem & digniorem partem designari & appellari. Prisci denique Patres qui potestatem excommunicandi creberrime tribuunt Ecclesiæ, Laicos tamen homines semper & vbique clauium tractandarum facultate priuant.

p Math. 18.

q Annota. in 18. Math.

[r] *Dominus par ius & soluendi esse voluit & ligandi, qui vtrumq; pari conditione permisit. Ergo qui soluendi ius non habet, nec ligandi habet. Ius hoc* (inquit Ambrosius) SOLIS PERMISSVM EST SACERDOTIBVS; *Rectè igitur Ecclesia vendicat quæ veros Sacerdotes habet.* [s] *Sacerdotum vinculum ipsam etiam animam contingit, & ad cœlos vsq; peruadit*, vt asserit Chrysostomus; [t] *Quoniam ij qui Episcoporum locum sibi vendicant, claues regni cœlorum à Seruatore acceperunt, docentq; ea quæ ab illis ligata fuerint, hoc est, condemnata, eadem & in cœlis ligata; rursus ea quæ soluta fuerint ab ipsis, eadem & in cœlis esse soluta: dicendum est illos rectè loqui, si pariter & facta habuerint ob quæ dictum est Petro, Tu es Petrus: siquè tales fuerint, vt à Christo super eos edificetur Ecclesia.* Sic Origenes. Similiter Cyprianus, [u] *Nonne nobis vel negligentia segnis, vel duritia crudelis ascribetur in die iudicij, quòd Pastores creditas & commissas nobis oues, nec curare in pace, nec in acie voluerimus armare?* [x] *Quo modo docemus aut pronocamus eos in*

r Ambros. de pœnit. l. 1. c. 2.

s Chrysost. de Sacerdot. l. 3.

t Orig. tract. 1. in Math.

u Cyprian. lib. 11. Epist. 2.

x Ibidem.

confessione nominis (Christi) sanguinem suum fundere, si eis militaturis Christi sanguinem denegamus? aut quo modo ad martyrij poculum idoneos facimus, si non eos ad bibendum prius in Ecclesia poculum Domini iure communicationis admittimus? Placuit (igitur) nobis Spiritu sancto suggerente, examinatis singulorum causis, pacem lapsis dare. Quòd si de collegis aliquis extiterit qui vrgente certamine pacem fratribus & sororibus non putat dandam, reddet ille rationem in die iudicij Domino, vel importunæ censuræ vel inhumanæ duritiæ suæ. Et alibi. [z] Cum in minoribus delictis, non possit quis ad communionem venire nisi prius illi ab EPISCOPO ET CLERO manus fuerit imposita, quanto magis in his grauissimis & extremis delictis cautè omnia & moderatè secundum disciplinam Domini obseruari oportet? Eodē modo Basilius: [a] Necessarium est vt ijs fiat confessio peccatorum, quibus dispensatio mysteriorum Dei concredita est. Nam hoc paulo qui olim inter Sanctos egerunt pœnitentiā fecisse reperiuntur. Scriptum enim est in Euangelio, quòd Iohanni Baptistæ peccata confessi sint. In Actis verò, Apostolis à quibus baptizabantur, peccata sua confessi sunt omnes. [b] Potestas remittendi peccata non est absolutè data, sed in resipiscentis obedientia, & consensu eum eo, qui animæ ipsius curam gerit, sita est.

[c] Apud Deum non sententia Sacerdotum, sed reorum vita quæritur: quomodo ergo ibi (i. in lege) leprosum Sacerdos mundum vel immundum facit, sic & hic alligat vel soluit Episcopus & Presbyter. Et alibi; [d] Fornicator, adulter, homicida, & cætera vitia per Sacerdotes de Ecclesia propelluntur. [e] Qui voluntate semetipsum iudicat dum potest, ne cum iam non poterit, etiam præter voluntatem à Domino iudicetur, veniat ad antistites per quos illi in Ecclesia claues ministrantur, & à Præpositis sacrorum accipiat suæ satisfactionis modum. [f] Impossibile videbatur per pœnitentiam peccata dimitti, sed concessit hoc Christus Apostolis suis, quod ab Apostolis ad Sacerdotū officia transmissum est. [g] Ecce (Apostoli) qui districtum Dei iudicium metuunt, animarum iudices fiunt. Horum profectò nunc in Ecclesia Episcopi locum tenent, ligandi atq; soluendi authoritatem suscipiunt qui gradum regiminis sortiuntur. Grandis honor, sed graue pondus istius est honoris. Pastor ergo vel absoluere indiscretè timeat, vel ligare: sed

y Ibidem.

z Lib.3. Epist. 16.

a Basil in regulis cōtract. quæst. 284.

b Ibidem quæst. 15.

c Hieron in Matth. c. 16.

d Idem in c. 3. ad Titum.

e Aug lib. 50. homil homil. 10. cap. 11.

f Ambros. de pœnit. l. 2. c 3.

g Greg in Euang. homil. 26.

vtrum

vtrum iustè an iniustè obliget Pastor, Pastoris tamen sententia gregi timenda est.

Iam verò Concilia & oicumenica & prouincialia iudicio Pastoris & Episcopi tam excommunicationem quàm reconciliationem reseruant, neutram laicis senioribus aut populo permittunt. Magnum illud Nicænum Concilium hac de re ita statuit; [h] *De his qui communione priuantur, siue ex clero siue ex laico ordine, ab Episcopis per vnamquamque prouinciam seruetur sententia Canonis iubentis vt hij qui ab alijs reiciuntur ab alijs non recipiantur. Inquisitio verò fiat ne imbecillitate, acerbitate, aut aliqua Episcopi pertinacia, communione pellantur. Vt ergo hoc decentius exquiratur, rectè placuit, annis singulis per vnamquamq; prouinciam bis in anno Concilia celebrari, vt simul omnibus prouinciæ congregatis Episcopis huiusmodi quæstiones de communi sententia discutiantur. Et sic qui in suum cuidenter peccauerunt Episcopum, ab omnibus similiter habeantur excommunicati donec synodo visum fuerit Episcopi iudicium mitigare.* Hic certe fuit & antiquus & generalis Ecclesiæ Christi mos, vt penes Episcopum esset clauium administratio, siue in remouendis à communione noxijs, siue in recipiendis pœnitentibus, nec istiusmodi causarum cognitio ad plebẽ, aut vllum laicorum Synedrion spectabat; sed Episcopus iudicio Synodi eius prouinciæ stabat, si quis de iniuria quereretur, quæ latam ab Episcopo sententiam vel ratam habebat, si iusta subesset causa; vel irritam, si quid secus factũ esset. Quin etiam Episcopo loci licebat illatam à Iudice, vel Canone, sententiam excommunicationis imminente mortis periculo relaxare, vel seria sequente pœnitentia temperare, sicut ex varijs eiusdem Concilij partibus perspici potest. [i] *Licebit Episcopo humanius cum ijs agere.* [k] *Generaliter de ijs, qui de vita discedunt, & Eucharistiæ participes fieri postulant, Episcopus post (debitam) probationem communionem impertiat.* Sic Concilium Chalcedonense; [l] *Sancimus vt Episcopus loci potestatem habeat de huiusmodi humanius statuendi.* Sic Antiochenũ: [m] *Si quis à proprio Episcopo communione priuatus est, non ante suscipiatur ab alijs (nisi suo reconcilietur Episcopo) quàm ad Synodum occurrens quæ congregatur,* PROSE SATISFACIAT, ET

h Nicænum Conc. can. 5.

i Can. 12.

k Can. 13.

l Chalcedo. can. 16. actione. 15.

m Antoch. Can. 6.

CAVSA CONCILIO PROBATA SENTENTIAM OBTINEAT ALTERAM. *Hæc definitio maneat circa Laicos, & Presbyteros, & Diaconos, omnesq; qui sub regula esse monstrantur.* Sic Sardicense: [n] *Si Episcopus fortè iracundus (quod esse non debet) citò commouetur aduersus Presbyterum aut Diaconum, & eum de Ecclesia exterminare volucrit, prouidendum est ne innocens damnetur, aut communionem perdat.* [o] *Episcopus verò qui iustè vel iniustè eum abiecit patienter ferat vt negotium discutiatur, & vel probetur eius sententia à plurimis, vel emendetur. Tamen priusquam omnia diligenter ac fideliter examinentur, qui fuerat communione priuatus, non debet ante cognitionem causæ communionem sibi vindicare.* Sic Carthaginense: [p] *Pœnitentibus secundùm peccatorum differentiam Episcopi arbitrio pœnitentiæ tempora decernantur.* Post ibidem: *Presbyter inconsulto Episcopo non reconciliet pœnitentem, nisi Episcopo absente & necessitate cogente. Cuiuscunque autem pœnitentis publicum & vulgatissimum est crimen, quod vniuersam commouerit Ecclesiam, ante obsidem manus ei imponatur.* Augustinus legatus Numidiæ dixit: [q] *Etiam hoc definire dignemini, vt qui merito facinorum suorum ab Ecclesia pulsi sunt, si ab aliquo Episcopo vel Presbytero fuerint in communionem recepti, etiam ipse pari cum ijs crimine teneatur obnoxius, qui legitimum sui Episcopi iudicium refugiebant.* Sozomenus denique morem publicè in Ecclesia pœnitentiam agentium describens, ac theatrum in quo stabant omnium oculis expositi, adijcit ad hunc modum. [r] *Vnusquisque tempora pœnitentiæ expectat quantumuis prolixa, quæ Episcopus definierit.* Sexcenta sunt huiusmodi in Concilijs & Patribus loca, quæ docent publicam clauium administrationem ab Apostolis ad hunc vsque diem, nulli vnquam ex ordine laico permissam fuisse, nec vllos huiusmodi senatores ad istarum cognitionem causarum vsquam Pastoribus & Episcopis assessores fuisse. Insignem ergo Patribus iniuriam facit, quisquis huius noui Presbyterij vetustos Patres fautores & testes laudat.

n Sard. conc. cap. 14.

o Ibidem.

p Conc Carthag. 3. cap 31 32. Reperitur etiã Conc. African. Græc. cap. 43.

q Conc. Græce cap. 9 & Carthag. secundo cap 7.

r Sozom lib. 7. cap. 16.

Sed Cyprianus consensum etiam plebis à se requisitum & expectatum in recipiendis schismaticis & alijs graui scandalo Ecclesiam offendentibus testatur. Sic enim habet ad Cor-

Cornelium scribens. [f] *O si posses frater charissime istic interesse nobiscum cum praui isti & peruersi de schismate reuertuntur, videres quis mihi labor sit persuadere patientiam fratribus nostris, vt animi dolore sopito recipiendis malis curandisq; consentiant. Vix plebi persuadeo, imò extorqueo, vt tales patiantur admitti.*] Facile fuerit sub specie quadam repugnantiæ quosdam Patrum secum, aut cum alijs committere, propterea quòd diuersæ res & rationes eos diuersè loqui compulerunt. Illud tamen, in quo tota posita est controuersia nunquam ostendetis, eos publicam clauium administrationem aut plebi aut aliquibus ex ordine laico permisisse. Excommunicationis causæ & pœnitentiæ agendæ spatia, in eorum erant arbitrio, quibus Ecclesiæ cura, & verbi Sacramentorumque dispensatio præ alijs propter eminentem ipsorum in Ecclesia potestatem, concredita erat, quod testimonia Patrum à nobis ante producta liquidò demonstrant. Tamen ea erat Veterum religiosa prudentia, ea circumspecta sinceraque modestia, vt populi flagitijs aliorum offensi, magnam duxerint habendam rationem tam in expellendis, quàm in restituendis facinorosis, non quò totius multitudinis authoritas, aut vlla in clauibus administrandis iurisdictio eo facto sanciretur, sed vt conscientijs satisfieret exulceratis, & schismatibus aditus præcluderetur. Sic Augustinus: [t] *In offerendo sacrificio cordis contribulati, deuotus & supplex id agat, quod non solùm illi prosit ad recipiendam salutem, sed etiam cæteris ad exemplum. Vt si peccatum eius non solùm in graui eius malo, sed etiam in scandalo est aliorum, atque hoc expedire vtilitati Ecclesiæ videtur antistiti, in notitia multorum vel etiam totius plebis agere pœnitentiam non recuset, non letali & mortiferæ plagæ per pudorem addat tumorem.* Quàm magni res periculi sit vel [u] *minimum ex fraterculis* qui credunt in Christum offendere, Euangelium testatur. Grauissima igitur causa fuit pijs illis Patribus tam iustum Christianæ plebis dolorem respiciendi, & aliquam offensis alijs satisfactionem dandi, priusquam sententiam excommunicationis aut exomologeseos illius solennis spatia relaxarent. Sic scandalis remedium adhibebant, sic schismata præcauebant, sic Ecclesiæ totius saluti

[f] Cyprian. lib. 1. epist. 3.

[t] Lib. 50. hom 50. cap. 11.

[u] Matth. 18.

cautum erat, ne vel aliorum ruina multitudinem secum præcipitem traheret, vel disciplinæ nimiùm prolixæ seueritas lapsos fatigaret, stantes suarum virium fiducia inflaret, dum homines sese esse obliti, aliorum licet resipiscentium, tamen miseriæ ac calamitati diutinæ insultarent. Nihil prorsus hinc efficitur, cur populi aut popularium quorumuis senatorum authoritas, vnà cum Pastoribus in clauium administratione sociaretur.

Hæc moderatio omnium temporum ac sæculorum decursu, Augustini iudicio obseruanda est, ad declinandum schismatis & factionis periculum. [x] *Quando ita cuiusque crimen notum est omnibus, & omnibus execrabile apparet, vt vel nullos prorsus, vel non tales habeat defensores per quos possit schisma contingere, non dormiat seueritas disciplinæ.* Cuius sui consilij maximas & necessarias prorsus adiungit has rationes. [y] *Tunc hoc sine labe pacis & vnitatis, & sine læsione frumentorum fieri potest, cum congregationis Ecclesiæ multitudo, ab eo crimine, quo anathematizatur aliena est. Tunc enim adiuuat Præpositum potiùs corripientem quàm criminosum resistentem. Tunc se ab eius coniunctione salubriter continet, vt nec cibum quisquam cum eo sumat, non rabie inimica, sed coercitione fraterna. Tunc etiam ille & timore percutitur, & pudore sanatur, cum ab vniuersa Ecclesia se anathematizatum videt, sociam turbam, cum qua in delicto suo gaudeat, & bonis insultet, non potest inuenire.* [z] *Neque enim potest esse salubris à multis correptio, nisi cum ille corripitur, qui non habet sociam multitudinem.* Hęc Priscorum prudentia nunquam satis laudata magnopere cauendum docet, in excommunicatione ac reconciliatione ne populares animi temerarijs aut iniustis censuris aut indulgentijs offendantur; authoritas tamen & iurisdictio penes loci Pastorem nempe Episcopum erat, non plebem aut seniores aliquos è plebe delectos; id quod exemplis ac testimonijs apud Cyprianum & Augustinum passim obuijs liquere potest.

x Contra Parmc. ep. l. 3. c. 2.

y Ibid. l. 3. c. 2.

z Ibid.

Cùm Rogatianus Episcopus à quodam Ecclesiæ suæ Diacono contumelioſè tractatus apud Cyprianum & collegas alios de ea quereretur iniuria, Cyprianus his verbis rescripsit: [a] *Tu quidem honorificè circa nos, & prosolita tua humilitate fe-*

a Cyprian. lib. 3. epist. 9.

feciſti, vt malles de eo conqueri, cum pro Epiſcopatus vigore & Cathedræ authoritate haberes poteſtatem quà poſſes de illo ſtatim vindicari. Dein poſt longum de obedientia iure diuino præſtanda Sacerdotibus & Paſtoribus ſermonem ita concludit:

[b] *Ideo oportet Diaconum de quo ſcribis, agere audaciæ ſuæ pœnitentiam, vt honorem Sacerdotis agnoſcat, & Epiſcopo Præpoſito ſuo plena humilitate ſatisfacere. Quòd ſi vltrà te contumelijs ſuis exacerbauerit, & prouocauerit, fungaris circa eum poteſtate honoris tui, vt eum vel deponas vel abſtineas. Et quoniam ſcripſiſti quendam cum eodem Diacono tuo ſe miſcuiſſe, & ſuperbiæ atque audaciæ eius participem eſſe, hunc quoque & ſi qui alij tales extiterint, & contra Sacerdotem Dei fecerint, vel coercere poteris vel abſtinere. Niſi quòd hortamur & monemus, vt peccaſſe ſe potiùs intelligant & ſatisfaciant, & nos propoſitum noſtrum tenere patiantur. Magis enim optamus & cupimus contumelias & iniuriam ſingulorum clementi patientia vincere, quàm Sacerdotali licentia vindicare.* De ſeſe autem & cui præſidebat Eccleſia loquens ſic ait. [c] *Nec Eccleſia iſtic alicui clauditur, nec Epiſcopus alicui denegatur; patientia & facilitas & humanitas noſtra venientibus præſtò eſt. Remitto omnia, multa diſſimulo, ſtudio & voto colligendæ fraternitatis etiam quæ in Deum commiſſa ſunt non pleno iudicio religionis examino, delictis pluſquàm oportet remittendis pene ipſe delinquo.*

b Ibid.

c Lib. 1. epiſt. 3.

Auxilius Epiſcopus iuuenili quadam ferocia ductus, hominem minimè vulgarem cum tota ipſius familia repulit à communione Sanctorum, propter violatam, vt putabat, Eccleſiæ ſuæ libertatem. Cum Auxilio egit per literas Auguſtinus quibuſnam vel rationibus vel Scripturarum teſtimonijs defendi poterat filium pro patris, vxorem pro mariti, ſeruum pro peccato domini, iure anathematizari. [d] *Ea aſſum* (inquit) *ſenex à iuuene coepiſcopo, & Epiſcopus tot annorum à collega nondum anniculo paratus ſum diſcere, quomodo vel Deo vel hominibus iuſtam poſſumus reddere rationem, ſi animas innocentes pro ſcelere alieno ſpiritali ſupplicio puniamus. Si ergo de hac re potes reddere rationem, vtinam & nobis reſcribendo præſtes, vt poſſimus, &c. Si autem non potes, quid tibi eſt inconſulta animi commotiones facere, vnde ſi fueris interrogatus, rectam*

d Auguſt. epiſt. 75.

rationem

rationem non vales inuenire. Nec arbitreris ideo nobis non posse subrepere iniustam commotionem quia Episcopi sumus; sed potiùs cogitemus, inter laqueos tentationum nos periculosissimè viuere, quia homines sumus. Non plebem, non Presbyteros coarguit Augustinus vt huius sententiæ participes, sed Episcopum solum, cuius temeritas tam iniquam protulit sententiam, eique non alijs cogitandum relinquit, quam Deo vel homini, tam iniustæ censuræ redditurus sit rationem. Sed iudicium Augustini constans & perpetuum habemus passim in illius scriptis potestatem clauium pastorali officio semper attribuentis, & Ecclesiæ censuras ad Episcopalem sedem affigentis. Illa Iohannis verba: *Vidi sedes, & qui sedebant super ipsas, & iudicium datum est.* Ita explicat: [c] *Non hoc putandum est de vltimo dici iudicio, sed sedes Præpositorum & ipsi Præpositi intelligendi sunt, per quos Ecclesia nunc gubernatur. Iudicium autem datum nullum melius accipiendum videtur, quàm id quod dictum est, quæcunq; ligaueritis in terra, ligata erunt & in cœlo; & quæcunq; solueritis in terra, soluta erunt & in cœlo.* [*Annon licet vocabulo Præpositorum, laicos Presbyteros perinde atque Episcopos apud Patres intelligere, cum hi etiam Ecclesiæ gubernandæ præpositi sint pro suo gradu ac loco æquèatque Pastores?*] Vtinam liceret Ecclesijs Christianis per istas vestras frigidas & nudas coniecturas pacatis esse & quietis? Patres multis modis Episcopale munus & officium exprimunt, Antistites, Præsules, Præsidentes, Rectores, Sacerdotes, Præpositos eos appellantes. Sed apud Cyprianum & Augustinum frequentissimus est vsus Præpositi pro eo gubernatore quem cæteri Episcopum nominant. [f] *Ob hoc Ecclesiæ Præpositum persequitur, vt gubernatore sublato atrociùs atque violentiùs circa Ecclesiæ naufragia grassetur.* Et iterum. [g] *An ad hoc frater charissime deponenda est Ecclesiæ Catholicæ dignitas, & plebis intus positæ fidelis atque incorrupta maiestas? &c. Sacerdotalis quoque authoritas atque potestas, vt indicare velle se dicant de Ecclesiæ præposito extra Ecclesiã constituti? de iudice rei? de sacerdote sacrilegi?* Alibi verò. [h] *Quod enim non periculum metuere debemus de offensa Domini, cum aliqui de Presbyteris, nec Euangelij, nec loci sui memores, sed neque futurum Domini iudicium, neque*

c In Ciuitat. Dei li. 20. c 9.

f Cypr. lib. 1. Epist 3.

g Epist. 3.

h Cyprian. lib 3. epist. 14.

nunc

nunc sibi præpositum Episcopum cogitantes, cum contumelia & contemptu Præpositi totum sibi vendicent? Et penè passim.[i] *Apostolos, id est, Episcopos, & Præpositos, Dominus elegit.* Iterum ibidem:[i] *Episcopo præposito suo plena humilitate satisfaciut.* Eodem modo Augustinus.[k] *Longè grauiorem habent causam, quibus per Prophetam dicitur: Ille quidem in suo peccato morietur, sanguinem autem eius de manu speculatoris exquiram. Ad hoc enim speculatores, hoc est, populorum Præpositi constituti sunt in Ecclesijs, vt non parcant obiurgando peccata.* Et alibi.[l] *Quod vsque adeo cœlestis magister cauendum monuit, vt etiam de Præpositis malis plebem securam faceret, ne propter illos doctrinæ salutaris cathadra desereretur.* Itidem.[m] *Habet ouile Domini Præpositos, & filios, & mercenarios. Præpositi autem, qui filij sunt, Pastores sunt.* Et iterum.[n] *Attendit ouis etiam fortis plerumque Præpositum suum malè viuentem, & incipit dicere in corde suo, si Præpositus meus sic viuit, ego quid sum, qui non faciam quod ille facit?* Quis in omnibus istis locis, laicos Presbyteros, ab Augustino significari putet, cùm de Doctoribus perspicuè loquatur? Illud autem quod sequitur de solo Episcopo necesse est intelligi:[o] *Diuina voce laudatur sub Angeli nomine Præpositus Ecclesiæ.* Sic vetus noui Testamenti interpretatio, eodem sensu Præpositū accipit.[p] *Mementote Præpositorum vestrorum, qui loquuti sunt vobis verbum Domini.*[q] *Obedite Præpositis vestris: ipsi enim pernigilant, quasi rationem pro animabus vestris reddituri.*

i Cyprian. lib. 3. epist. 9.

k De ciuitate Dei, lib. 1. c. 9.

l August. epist 166.

m Aug. tract. 46. in Iohan.

n August. de Pastorib c. 4.

o Idem epist. 162.

p Hebr. 13.

q Ibidem.

Atque vt hic vsus est huius verbi apud Augustinum, sic eodem authore non minus certum est, excommunicationem Pastorale & Episcopale iudicium esse, non actionem aliquam popularem, aut censuram laicalem.[r] *Ipsa* (inquit) *quæ damnatio nominatur, quam facit Episcopale iudicium, qua pœna in Ecclesia nulla maior est, potest si Deus voluerit in correptionem saluberrimam cedere. Pastoralis tamen necessitas habet, ne per plures serpant dira contagia, separare ab omibus sanis morbidam.* Sed quid opus est priuatis testimonijs, cum publicę Romani Imperij leges Ecclesiasticis personis, Episcopis videlicet & Presbyteris excommunicationem asserant?[s] *Omnibus Episcopis & Presbyteris interdicimus segregare aliquem à sacra communione,*

r August. de correp. & grat. cap. 15.

s Nouel. constit. 123. ca. 21.

munione, antequam causa monstretur propter quam sancta regulæ hoc fieri iubent: si quis autem præter hoc à sancta communione segregatus est, solutus excommunicatione à maiore Sacerdote sanctam mereatur communionem. Qui verò aliquem à sancta communione segregare præsumpserit, modis omnibus, à Sacerdote sub quo constitutus est, separabitur à communione, quanto tempore ille perspexerit, vt quod iniustè fecit, iustè sustineat. Nemo igitur communione priuari, nisi ab Episcopo vel Presbytero potuit. Quòd si quis id iniuria fecerat, per superiorem Episcopum quamdiu is æquum putabat, excluſus à communione pœnas dabat tantæ temeritatis.

Sed Priuatus quisque vel Augustino teste fratrem monere, arguere, ligare, soluere potest; & Theophilactus similiter: [t] *Non solùm ea quæ Sacerdotes soluunt, soluta sunt, sed quæcunque & nos iniuria affecti, vel ligamus, vel soluimus, & ipsa erunt ligata, vel soluta.*] Hoc non est veritatem inquirere, sed quæstionis statum peruertere. Priuatus quisque & verbis arguere, & gemitu deflere peccatum alterius potest, & debet. Et quisquis afficitur iniuria, optimo iure potest eidem pro arbitratu suo, vel remittere, vel transigere; sed hoc ad publicum vsum clauium nihil pertinet, quo contumaces & prefracti à Sacramentis remoueantur tantisper, dū resipiscentiā seriò meditentur, & factis pariter ostendant. In dispensando verbo, & sacris promissionum sigillis tradendis, nec plebs, nec plebeius quisquam senator ius habet, verùm ijs solis ea potestas concreditur, quibus animarum cura saluſque commendatur. [*At Paulus totam Ecclesiam Corinthiacam de illo incesto obiurgauit, & de eodem excommunicando mandatum dedit vniuersis.*] Quod ad plebem attinet, id voluit, vt ab omni familiaritate & commercio eius se subducerent, ac ne mensa quidem priuata eum dignarentur; quod autem ad Pastores & Prophetas, ne sanctam Christi cœnam homini scelerato impartirent. Augustinus ita sæpè exponit, quasi Corinthijs mandasset Apostolus, vt malum illum separarent à sese [u] *non approbando, non consentiendo, non animis fauendo tam improbo facinori.* Mea autem nihil interest, vtro tandem accipiatur modo. Quanquam in posteriori Epistola Paulus de eodem

t In Matth. cap.18.

u Contra Parme. ep.l.3.c.1.

eodem homine verba faciens Præpositos ac Doctores alloqui videatur.[x] *Sufficit istiusmodi homini ista obiurgatio à pluribus profecta*; à pluribus, inquit, non ab omnibus. *Quapropter obsecro vos confirmate in illum charitatem: nam in hunc finem etiã scripsi, vt experimentum vestri cognoscerem, an ad omnia obedientes sitis.* Non itaque consensum Pastorum, aut populi Corinthiaci expectauit Paulus in flagitioso illo tum excommunicando & deuitando, tum restituendo & consolando, sed eorum obedientiam explorauit, sic vt eius voluntati in omnibus promptissimè paruerint. [*Videtur tamen Presbyterion in excommunicatione cum Apostolo se coniunxisse: Presbyterij verò magna pars laici seniores erant. Ex quo Apostolicæ disciplinæ typo rectè colligitur neminem per solos Pastores à communione Sanctorũ debere seiungi, nisi Synedrij laici accedat authoritas & consensus.*] De Presbyterio igitur & res & tempus postulat vt quæramus. Non enim Presbyterij potestas rectè definiri potest, nisi priùs constiterit ex quibus personis concretum fuerat & compactum. Sunt namque, qui ex ordine tum laico, tum Pastorali quosdam homines virtute & sapientia conspicuos, à populo selectos putent, ad quos tanquam ad Ecclesiasticum quendam senatum, res omnes ad Ecclesiæ curam & moderationem spectantes, referebantur. Horum communi authoritate, omnem clauium potestatem, omnem Ministrorum ordinationem, omnem excommunicandi reconciliandiq; prouinciam administratam fuisse. Atque huius sententiæ suæ testes, tum Scripturas ipsas, tum Patres, tum historias temporum antiquissimorum aduocant; tanta quomodo ipsi putant luce, vt nihil apertius, nihil illustrius esse possit. Alij Presbyterion quoddam Apostolorum ætate & aliquot post seculis, apud multas Ecclesias fuisse confitentur, omnes tamen laicos ab eo cœtu velut alienos penitùs excludunt; nullos in eum numerum recipientes, nisi qui verbi & sacramentorum dispensationem sibi creditam haberent, & operam & opem in eo ponerẽt, vt infideles ad Christum conuerterent, & Ecclesiã in veritatis & pietatis obedientia retinerent. Harum assertionum vtra magis approbanda sit, ex ijs quæ sequuntur perspicuè constabit.

x 2. Cor. 2.

CAP.

CAP. X,

Cuiusmodi fuit illud Presbyterion in scriptis Apostolorum commemoratum; & si qui Laici Presbyteri illorum numero comprehendantur?

EXtra controuersiam est, Apostolorum temporibus, in omnibus ciuitatibus sacrum Christi nomen profitentibus complures fuisse Prophetas, Pastores, & Doctores, qui in Ecclesia propaganda, & augendo fidelium numero simul laborabant; præter eos, qui docendi hortandique gratia vltrò citroque commeabant. Hierosolymis ad annos post ascensum Christi quindenos, [a] *Apostolos & Presbyteros* mansisse accepimus. Antiochiæ [b] *Prophetas & Doctores, Barnabam, Simeonem, Lucium, Manahen, & Saulum*, vt Marcum & alios omittam, resedisse legimus. Romam quo tempore Paulus eò scripsit, multos eximios & præstantes [c] *operarios atque adiutores* in Christo confluxisse, & in ea ciuitate domicilium sibi collocasse, ex ipsius literis liquido constat; quos omnes nominatim salutat Apostolus, præteritis quos non norat indigenis, qui pro vrbis amplitudine pauci esse non poterant. Posteà, cum eodē veniisset, quos [d] *adiutores habuit in regno Dei* Romæ amplificando sigillatim percenset. Ad Corinthios inquit; [e] *Prophetæ duo aut tres loquantur, reliqui autem dijudicent. Presbyteros* Ephesinos [f] *quos Spiritus sanctus ad Ecclesiam Dei inibi pascendam, & inspiciendam constituisset, Miletum accersit.* Idem Sanctis, qui erant Philippis, [g] *vnà cum Episcopis ac Diaconis* scribit. Ad Iudæos dispersos *Iacobus*, dum ait; [h] *Si quis infirmetur, accersat Presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum*, plures significat in qualibet Ecclesia fuisse *Presbyteros*.

Neque hoc temerè quidem, sed flagitante temporis illius necessitate factum est; quandoquidem tam priuatim, & [i] *per domos*, quàm publice & in Ecclesia docendum monendumque fuit: idque seductorum metu, [k] *qui in ædes priuatas irrepentes, mulierculas peccatis onustas captiuas abducebant*, [l] *totasque domos subuertebant, docentes, quæ non oporteret, turpis compendij*

a Act.15.
b Act.13.
c Rom.16.
d Colos.4.
e 1.Cor.14.
f Act.20.
g Philip.1.
h Iacob.5.
i Act.20.
k 2.Tim.3.
l Tit.1.

compendij causa. Quinetiam, rebus sic comparatis necessàrium erat, vt singulis horis viritim eos lucrifacerent, qui nondum Christo nomen dederant. Atque eò multò plures requirebantur, non docendæ solùm, sed regendæ dirigendæque *fidelium multitudini, quoties in Ecclesiam conuenirent*. Neque verò existimandum est, Apostolis vita functis, necessitatem hanc vnà desijsse: multis annorum centurijs post durauit. Quæ pijs & prudentibus Episcopis causa fuit, cur in celebrioribus ciuitatibus multos cooperarios, atque adiutores sibi adsciscerent, qui vnà cum ijs conuertendis infidelibus, confirmandis Martyrum animis (quorum multa millia quotidiè ad exquisita raptabantur supplicia) operam nauarent, ægrotos inuiserent, Catechumenos in fide instruerent, Sacramenta ministrarent, eos, qui mensæ Dominicæ participes essent futuri, examinarent, indignos arcerent, sexcenta denique huiusmodi perficerent, quibus in frequẽti numerosaque plebe obeundis Episcopus solus nullo modo sufficeret.

Presbyteriõ igitur Prophetarum, Pastorum & Doctorum in maioribus quidem Ecclesijs ab ipsis Apostolis institutum inuenimus. Laicos autem Seniores in Presbyterij huiusce parte fuisse, & vnà cum Episcopis & Pastoribus manus imposuisse, clauium dispensationem vsurpasse, doctrinæ morumque censuram exercuisse, (pro quibus omnibus tanquàm pro aris & focis patroni eorum acerrimè depugnant,) cum nusquam in sacro codice scriptum appareat, ipsis quidem defensoribus probandi onus necessariò incumbit.

Vnicum fere firmamentum noui istius Prsbyterij tanto animi ardore à quibusdam expetiti, tantisque Ecclesiæ & Reipub. nostræ contentionibus hodie quæsiti, in his Pauli ad Timotheum verbis consistit; [m] *Qui bene præsunt Presbyteri, duplici honore digni habeantur, maximè qui laborant in verbo & doctrina*. Hinc non dubitanter inferunt; ergo duplex erat Presbyterorum gradus; alter in verbo & doctrina laborantium, alter præsidentium tantùm & [n] *gubernantium*. Ac ne vllus hæsitandi locus relinquatur, aliud eiusdem roboris & firmamenti ex eodem Apostolo huc accersunt; [o] *Qui præest*, inquit,

m 1.Tim.5.

n 1.Cor.12.

o Rom.12.

inquit, (*id faciat*) *cum diligentia*. Verùm cum res non exigui sit momenti, laicis quibusdam Senatoribus aut horitatem hanc concedere, vt manus ordinandis imponant, & claues, solis Ministris sacras, pro suo nutu, & arbitrio dispẽsent; imò Pastores ipsos, siqua inciderit controuersia, pro suffragiorum numero in ordinem redigant; dabunt nobis veniam, si clara, & solida huius rei argumenta flagitemus; præsertim cum eandem nobis, tanquam cœlestis regni Christi non minimam partem ingerant & obtrudant, & Ecclesias nostras non magis ista carere posse regiminis forma, quàm ipsius salutaris, & viuifici verbi pabulo, passim clamitent; Vtrum verò illa Apostoli verba 1. Tim 5. huic argumento fidem faciant, illud est quod in quæstione modò versatur. Scio recentiores aliquos Theologos, minimeque indoctos quidem, locum eum in hanc partem arripere: mihi vero tot iustissimæ grauissimæque rationes opinioni eorum aduersari videntur, vt ei nullo modo assentiri possim.

Prima mihi laicum Synedrion labefactandi ratio, inde est; quia cum multi doctrina & antiquitate præstantes viri, in his verbis explicandis & excutiendis non mediocriter desudarint, nemo tamen eorum quicquam eiusmodi huic loco subesse suspicari potuerit. *Chrysostomus*, *Hieronymus*, *Ambrosius*, *Theodoretus*, *Primasius*, *Oecumenius*, *Theophilactus*, vt cæteros taceam, hunc locum perpendentes, nihil vnquam de laico Presbyterio ne per somnum quidem hic viderunt. Quod si tantorum iudicio virorum hæc Pauli verba certum, & sanum sensum ab hoc nouitio commento remotissimum reddant; quis æquum putet, vt post quindenas annorum centurias noua atque incognita regendæ per Laicos Ecclesiæ formula, hoc solo argumento excudatur, quod quibusdam verba Pauli ita accipi posse videantur?

Altera mihi dissentiẽdi ratio est; quod Paulus in omnibus Epistolis suis hoc nomine (Presbyterio) semel tantùm vsurpato, ab eo omnes laici ordinis Seniores submoueat. p. *Noli negligere gratiam, quæ in te est, quæ data est tibi, per prophetiam, cum impositione manuum Presbyterij*. Hic vnicus Scripturarum locus est, vbi Prasbyterij mentio facto legitur: Laici

p. 1. Tim. 4.

ci autem velut ex professo ab eo excluduntur. Presbyterium enim hoc manus Ministris ordinandis imposuit: nulli autem laicorum Seniorum manus Ministris imposuerunt: laici igitur in parte huius Presbyterij non erant. Impositionem manuum ad ordinandum Ministros, genus quoddam esse Sacramenti, & ob eam causam Pastorum tantùm proprium & peculiare, si minùs in Augustini authoritate acquiescamus, at Caluini (vti superius monuimus) luculenta admodum extat confessio. Qui alios possunt per manuum impositionem ordinare, ijsque annunciandi verbum, & ministrandi Sacramenta facultatem tribuere, verbi & Sacramentorum Ministri sint, Apostolisque in suo munere succedant, necesse est: Laici autem, viuentibus Apostolis, nihil horum fecerunt, aut facere debuerunt: ergo Presbyterij illius cõsortes non erãt. Siue enim πρεσβυτέριον pro collegio Presbyterorũ accipiamus; siue pro gradu & munere Timotheo impositio; vtroque modo valet hæc ratio. Nã si collectiuè pro ipso Seniorum cœtu sumatur; nemo tamen ex eorũ numero esse, qui non manus etiam imponere potuit. Sin distributiuè pro gradu & officio cuiusque; nemini quidem licebat sacram illam in se functionem suscipere, cui manus perindè ac Timotheo impositæ non erant: Laici igitur, quibus manuum impositionem nec dare nec accipere ius erat, à gradu & societate pariter Paulini excluduntur Presbyterij.

Beza collectiuè sumendum eo loci censet, atque addit; q τῦ πρεσβυτέριυ, id est, *ordinis Presbyterorum: quo nomine cœtus ille omnis significatur qui in verbo laborabant in ea Ecclesia, vbi hoc factum est.* Si omnis cœtus ille, siue Presbyterium, tunc temporis in verbo laborarint; vbi igitur erant Presbyteri illi gubernantes, & non laborantes in verbo; cui tandem eos adiungemus Presbyterio? Nũ in singulis Ecclesijs bina erãt? Nihil minus. Presbyterium hoc totum ex Doctoribus & Pastoribus constabat: aliud verò ex laicis conflatum Senioribus in sacris historijs nusquam legimus.

q Beza in annot. in 1. Tim. 4.

Tertia ratio ipsum sibi contextum suffragantem habet, qui prorsus hanc illorum interpretationem velut alienam respuit, & nimis longè petitam. Vbi enim isti inferunt, ergo

aliqui Presbyteri erant, qui in verbo & doctrina laborabant, rectiùs concludamus, omnes illos duplici honore dignos fuisse, tam qui bene præsiderent, quàm qui in docendo desudarent. Quod quidem tum rationibus illis quos Paulus continuò subjicit, tum communi, non antiquorum modò, sed etiam recentium interpretum consensu, de honorario Ecclesiæ expensis ijs exhibendo intelligi debet. In his primus Chrysostomus ait: [r] *Honorem hoc in loco Paulus reuerentiam appellat, & subsidium rerum necessariarum.* [s] *Vult illis præstare carnalia, à quibus alij spiritualia consequuntur, quia occupati in doctrina, necessaria sibi prouidere non possunt.* [t] *Boni dispensatores ac fideles non solum honore sublimi debent digni iudicari, sed & terreno, vt non contristentur indigentia sumptuum.* [u] *Iubet Paulus victum præcipuè Pastoribus suppeditari, qui docendo sunt occupati. Ea enim est mundi ingratitudo vt de fouendis verbi ministris non multum sit sollicitus.* [x] *Vt pauperes, ita Presbyteri quoque Ecclesiæ toti seruientes, ex Ecclesiastico alendi sunt ærario.* [y] *Cum erarij Ecclesiastici (Paulus) meminerat, mox ex eodem nutriendos esse Ecclesiæ Ministros adhortatur.* [z] *Honoris vocabulo omne pium officium & subsidium significatur, iuxta Hebraismi vsum.*

r Chrysost. hom.15 in 1. Tim.5.
s Hiero.in 1. Tim.5.
t Ambros. in eund.
u Caluin eodem.
x Bullinger. ibid.
y Villich. in eodem.
z Beza ibid.

Iam verò laicos Senatores, morumq; Censores Apostolorum temporibus Ecclesiæ impensis sustentatos fuisse, adeò mihi incredibile videtur, vt qui fidem à me haberi sibi velit, testibus omni exceptione maioribus abundet necesse est. De ministris Apostolus æquum putat, vt [a] *qui altari inseruiunt, de altari participent. Similiter Dominus constituit, vt qui Euangelium annunciant, ex Euangelio viuant.* Ecquid verò tale de laicis Senioribus habetur, qui in verbo operam non ponebant? Ij enim (si qui tales saltem fuere) vt ex sagaciore, ita ex nobiliore ditioreq; populi parte fuerunt, metu scilicet factionis, corruptelæ, ac tumultus; quibus omnibus ansam quodāmodo præbemus, si tenuiores ac imbecilliores potētioribus ac valentioribus imperare faciamus. Si Apostolus ne viduas quidem pauperculas, quæ aliundè alendi sc rationem haberent, Ecclesiæ oneri esse voluerit: num laicos (putas) Senatores quorum numerus plerumque magnus, opes

a 1.Cor.5.

multæ

multæ erant, à fratribus egentioribus, & magna sæpe rerum inopia laborantibus, alendos censeret? Nulla nec ratio, nec authoritas in verbo subest, cur Ecclesiæ Christi laicorum Senatu onerentur; quod fieri tamen ante necesse est, quam interpretatio ista locum obtineat.

Quarta ratio, quæ ab eorum opinione me auellere videtur, hæc est; quod cum multæ & variæ sint huius loci interpretationes, nulla non tam verbis ipsis, tam sensui Apostolico magis conueniat, quam quæ hodie Ecclesijs Christianis pro certissimo sancti Spiritus oraculo obtruditur.

Primam horum verborum interpretationem ab Apostoli proposito minimè hîc obscuro, deduco. Nam, Timotheum commonefaciens quibus personis, quaque mensura Ecclesia debeat alimenta suppeditare, à viduis sumpto initio docet, quænam ab Ecclesijs sustentandæ sint, quæ contrà cognatis & necessarijs relinquendæ; vt [b] *Ecclesia non oneretur, vtque ijs, quæ verè sunt viduæ, sufficiat.* A viduis ad *Presbyteros*, hoc est, à fœminis ad viros descendit, quibus victum cultumq; pro se & familijs suis, Ecclesiæ sumptibus ministrari æquum censeri debet. Hos [c] *si benè præsint*, hoc est, si fidelem Ecclesiæ operam impendant, *duplici honore dignos esse pronunciat*; nempe, vt aut maioribus quam viduæ stipendijs honorentur, quòd vocatio eorũ sublimior, & labor in Ecclesia operosior esset; aut tam ipsis, quam familijs eorũ de rebus ad vitam necessarijs prouideretur; quod à viduis ne expectari quidem poterat. Quandoquidẽ enim artibus & opificijs relictis, quibus familiã suam sustentare solebant, totos se Domino & Ecclesię eius consecrarunt; diuina sapientia eodẽ modo ijs prospexit, quo Sacerdotibus & Leuitis sub lege Mosaica, vt *qui altari inseruiunt, ex altari viuant*, ipsi & familiæ eorũ. *Presbyteri* autem, hi in duplici erant discrimine. Alij namque in verbo laborabant; alij pauperum curam gerebant. Vtrique duplici honore, si muneri suo non deessent, digni erant; *præcipuè verò qui in verbo & doctrina laborabant.* Ecclesia quæ sumptus suggerere debebat, & persona ad quam scripta hęc erant, quorsum hæc Apostoli verba tendebant, vsu & experientia anteà didicerant. Hoc *Paulus* prompto atque alacri

b 1. Tim. 5.

c Ibid.

animo præstare populum iubet; & Timotheo mandat, vt id fieri etiam diligenter curaret. Erant igitur (inquies) aliqui in Ecclesia Seniores, qui minimè in verbo laborabant. Erant; sed Diaconi, quos aut iustis stipendijs (quod nefas) defraudare, aut Presbyterorum nomine intelligere oportebit.

Verùm effugium (forsan) existimaueris, non interpretationem. At verbis Apostoli non minùs, sensui verò magis etiam consonat, quàm laicorum Seniorum introductio. Cum Ecclesia, quæ Hierosolymis erat, à sancto Luca, & etiam suis ipsius literis in tres ordines distributa sit; [d] Apostolos, Presbyteros, & fratres; quonam horum Diaconos numerabimus? an non Presbyterorum? Cum Paulus & Barnabas per singulas, quas peragrabant, Ecclesias, [c] *Presbyteros constituerent*, num à Diaconis vacuas & nudas relinquebant, aut pauperum procurationem negligebant? Quid verba proximè subsequentia, [f] *Aduersus Presbyterum accusationem ne recipito, nisi sub duobus aut tribus testibus*: annon Diaconos etiam complectuntur? Si πρεσβύτερος ætatis nomen sit, qua ratione Diaconos, qui prudentiæ, grauitatis, maturitatis ergô, perindè ac Ministri, deligebantur, ab hoc nomine excludamus? Sin officij; Diaconos, [g] *qui bene ministrauerint, gradum sibi bonum acquirere*, Apostolus nobis author est: laicos verò munus aliquod in Ecclesia sustinuisse, quo Scripturarum testimonio probatur? Vnicus hic locus, quem in manibus habemus; ex omni nouo Codice in arenam profertur; qui ancipitem magis litem facit, & controuersiam adauget potiùs quàm dissoluit.

d Act 15.

c Act. 14.

f 1. Tim. 5.

g 1. Tim. 3.

Præterea vocabula hæc ἐπίσκοπος, πρεσβύτερος, διάκονος, latissime plerumque vsurpari, ita vt Ecclesiasticas omnes complectantur functiones, nullius esset negotij demonstrare, nisi à doctissimis huius interpretationis defensoribus vltrò concederetur: [h] *Hæc nomina Episcoporum, Presbyterorum, & Diaconorum interdum generalia sunt.* [i] *Nomen Presbyteri generale est, comprehendens eos omnes qui Ecclesiastico funguntur munere.* Quamobrem prima hæc nostra expositio nec falsa (vt volunt) nec coacta est, sed cum verbis Apostoli æquè, tum sensui

h Beza annot. in 1. Tim. 4.

i Idem in 1. Pet. 5.

sensui plus etiam quàm illorum congruit interpretatio.

Altera horum verborum significatio est, quam Chrysostomus alijque scriptores Græci consectantur; quod cum in omni verbi Ministro hæc tria requirantur, vitæ probitas, gubernandi solertia, & doctrinæ integritas; laudantur quidem priora duo; primas tamen docendi labor in his iure sibi vendicat. Itaque non duplex hîc Presbyterorum ordo, sed duæ Pastoralis officij partes notantur. Num quicquam quod apud vos in confesso non sit, asserere videor? annon vestra hęc partitio est: alios esse Doctores qui in verbo laborent, sed animarum curam non sustineant; alios Pastores, quibus præter studium atque operam verbo publicè impensam, peculiare quoddam animæ cuiusque in Ecclesia, cui præsunt, onus incumbat? Paulus ad Hebræos Ministros verbi, [i] τοὺς ἡγουμένους appellat. Inter προίσασθαι autem, quod antestare significat, & ἡγεῖσθαι quod (ducum more) præire, quid vobis discriminis videtur? Audite igitur eum, cuius eruditionem non debetis, iudicium in hac parte non soletis contemnere. [k] *Idem valet* το προίσασθαι, *quod* ἡγεῖσθαι; *quia nimirum Pastores gregi præeant.* Par est enim eos ἐπισκοπεῖν, perindè ac ποιμαίνειν; hoc est, *inspicere* iuxta ac *pascere*. Inspicere autem nihil amplius denotat, quàm simpliciter docere? Cur nouum aut inauditum cuiquam videatur, si Ministros verbi non κοπιῶντας solùm, hoc est, gnauos, & sedulos ad docendum, sed καλῶς προεστῶτας, ad gubernandum inspiciendumq; peruigiles esse debere contendamus, *quum Apostolus* vtrumque in Pastoribus ijs, quos volumus, coniungat? [l] *Rogamus vos fratres* (inquit) *vt agnoscatis* τοὺς κοπιῶντας ἐν ὑμῖν, καὶ προισταμένους ὑμῶν ἐν κυρίῳ, *eos qui laborant inter vos, & præsunt vobis in Domino, atque admonent vos; & quàm maxime charos ducatis, propter opus ipsorum.* Vbi quidam doctissimus huius disciplinæ patronus, ita scribit: [m] *Notandum est quibus titulis Pastores designet. Primo dicit eos laborare; simul præfecturæ nomine eos ornat.* Vnde perperam ex hoc loco inferunt, *Ergo aliqui Presbyteri* præsidebant tantùm, non omnino docebant; cum ratiocinandum potiùs sit, Ergo plus etiam à Presbyterio quàm docendi munus requiritur; nempe, vt vitæ

i Heb. 13. vers. 7. & 17.

k Beza annot. in Thess. 5.

l 1. Thess. 5.

m Caluin. in 1. Thess. 5.

exemplo ſit ijs quibus præeſt, ouibúſque ſibi commiſſis diligenter inuigilet. Perinde eſt, ac ſi dixiſſet, Paſtores & Presbyteri duplici honore digni ſunt, eò quod & ſe, & gregem ſuum probè moderentur; maximè verò quia in doctrinam & exhortationem (quod in prima Miniſterij ſacri parte cenſetur) egregiè incumbant. Atque ita ſecundam hanc interpretationem noſtram, tum Paſtoralis officij terminis ritè præſcriptam, tum eiuſdem verbi ſimili apud Apoſtolum vſurpatione alibì corroboratam, tum denique eorum ipſorum confeſſione, quibus nec eruditio defuit, & affectio erga Presbyterium ſuperfuit etiam, liquidò atteſtatam habetis.

Tertia eorum explicatio à vi verbi κοπιᾶν, quod maiore cum conatu & contentione aliquid eniti ſignificat, breuiter peti poſſe videtur. Tum verò ſenſus eſt, *Preſbyteri qui præſunt benè, duplici honore digni ſunt, maximè qui in verbo laborant (& deſudant.)* Atque hanc eſſe propriam & germanam huius verbi (κοπιᾶν) ſignificationem, cùm à corporis labore ad animi contentionem traducatur, nemini vel mediocriter erudito dubium eſſe poteſt. πονεῖν, enim ſimpliciter laborare, κοπιᾶν laboribus frangere & laſſare ſe ſignificat. [n] *Certè plus eſt κοπιᾶν quàm πονεῖν: ſi propriam vtriuſque ſignificationem ſpectemus, vt laſſitudo plus quàm labor eſt.* Qui laborat igitur honorario quidem dignus eſt: dignior autem multo, qui ſe laboribus frangendum & defatigandum dederit. Ita Paulus; Paſtores ſiue Presbyteri qui parem muneri ſuo operam reddunt, duplici honore digni ſunt; præcipuè verò ij, qui nullam non laboris contentionem & moleſtiam, quo Chriſti fidem & doctrinam promoueant, libenter ſuſcipiunt. Nunquid hic abſurdum, nunquid inuolutum, num à vi verborum Pauli diſiunctum quid, aut alienum dicimus, cum hæc ita interpretemur?

n Beza annot. in Matth 11.

Quartam horum verborum conſtructionem, tum verbis ipſis, tum menti Apoſtoli apprimè conſonantem, huc addere licet, vt tamen laicis inde Presbyteris nihil loci relinquatur. Siquidem καλως προεστῶτες, ad eos Paſtores & Docto-

Doctores referri poteſt, qui in quaque Eccleſia reſederunt; qui idcirco propriè dicuntur προϊσασθαι, curam ſcilicet & inſpectionem fidelium habere, veluti eius rei gratia loco affixi; κοπιῶντες autem ad eos, qui Eccleſias inuiſendi confirmandique cauſa huc illuc commearunt. Huic operariorum ſacrorum differentiæ ipſa non incommodè verba inſeruiunt. Vtrique enim Eccleſiæ ſumptibus alendi erant, tam ij qui propagandæ Eccleſiæ cauſa orbem terrarum peragrarunt, quàm qui domi operam Euangelio nauarunt. Quod ad vſum verbi κοπιᾶν attinet, præterquam quod Matth.6. Luc.5. & 12. Iohan.4. Actor.20. 1.Cor.14.Eph.4. 2.Tim.2. corporalem, ſine controuerſia, laborem, laſſitudinemque ſignificet; Paulus 1.Cor.15. ad hunc modum ſcribit: *Chriſtus tertio die excitatus, viſus eſt Iacobo, deinde Apoſtolis omnibus; Nouiſſime autem omnium viſus eſt mihi tanquam abortiuo. Minimus enim ſum Apoſtolorum, nec dignus qui vocer Apoſtolus, quoniam perſecutus ſum Eccleſiam Dei.* ἀλλὰ περισσότερον αὐτῶν πάντων ἐκοπίασα: *ſed plus ijs omnibus laboraui*; reliquos intelligit Apoſtolos quibus etiam Chriſtus apparuit. Quæro, num Paulus reliquos Apoſtolos negligentiæ inſimulauerit? aut prædicandi officio ijs omnibus ſe præponere auſus fuerit? extremæ quidem arrogantiæ, ne dicam impudentiæ foret, ſi quis ita exiſtimaret. Quid ergo his verbis ſibi vult? vtvt *abortiuus, & eorum longe minimus eſſet*, plures tamen terras ſe peragraſſe, plures luſtraſſe Prouincias proferendi Euangelij cauſa profitetur, quàm quenquam aliorum. Quam verò ob rem? nempe illi ad Iudæos in paucis regionibus diſperſos miſſi ſunt, nec quiſquam eorum, quod legimus, ante quam Paulus hæc ſcripſit, Aſiæ fines exceſſit, excepto Petro, qui prope vitæ ſuæ finem vinctus Romam perductus eſt. Paulus autem Gentium Apoſtolus conſtitutus, non Arabiam ſolum & Iudęam pedibus obijt; ſed Aſiam, Græciam, Italiam, Hiſpaniam, cum multis alijs (quas breuitatis cauſa omitto) nationibus, Euangelij ſonitu impleuit. Atque eo quidem ſenſu ſe reliquis omnibus in prædicandi officio plus elaboraſſe, verè & ingenuè profitetur.

Huius vocis par & similis vsurpatio 16. ad Romanos non semel habetur. *Salutate Mariam*, ἥτις πολλὰ ἐκοπίασεν εἰς ἡμᾶς, *quæ multum nobis laborauit.* Et deinceps; *Salutate Triphænam & Triphosam*, τὰς κοπιώσας ἐν κυρίῳ, *quæ in Domino vehementius laborant. Salutate Persida dilectam*, ἥτις πολλὰ ἐκοπίασεν ἐν κυρίῳ, *quæ multum laborauit in Domino.* Fœminæ istæ publice Euangelium non annunciarunt, ne debuerant quidem; verùm ex ijs aliquæ regionibus longe lateque decursis, ad mulierculas (quod viris pudor erat) secretius penetrarunt, easque non priuatim solum Euangelij sensu imbuerunt, sed ad audiendum Apostolorum aliorumque Doctorum sermonem, foras etiam eduxerunt.

Nec fœminæ solum, sed viri etiam quamplurimi, vtpote Prophetæ, Euangelistæ & Doctores, nec laboribus vllis, nec periculis pepercerunt, quo Infideles Christo lucrifacerent, & fideles in fide confirmarent. Quorum tametsi aliqui, forsan ex proprio viuebant; nonnulli etiam manuum labore victum sibi quærebant; quia tamen eorum non minor ad augendam Ecclesiam vtilitas erat, negotium verò & discrimen multo maius quàm Pastorum, qui certis affixi sedibus hæserunt; Apostolus ab Ecclesijs prospectum ijs esse voluit, ne tum demum nudi atque inopes errarent, cum non operam modo, sed vitã etiam ipsam Christi seruitio dedicassent. Vtrosque enim collatio Apostolica complectitur,

o 1.Cor 9. vbi ait; o *Quis proprijs vnquam militat stipendijs? Quis vineam plantat & de fructu eius non comedit? Quis gregem pascit & lacte non vescitur?* Itaque dignior mihi mercede videtur, qui foras se periculis pro Christo exponit, quàm qui domi in vmbra & quiete gregem pascit. De his enim ita præcipit

p 1.Cor.16. Apostolus; p *Si venerit Timotheus, videte vt absque metu sit apud vos; opus enim Domini operatur, sicut ego, & deducite*

q Tit 3. *eum in pace.* Et alibi; q *Zenam legisperitum, & Apollo sedulo deducite, nequid illis desit.* Et vnde illud expectare debeant, velut digito demonstrans;

r Ibidem. r *Discant*, inquit, *etiam nostri bonis operibus præstare in necessarios vsus.* De his Iohannes

f Ioh.Epist 3. etiam intelligendus est, quum ait; f *Dilecte, fideliter agis, quicquid facis erga fratres, & erga peregrinos, Quos recte facies,*

si

si deduxeris, sicut dignum Deo est. Nam pro nomine eius profecti sunt, nihil accipientes à Gentibus. Nos ergo debemus accipere huiusmodi, vt cooperatores simus veritati. Summa igitur verborum Pauli secundum quartam hanc expositionem, hæc est. Pastores siue *Presbyteri qui bene præsint*, & fidelem Euangelio operam præstant, duplici mercede digni sunt; *maxime vero qui nullum non laborem*, huc illuc circumeuntes, *in verbi prædicationem insumunt*, honorandi fouendique ab Ecclesia sunt; vtpote quorum & labor, & necessitas plerumque maior est.

Ita quatuor huius loci expositiones cum verbis, tum menti Apostoli maxime consentaneas habemus; quibus omnibus ne minima quidem laico Synedrio fenestra, sine manifesta literæ veritatisque Euangelicæ deprauatione, patere videtur. Ita enim fiet, vt laici omnes Presbyteri iure diuino duplicem ab Ecclesia mercedem exigant: & Pastores qui in verbo operam suam collocant, à gubernando, inspiciendo, moderandoque gregi sibi commisso prorsus excludantur; quorum vtrumque contra est, quàm habet veritas. Si diuersa sunt regendi, docendique officia, nulli vtrumque vsurpare liceat; sin coniuncta, quid vario Presbyterorum delectu sit opus ad idem munus exequendum? Hoc vno sepositio loco, in quo tamen nihil prorsus est, quod pro laicis Presbyteris faciat, quam, non dico, sententiam, sed syllabam in toto Testamento noua pro ista regiminis formula ostendas? [t] *Qui præest*, ait Apostolus, *(faciat) cum diligentia.*] Numquidnam ait, laicus qui Ecclesiæ præpositus est, cum diligentia munus suum exequatur? [*Minimè; De diuersis tamen Ecclesiasticis officijs agit, vnde sequitur, quosdam præesse, qui neque docere, neque exhortari possint, quos laicos esse Presbyteros necesse est.*] De diuersis quidem Spiritus sancti donis tractat, id enim [u] χαρίσματα διάφορα sonare videntur: de diuersis autem Ecclesiæ officijs, ne verbum quidem. Ita enim nemini vni ea exercere liceret, & proinde nec *Prophetæ docere aut exhortari*; nec *Diaconus distribuere aut misereri* posset. Multa dona vni conuenire possunt, officia non item.

t Rom.12.

u Ibid.v.6.

Paulus

Paulus de officijs agit ab ijs exercendis, qui donis ad id idoneis instructi erant. Atque eò humani corporis exemplum pertinet, in quo membra diuersas facultates actioneſq; habent.] Exemplum lubens agnoſco, atque id mihi argumento eſt, Paulum de particularibus gratijs, non de publicis Eccleſiæ officijs agere. x *Quemadmodum*, inquit, *in vno corpore membra multa habemus, & omnibus membris nequaquam vna actio eſt: ſic nos multi, vnum (tamen) in Chriſto corpus ſumus, & alij aliorum membra inuicem.* Quæro iam, vtrum ſoli qui officijs funguntur in Eccleſia, non tota credentium multitudo corpus Chriſti myſticum efficiant? Corpus, ſine controuerſia, ex omnibus ſuis partibus conſtat, non ex hac aut illa tantùm, quantumuis inter membra excellant. Quemadmodum igitur in corpore humano, cuiuſq; membrorum propria eſt actio: ita in Chriſti corpore, (quod Eccleſia, non Presbyterium eſt) vnumquodque membrū ſuam propriam dotem, non publicam in Eccleſia functionem habere debet. *Verùm enimuerò Paulus ea dona hic recenſet, quæ publicum in Eccleſia, & non alibi, vſum obtinuerunt; veluti prophetiam, doctrinam, exhortationem, diſtributionem, gubernationem, miſericordiam.*] Quid non horum, Apoſtolorum temporibus, tam populo quàm Paſtoribus, tam fœminis quàm viris commune erat? Prophetia, quæ præcipua, & minimè omnium vulgaris habetur, annon multis è medio populo cuiuſque ſexus, & ætatis data eſt? Nū Prophetā falſi coarguemus, qui multo ante prædixerat? y *Eritq́, poſtea vt effundam Spiritum meum ſuper omnem carnem; & prophetabunt filij veſtri & filiæ veſtræ; quinetiam ſuper ſeruos & ſuper ancillas diebus illis effundam Spiritū meum.* Num Petrū mendacij reum peragemus, *qui hanc prophetiam*, poſt Chriſti aſcenſionē, Spiritu ſancto in Eccleſiam effuſo, *impletam fuiſſe* teſtis eſt? Quotquot Petri ſermonem apud Cornelium audierunt, z *dona Spiritus ſancti*, etiam ante quàm ſacro fonte abluerentur, *ad magnificandum Deum* acceperunt. a *Quatuor Philippi filiæ, an non erant prophetides?* b *Omnis mulier orans aut prophetans*, inquit Paulus, *capite aperto dedecorat caput ſuum.* Quod ſi igitur Prophetia fuit donum Spiritus, omni hominum ordini ac ſexui commune, perinde ac publicum

x Rom.12.

y Ioel.2.

z Act.10.
a Act.21.
b 1.Cor.11.

in

in Ecclesia munus, & Paulus 12. ad Rom. vsum horum donorum rectè explicat, vt singula corporis Christi membra peculiares sibi actiones iuxta mensurã fidei obtineant; quid est, cur locum istum à priuatis membri cuiusque dotibus ad publica paucorum in Ecclesia officia traducamus, de quibus nihil ibidem actum, ne cogitatum quidem ab Apostolo fuit? *Certè doctrina & exhortatio non ad priuatas dotes, sed ad publica Ecclesiæ munera spectare videntur.*] Ita omnes vestros sensus disciplinæ huius ardor occupauit, vt Scripturas quantumuis frequentes ac repugnantes, non omninò attendatis. Annon [c] *Apollos vir eloquens & potens in Scripturis, à Priscilla Aquilæ vxore viam Domini plenius edoctus est?* Annon Paulus eam vnà cum marito [d] *adiutorem in Christo* appellat? Mulieres, quas tantopere *elaborasse in Domino* prædicat, num otiosæ huc illuc discurrebant, an docendo exhortandoque occupatæ erant? [e] *Mulieres, si quid discere velint, domi maritos suos percunctari Paulus iubet*; mariti igitur vxores erudire poterant. [f] *Sermo Christi inhabitet in vobis copiosè cum omni sapientia, docentes, & commonefacientes vos mutuò Psalmis, hymnis, & cantionibus spiritualibus, cum gratia canentes Domino in corde vestro:* Commune omnibus Christianis est præceptum, non proprium Pastorum & Presbyterorum mandatum. Similiter hæc: [g] *Adhortamini alij alios, sicut & facitis; monete inordinatos, consolamini pusillamines, subleuate infirmos, patientes estote erga omnes:* Omnibus præscripta, ab omnibus præstanda sunt. Quod si igitur prophetia, doctrina, & exhortatio priuatæ Spiritus sancti dotes sint, ab omnibus credentibus pro mensura doni cuiusque, tempore & loco opportunis, tum ad suam ipsorum, tum ad aliorum vtilitatem adhibendæ; quid simile saltem vero habet, Apostolum hîc Ecclesiastica officia recensere; ac non potius donorum Dei in Ecclesiam effusorum, atque in omnia mystici corporis membra distributorum, vsum moderationemque præcipere? [*Distributio non donum aliquod à Spiritu profectum, sed verius officium in Ecclesia est: vti etiam gubernatio, miseratio, superiori coniuncte, Diaconorum, Presbyterorum, ac viduarum publica in Ecclesia ministeria pulchrè admodum referre videntur.*] De pro-

c Act. 18.
d Rom. 16.
e 1. Cor. 14.
f Colos. 3.
g 1. Thess. 5.

proprio distributio à sincero animi studio profecta, præstantius multo Spiritus sancti donum est, quàm (quod Diaconorum erat) de alieno; de spiritualibus autem donis hic agitur. Præterea διακονίαν, quæ Ministerium sonat, paulo antea vsurpauit; cui verbo, si quid de Diaconorum officio præcepisset, propriè locus hic fuisset. Quòd si germanam verborum Pauli sententiam inuenire, non nostras ipsorum opiniones sectari velimus, quæ à Petro ad eundem finem dicta
h 1.Pet.4. sunt his lucem videntur afferre: h *Hospitales estote alij in alios sine murmurationibus: vt quisque accepit donum, inuicem illud subministrate, vt boni dispensatores multiformis gratiæ Dei. Si quis loquitur (loquatur) vt eloquia Dei. Si quis ministret (aut distribuat alteri, faciat) tanquam ex viribus quas Deus suppeditat, vt in omnibus glorificetur Deus.* Quanquam non sum nescius hunc locum cum cæteris ad præsumptæ disciplinæ partes frustra vocari. Sed si ad id quod propositum ei fuit, animum aduertamus, idem paucis hic à Petro quod pluribus à Paulo percipiemus. *Vt quisque hominum*, inquit *(non Pastorum aut Diaconorum) donum accepit (diuinæ scilicet gratiæ, non officij, electione humana) ita illud subministrate inuicem (ad commodum alij aliorum.) Si quis loquitur (loquatur ad ædificationem consolationemq;) vt eloquia Dei. Si quis ministret, (hoc est, vtile alteri faciat, non verbis sed operibus) fiat tanquam ex viribus, quas Deus suppeditat (ei, non secundum contributiones quas ab alijs accepit) vt in omnibus (etiam dictis factisq; nostris) Deus glorificetur.* Idem Paulus, sed aliquanto prolixius & vberiori orationis serie declarat. Vt omnes corporis nostri partes diuersas habent actiones vsui ac commodo, non pro-
i Rom.12. prio, sed aliorum inseruientes: eodem modo, inquit: i *Singuli alij aliorum membra cum simus, habentes diuersa dona (non officia) iuxta gratiam nobis datam (datam videlicet à Domino, non ab hominibus delatam (in totius corporis ædificationem & conseruationem illud subministremus.) Siue prophetia, siue doctrina, siue exhortatio sit (quæ in verbis & sermone versantur;) siue gratia gubernandiq;, ministrandiq; cum diligentia; aut commiserandi succurrendiq; cum hilaritate (quæ re & opere præstantur.)* Omnia enim Christi membra, si minùs docere, exhortari, atque

atque gubernare; ministrare tamen, subleuare, ac misereri possunt; quæ Spiritus sancti dona quidem sunt, non adeò stupenda, sed perinde Deo grata ac priora, & quæ ab illis præstantissimis Spiritus sancti dotibus: quibuscum aliæ nullo modo conferendæ sint: [k] *Amore*, inquam, *minimè ficto, ac (vera) charitate proueniunt. At verba rectius ad publica Ecclesiæ officia applicaueris.*] Primùm nobis septem huiusmodi officia Ecclesiastica (tot enim partes hic diuersas recenset Apostolus) designate; secundò χαρισματα hæc, siue dona Spiritus, solis Ecclesiæ ministris tributa, non etiam reliquis fidelibus communia fuisse, docete. Tertiò, vtrum ea disiungi necesse fuerit, an in vnum & eundem cadere potuerint, scire debemus. Si diuidi oportebat, nulli nec Prophetæ docere, aut exhortari, nec Doctori exhortatione aut prophetia vti licebat. Sin in aliquibus coniungi copularique potuerant, ergo dona, non officia fuerunt; & qui vnum habuit, omnia etiam habere potuit. Ita longius à proposito, quàm antea abestis. Postremò, si vel Ecclesiasticis functionibus annumeretis, laicis tamen personis nulla ratione vendicare potestis. *Clericis Ecclesiam gubernare non licet.*] Apage verò (si qua existimationis tuæ tibi cura sit) errorem hunc tam diuersum à Scripturis, quæ Ministros [l] *Pastores*, [m] *Speculatores*, *Episcopos*, [n] *Rectores*, *& Ductores gregis* constituunt; vestrisque ipsorum positionibus contrarium, qui *Pastores præsidentes ac gubernantes* asseritis. Si is qui præest, *cum diligentia præesse* debeat: Pastoribus, non laicis Senioribus, inuigilandi munus his verbis imponitur, vt qui pro grege suo rationem Deo sint reddituri. *Si priuatum quidem donum sit, ad quem igitur spectat?*] Ad omnes, qui curationem aliquam aut familiam administrant. Pater cum diligentia liberis suis: Herus seruis, vxori maritus præesse debent. [o] *Qui domesticorum curam abiecit, infideli deterior est.* Pascere eos, ac non regere, Deique timore imbuere, improbissimè quidem negligere est. Qui propriam familiam gubernare nescit, credendam ei Dei Ecclesiam [p] Paulus negat. Non minimum igitur Spiritus sancti donum est, eos qui fidei nostræ

k 1.Cor.13.

l Iohan.21.
m Heb.13.
n Act.20.

o 1.Tim.5.

p 1.Tim.3.

ſtræ committuntur, piè & prudenter moderari. Sed eſto, donum an officium, priuatum an publicum ſit, ad laicorum Presbyterorum cauſam nihil attinet. *Vnicus adhuc locus ſupereſt, vbi Gubernationum inter Eccleſiaſtica miniſteria fit mentio*, 1. *Corinth.* 12.] In promptu reſponſio eſt, modò abſit contentio. Doctores illic nominatim habentur. Paſtores verò minimè; vt Paſtorum loco Gubernatores ſuppoſitos, non temerè credamus. Si hoc reſponſo vobis ſatis non fit, nego omnes Eccleſiaſticas eſſe functiones, quæ illic
q 1.Cor.12.28 commemorantur. Nam q *poteſtates, ſanationum dona, linguarum genera*. quibus tandem Eccleſiaſticis officijs annumerabimus? [*Ornamenta Paſtoralis & Prophetici muneris erant.*] Eodem modo Gubernatio. [*Gubernare officium, non donum eſt.*] Prudenter quidem gubernare præcipua Spiritus ſancti gratia eſt, & Eccleſiæ magis neceſſaria, quàm *linguæ, ſanationes, aut miracula*. Plus enim ad adminiſtrandam Eccleſiam, quàm morum cenſura, aut teſtium examinatio, deſiderabatur ſolertiæ in præueniendis periculis, expediendis dubijs, diſcernendis ſpiritibus, moderandis contentionibus, multiſque alijs grauiſſimis dotibus propriè in Eccleſiæ regimine locus erat. Gubernatio igitur primas inter Spiritus ſancti dona obtinet, diuerſum autem ab alijs munus non eſt. Apoſtoli, Prophetæ, Doctores in Eccleſia, annon facultate edendi miracula, ſanandi ægrotes, linguis loquendi, prædi ti erant? Si tria hæc non diſtincta officia, ſed dona ſint omni Apoſtolo, multis etiam Prophetis & Doctoribus ſimul communia; quid ni Gubernatio in medio eorum recenſita, Spiritus ſancti gratia ſit, in eos Prophetas, Paſtores, & Doctores collata, quos eo honore dignari Dominus voluerit?

Vt melius intelligamus, Eccleſiaſticas functiones cum facultatibus Spiritus permiſcendas non eſſe, nedum vnam pro altera ſumendam; dona Spiritus quæ in hoc vno capite enumerantur, percurramus; deinde videamus, ſi quid ſimile ijs publica Eccleſiæ miniſteria habent? r *Cuidam*, inquit Pau-
r 1.Cor.12. 8. lus, *datur per Spiritum ſermo ſapientiæ; alij ſermo ſcientiæ per*
ſ Verſ. 9. *eundem Spiritum*; ſ *alij fides; alij dona ſanationis*; t *alij facultas e-*
t Verſ. 10. *den-*

dendarum virtutum; alij prophetia, alij discretio Spirituum; alij genera linguarum; alij interpretatio linguarum. Nouem Spiritus dona hic commemorantur; & in calce huius capitis alia duo notantur; u *Opitulatio ac Gubernatio.* Ad Romanos quinque ab his diuersa enumerantur; in toto sexdecim. Opinor, tot distincta officia in Ecclesia non erant. Quid? quòd Apostolus in hoc ipso capite octo gradus, siue dignitates donorum spiritualium commemorans, & quemque velut ordine collocans, Pastores & Diaconos, vtpote ad vsitatas potius Ecclesiæ functiones, quam ad mirificas Spiritus facultates pertinentes, consultò prætermittat. Multi enim Pastores & Doctores pluribus earum instructi erant; Apostoli autem omnibus, idque maiori mensura, quam quisquã aliorum; quod in gratijs quidem fieri poterat, in officijs verò minimè. Itaque statæ & perpetuæ in Ecclesia functiones non erãt, cuiusmodi Pastorum & Diaconorum esse oportet; sed mirabiles & temporariæ quædam virtutes, initio Euangelij ad euertendam Satanæ tyrannidem, & Christi fidem promouendam, ea mensura ijsque personis dispensatæ, quibus Spiritui sancto visum erat. *Gubernatores igitur in primitiua Ecclesiæ cuiusmodi erant?*] Qui aut quales, fuerint, opinari me facilè, difficulter verò probare posse, non pudet profiteri. Tantarum Spiritus gratiarum, post tot annorum centurias, modum ac ordinem coniectura non demonstratione assequi licet. [*Quare autem laici Presbyteri, aut morum Censores non fuerint?*] Quia nullos eiusmodi aut hic memoratos aut alibi monstratos inuenio. Gubernatores quidem, seu potius Gubernationes (vt Pauli verbo vtar;) hoc est, prudentiæ, discretionis, & iudicij facultates, ad dirigendam gubernamdamque in medijs procellis Ecclesiam totam, & quamlibet eius partem fuerunt, quibus illa ætas nequaquam caruit. Gubernatores etiam eos accipere possumus, qui ad dirimendas lites & contentiones inter priuatos ortas in quolibet conuentu ordinabantur; vt nequis Christianorum cum ignominia ipsius, & Euangelij scandalo, fratrem suum ad tribunalia magistratuum, vti tum erant, infidelium, pro huis vitæ negotijs pertraheret. De his Paulus 1. Cor. 6. scribit;

u Vers. 28.

x 1.Co.6. bit; x *Audet aliquis vestrûm negotium habens aduersus alterum, iudicio experiri sub iniustis, ac non sub Sanctis? Si de iis quæ ad huius vitæ vsum pertinent iudicia habeatis, qui infimi in Ecclesia sunt (iudices vobis constituite.) Ad pudefactionem hæc dico vobis. Non est sapiens in vobis, ne vnus quidem, qui possit ex æquo diiudicare inter fratres suos, sed frater cum fratre litem habet, idque sub infidelibus?* Hos moderatores siue arbitros fraternarum litium & causarum inuenio; alios, nisi Pastores simul & custodes gregis, in Apostolicis literis non lego. [*Nulli quidem magis idonei erant, vel ad refrænandum feroces & indomitos, vel ad castigandum improbos & proteruos, Gubernatoribus illis quos modò nominaras. Ii enim hominum in homines maleficia iudicarunt; quid ni igitur peccata in Deũ similiter vindicarint?*] Gubernatores isti nec authoritatem, nec necessitatem, nec perpetuitatem in Ecclesia Dei habuerunt. Ne Christiani coram Paganis iudicibus acriùs se inuicem persequerentur, & priuatis pugnis suis doctrinam Christi irridendam & exagitandam infidelibus redderent. Apostolus iniurias eos perpeti potius, aut ad pios & prudentes arbitros intra Ecclesiam, referre monet; non tamen Iudicibus illis licentiam facit, vt ius in aliorum causas sibi vendicent, & decreta in contumaces emittant. Nam hoc esset magistratus in Ecclesia creare, ijsque gladij potestatem in ciuilibus etiam causis tribuere; quod Apostolus nec in animo vnquam, nec in manu habuit. Quid quod in Rebuspublicis Christianis, vbi nullum à scandalo aut contemptu Euangelij periculum est, si controuersias suas iudicio persequantur homines, Iudices illos desinere æquum est; quandoquidem causa nulla est, cur fidelium magistratuum tribunalia diffugiamus, ad quos iure diuino defensio iurium, & vindicatio iniuriarum inter subditos prorsus & in totum spectat. Quocirca si daretur (id quod tantopere contenditis) eos laicos Presbyteros & gubernatores fuisse; at in regno tamen, vbi fides Christiana viget, vt hodie in Anglia obtinet, (& obtineat precor in sæcula) ciuili gladio cedere debent. [*Numputatis verò Pastores & Prophetas Apostolorum temporibus*

poribus à ſacris ſtudijs & officijs auocatos, in audiendis litigantium examinationibus, & exceptionibus, depoſitionibus teſtium recipiendis, cum ſimilibus iudiciorum formulis, & præſcriptis, quæ ad inueſtigandam veritatem prudenter & ſalubriter inuenta ſunt, impeditos fuiſſe? Quanto ſatius, hac ad graues aliquos & prudentes viros è laicorum numero referre, quàm verbi Miniſtris & ſatoribus Euangelij his diſceptatiunculis moleſtiam faceſſere?] Apoſtolorum quidem temporibus iudiciariæ partes non ita magnæ, nec procedendi modus, vt nunc, difficilis aut multiplex erat. Nullis ſe cauſis admiſcebant, niſi quæ Eccleſiæ ſcandalum, & doctrinæ Chriſtianæ contumeliam apud infideles procurarent. Atque in his rebus, in quibus explicata cuique ratio eſſe poterat, ſtrepitu & figura iudicij nihil opus erat. Quid quod Prophetæ & Paſtores tunc temporis dona *diſcernendi ſpiritus & arcana reuelandi* non raro habuerunt; ſic vt maleficia quæ in dubium venirent, facilè coargui & conuinci poſſent? Prophetis enim arcana perſcrutandi & retegendi facultatem fuiſſe, Paulus locupletiſſimus nobis author eſt. [y] *Si omnes prophetent, & ingrediatur infidelis quiſpiam, aut idiota, arguitur ab omnibus; atque ita occulta cordis eius manifeſta fiunt, & procidens in faciem, adorabit Deum, & dicet, Verè Deus eſt in vobis.* Et ſuperiùs paulo hæc duo coniungit; [z] *Etſi habeam prophetiam, & nouerim myſteria omnia.* Quocirca occulta reuelare, & futura proſpicere, Prophetiæ quodammodo annexa erant, non prorſus & perpetuo, ſed quando & vbi Dei goria & Eccleſiæ neceſſitas idipſum flagitare videbantur. Tertio, Paulus poteſtatem [a] *aduerſus Preſbyteros* etiam *accuſationes recipiendi & peccantes in conſpectu omnium redarguendi* Timotheo, quem conſtat laicum non fuiſſe, Apoſtolica authoritate credidit & commiſit. Quo iure igitur Paſtoribus & Doctoribus, quod ab Apoſtolo muneris loco præſcribitur, velut onus ſacræ eorum vocationi detrahitis, inque laicos preſbyteros, ſanioris iudicij prætextu, confertis; ac ſi Spiritus Dei parum prudens aut peritus in conſtituenda Eccleſiæ politia fuiſſet? Ita, Paſtorum eſſe examinare & arguere delinquentes, Pauli ipſius teſtimonio probauimus; vos ſi tantum-

y 1.Cor. 14.

z 1.Cor. 13.

a 1.Tim. 5.

dem pro laicis Presbyteris ostendatis, palmam vobis deferemus. Postremò, cum clauium potestas, & Sacramentorum dispensatio Pastorum proprium munus sit, semperq; fuerit, non laicorum Seniorum ius aliquod; mihi certè non videtur laicos qui magistratus nullo modo sint, posse pastoralis officij partes sibi vendicare, & in sua ipsorum functione plus ipsis pollere, sine summa iniuria & insigni audacia quibus in aliorum vocationes inuolant, contra apertum Christi verbum voluntatemque, qui Apostolos eorumq; successores, [b] *ad remittendum, retinendúmque peccata* solos diuino flatu consecrauit; verbúmque & Sacramenta tam arctè deuinxit & colligauit, vt quibus vnum diuidere non liceat, alterum dispensare nefas sit. Quo fit, vt vel vtrumque vel neutrum, ad laicos Presbyteros pertinere debeat.

b Iohan.20.

Næ ego neminem laicum appello, derogatione donorum ipsius aut contemptu ordinis eius, in quo eximios in Rebuspublicis Christianis viros semper extitisse, iamq; existere prudentia grauitateq; nequaquam inferiores, gubernandi verò scientia Ecclesiastici ordinis quibuscunque fortassis etiam superiores, lubens agnosco. Distinctionis tantùm causa nomino, doctissimorum, antiquissimorumque authorum exemplum secutus. Nam qui sacro Ministerio nomina non dederant; nihilominus [c] *populus Dei & hæreditas erant; imò genus electum & regale Sacerdotium* interna Spiritus vnctione sanctificatum, *ad offerendum spirituales hostias acceptas Deo per Iesum Christum.* Ita enim nomen hoc λαὸς, vnde laici, *pro peculiari Domini populo* accipi, docti non ignorant. Quæ distinctio quidem populi & Sacerdotis, nec abhorrens à Scripturis, nec infrequens est in Scripturis. [d] *Erant* inquit Esaias, *par populus & Sacerdos.* Tantundem [e] Oseas. [f] Ieremias etiam Ecclesiam *in Prophetam, Sacerdotem, & populum* distribuit. De clericorum verò nomine notus Hieronymi locus est. [g] *Propterea,* inquit, *vocantur Clerici, vel quia de sorte sunt Domini, vel quia ipse Dominus sors, id est, pars Clericorum est.* Populum (Seculares) duriore verbo appellat; quod mihi pro laicis non admodum placet. Presbyteros similiter appello, non omnes ætate prouectos, vt nonnunquam

c 1.Pet.2.

d Esai.24.

e Ose.4.

f Iere 23.26.

g Hieron.ad Nepot.de vit. Cleric.

nunquam verbum ſonat; (qua vocis homonymia multos Presbyterio plus deditos in fraudem inductos, alioſque inducentes, facilè animaduerti;) ſed eos, quos Apoſtolus πρεσβυτέρους proprio nomine notat (vnde lingua noſtra, Gallicam imitata, nomen PRIESTS mutuata eſt, qui ætate Seniores eſſe deberent; officio autem diſpenſatores verbi ac Sacramentorum, & inſpectores gregis Chriſti ſunt. In qua ſignificatione, etſi dubitari non poſſit, quin Græcè πρεσβύτεροι, Latinè Seniores, in ſacris literis ſæpius vſurpentur: nonnulli tamen, quibus plus zeli quàm ſcientiæ eſt, ſicubi verbum hoc Presbyter, aut Senior, in Scripturis aut Patribus occurrat, de laico Presbyterio dictum autumant. Quæ vt maxima ijs errandi occaſio eſt; ita minima nobis probandi ratio videtur. Quo fit, vt ſæpenumero Miniſtros verbi, ab ijs qui præſides Eccleſiæ ab alijs conſtituuntur, non Seniorum (quod patrio ſermone ætati quàm officio propius eſt) ſed Presbyterorum nomine, ſecernere coactus ſim. Verùm vtut vocabulis ludant, & verbo tenus Seniores Apoſtolorum temporibus Rectores Eccleſiæ fuiſſe oſtentent, nunquã tamen probare poterunt laicos, Apoſtolorum ætate, ordinandi Miniſtros, & peccatores à ſacra communione arcendi, publicè poteſtatem habuiſſe: à morte verò eorum quo longiùs perueſtigamus, eo minùs aliquos eiuſmodi Seniores inueniemus. *Eccleſia tota (ſi verbis Chriſti credamus) contumaces & præfractos communione ſua, velut Ethnicos & Publicanos remouere; atque ita in cœlis pariter & in terris ligare poterat.*] Superiùs à me reſponſum eſt, hæc Chriſti verba, vel ipſis diſciplinæ huius patronis teſtibus, ad Iudæorum iudices & magiſtratus eſſe referenda. Quod ſi Patrum authoritate ad Chriſti Eccleſiã traducere velimus, Eccleſiæ nomine accipere debemus, quibus ligandi ſoluendiq́ue in cœlis & in terris, data à Domino eſt poteſtas. Poſtremò, ſi his verbis, *ſit tibi velut Ethnicus & Publicanus*, nihil aliud intelligamus, niſi vt commercio menſaq́ue non plus cum eo participes, quàm cum Ethnico quouis aut Publicano: præceptum hoc ad totam potiùs Eccleſiam, quàm ad laicos quoſdam Presbyteros aut Præſides Eccleſiæ, ſpectare videtur. Illa Apoſtoli verba,

h 1.Cor.5. h *Vbi congregati estis, tollite è medio vestrùm sceleratum illum,* rectiùs ad vniuersum fidelium cœtum, quàm ad laicos quosnis Seniores in Ecclesia Corinthiaca referuntur: vt etiam

i Ibid. hæc quæ sequuntur: i *Scripsi vobis ne commisceamini cum scortatoribus; nunc autem scripsi, si quis cum frater nominetur, sit scortator, aut auarus, aut idololatra, aut conuiciator, aut ebriosus, aut rapax, cum eiusmodi ne edatis quidem.* Num laici tantùm Seniores, an tota multitudo talium commercium deuitare debuerant? k *Precor vos, fratres, obseruetis dissidiorum &*

k Rom 16. *scandalorum authores contra doctrinā, quam didicistis, & declinetis ab eis.* Quæro iam, si solos Seniores & Doctores declinare schismaticos & improbos, an auditores similiter & popu-

l 2.Thess.3. lum par sit? l *Si quis non auscultet sermonibus nostris ne commisceamini cum eo, vt pudefiat: neque tamen vt inimicum ducite, sed monete vt fratrem.* Num Paulo satis visum est, si qui pauculi Seniores laici à sceleratorū huiusmodi commercio se subducant: an potius iubet, vt vniuersa Ecclesia velut secessione facta, se ab ijs separet, quousque pudore victi ad meliorem frugem reuertantur? *At tota tum Ecclesia excommunicare poterat, non vt nunc, Pastores tantùm.*] Publica verbi denunciatione vti, & manifesto crimine adstrictos à sacræ mensæ participatione prohibere, proprium Pastorum ac Prophetarum munus erat: ad populum & laicos nullo modo attinebat. In excludendis verò perditis hominibus ab omni fidelium communione, sacra iuxtà ac ciuili. Pastoribus quidem præeundi authoritas, populo exequendi necessitas incumbebat. Non enim multitudinis arbitrio tanquam quiddam indifferens, quoad consenserint, permittit Apostolus: sed vt cum officio eorum coniunctum necessariò præcipit, &

m 2.Thess.3. m *denunciat ijs per nomē Domini nostri Iesu Christi, vt subducant se ab omni fratre qui inordinatè se gerit.* Nā vt Iohannes probè

n Ioh.ep.2. monet: n *Qui diuersam doctrinam adferentem domo recipit, aut saluere iubet, communicat operibus eius malis.* Quisquis igitur gratia, authoritate, studio, aut officio sceleratis quibuscunque persistendi in malitia animos addit, quos acriter potiùs obiurgare, & perseuerantes à commercio suo excludere deberet, eiusdem criminis reus arguitur. Imò deficiente magistratu

giſtratu Chriſtiano, Paſtores parum prudenter facturos autumo ſi ad eam ſeueritatem aduerſus obfirmatos & præfractos peccatores, inſcio & inconſulto populo, deſcenderint; metu contemptus, ſi maior pars improbauerit; aut tumultus, ſi diuiſa multitudo fuerit. *Si Paſtores in his caſibus, totius Eccleſiæ conſenſum ex pectare oportebat; annon verò ſimilius eſt, populum his rebus audiendis iudicandiſq; Seniores quoſdam ex ſe electos præfeciſſe; quàm tumultu quodam, nulla iudicij forma, ad eas determinandas prorupiſſe? id ſi euicerimus, luce clarius eſt, laicos Preſbyteros, perinde ac Paſtores, Eccleſiæ Chriſti præfuiſſe.*] Simulachra quædam & imagines veri, optima diſciplinæ veſtræ argumenta hactenùs fuerunt. Verùm ſi hoc totum ſit, tantum quod nihil eſt. Etenim nihil abſurdi fuit, vt populus in aliorum cauſis Paſtorum ſuorum conſcientiæ & religioni primus deferret, quorum fidei animarum ſuarum curam credere non dubitabant: deindè, publico conſenſu Paſtorum ſuorum ſententiam approbare poterant. Omnia enim tunc temporis potius religionis nutu, quàm ſeditionis manu, in Eccleſia gerebantur. Poſtremò, etſi maximè verum eſſet, populum graues aliquot & prudentes viros, ex ſe electos, *criminibus cognoſcendis præfeciſſe*, (quod nuſquam probatur) antequam accuſatori fidem habere, aut accuſatum à ſocietate ſua extrudere vellet; nequaquã tamen ſequeretur, laicos iſtos Seniores à Chriſto aliquam clauium poteſtatem, aut Sacramentorum diſpenſationem accepiſſe, ſed à populo potiùs conſtitutos tanquam ipſius delegatos ad audiendum referendumq; de delictis ijs, quæ authores ſuos ſocietate Chriſtianæ communionis excluderent; cui quidem delegationi populari locus non eſt, ſtatim atq; Reipublicæ gubernator, penes quem maior eſt poteſtas, fidem amplectitur & tuetur. Tametſi enim iure diuino naturaliq́ue, vbi nullus eſt magiſtratus, cuiuis multitudini communi conſenſu quaſdam viuendi regulas & præſcripta ſibi ſtatuere liceat, modò ſuperiorum legibus & decretis obuiam non eatur; cauendum tamen eſt, ne cum Deus Principibus Chriſtianis iuſtitiæ iudicijq́; inter homines defenſionem & tutelam cõmiſerit, nos ſub prætextu diſciplinæ moderatores Eccleſiæ,

neſcio quos (quibus velut ab ipſo Chriſto accepta, ſine quouis medio, poteſtate, in Eccleſiaſticis cauſis & criminibus, præterita Principis authoritate, liberè ac ſolutè procedere liceat) in qualibet parœcia collocemus.

Non hæc dico, quò diſciplinæ huius fautores velut nouarum rerum ſtudioſos inſimulem; mallem equidem inſcientiam meam ingenuè fateri, qui non intelligam, quo pacto laici Seniores Eccleſiæ præſideant, cum nec Miniſtri, nec Magiſtratus tamen ſint. Chriſtus qui caput & plenitudo Eccleſiæ, hoc eſt, corporis ſui eſt, velut Propheta, Sacerdos, & Rex eandem regit & adminiſtrat; ad cuius exemplar omnis publica in Eccleſia gubernatio Prophetica, Sacerdotalis aut Regalis eſt. Doctores propheticam, Paſtores ſacerdotalem, Magiſtratus regalem obtinent; quartam verò vnde laicis Senioribus aſſignabimus? Prophetæ non ſunt; verbi enim tractationem non habent: nedum Sacerdotali poteſtate, quæ in peccatis & ſacris myſterijs verſatur, præditi ſunt. Reſtat igitur, vt regalis muneris participes ſint; quos ſtatim atque Chriſtianus rerum potitur, authoritate illa cedere oportet, aut ab eo poteſtatem ſuam deriuare, niſi ſi oppoſitam ei iuriſdictionem moliri velint. *Quod vos Paſtoribus ſolis, tanquam monarchis, adſcribitis, vt pro libito ſuo Eccleſiam adminiſtrent; nos laicis quidem Preſbyteris, vt eiuſdem poteſtatis conſortibus impertimus. Quamobrem nihil cauſæ eſt, cur magis Principis poteſtati Preſbyteros noſtros derogare cauſemini, quàm Epiſcopos veſtros.*] In verbo Dei annunciando, Sacramentis diſpenſandis, peccatis remittendis, manibuſque imponendis, par poteſtas (ſpero) Presbyteris veſtris & Paſtoribus non eſt. Si quidem conſortes harum rerum cum Paſtoribus ſint, non iam laici Presbyteri, ſed Paſtores ſunt. Quibus officium vnum & idem eſt, nomen commune eſſe debet; eædem res ijſdem verbis notandæ ſunt. Sin eos ſocios Paſtoribus in ſacris miniſterijs non adiungatis, ſed inſpectores & moderatores Paſtoralis officij conſtituatis: Chriſtianorum magiſtratuum propria hæc poteſtas eſt, ad quos ritè pertinet Paſtores in officio retinere, ac ne poteſtate

ſtate ſua contra Chriſti voluntatem,& Eccleſiæ pacem abutantur,omnino prouidere. Nec par Paſtorum & laicorum Presbyterorum cauſa eſt. Paſtores,Domino ſic ordinante, diſcretam à Principibus poteſtatem habent; vt pluſquam arrogantiæ eſſet, ſi Principes actiones illas vel per ſe,vel per delegatos ſuos exercere velint. Prædicare, baptizare, peccata retinere, manus imponere, Principum non eſt. Princeps Principum, nempe Dei Filius, hæc ab officijs eorum ſecreuit, & Apoſtolis ſuis commiſit, qui deinceps per manuum impoſitionem ſucceſſoribus ſuis tradiderunt. Iam, vt hæc ritè atque ex Chriſti præſtituto fiant, procurare, & Paſtorum in exequendo negligentiam temeritatemque coercere,ſolum laicis Presbyteris reſtat; atque hoc quidem propriè magiſtratui Chriſtiano vendicamus. *Ius gladij in criminibus & cauſis Eccleſiaſticis Chriſtiano magiſtratui in ſolidum concedimus: laici tamen Seniores paſtoralium actionum cenſores & cognitores eſſe poſſunt, vel approbando, ſi rectè & ex ordine fiant,vel improbando,atque irritas faciendo, ſi ſecus.*] Gladium Deus nec in ciuilibus, nec in Eccleſiaſticis cauſis Principibus tradidit,vt iuſtitiæ & iudicio præcurrat,ſed vt ſubſequatur potius & ſubſeruiat eis. Gladius enim, remoto iudicio, vis & furor eſt: eo adiuncto, iuſtitia & æquitas. Non poteſtis ſimul magiſtratui gladium concedere, & iudicium in his caſibus Presbyteris veſtris reſeruare. Ita enim quicquid laici iudices decreuerint,magiſtratus ratum habere tenebitur: adeóque gladius non præſidebit eis, ſed ſubijcietur. Quocirca in moderandis reformandiſque Paſtorum actionibus, examinationem, deciſionem, executionemque Chriſtiano magiſtratui prorſus tribuere, non inter Principem & Presbyterium diuidere debetis. *Principes harum rerum ferè ſunt imperiti, quo magis Preſbyterij conſilijs opus habent.*] Egregium verò ſubſidium & omnium ſæculorum memoria dignum. Gardiani ſcilicet, paucique cuiuſuis villæ ſubruſtici ſatis idonei vobis videntur, qui in Eccleſiaſticis cauſis & criminibus iudicij luce Principibus præirent. O infœlicem Eccleſiæ ſtatum, quæ talibus dominis dominaretur. Taceo quantum patroni ac domini vaſſallos & clientes ſuos in ob-

ſequium ſuum trahere poſſint. Circumſpice Pagos & Vicos omnes,& dic ſodes, quouſque indagando te defatiges,priuſquam laicos eiuſmodi Seniores inuenias,quibus Eccleſiæ adminiſtrationem credere velis. Ruſticitatis, & imperitiæ plurimorum beneficio non vtar: iſtuc, ſpero, non negabis, Principes, modò oneri ſe ſubmittere velint,in negotijs Eccleſiæ definiendis, operarijs & agricolis quibuſcunque præferendos eſſe. Quòd ſi conſilijs opus habent,vel vicaria opera vti velint,nihil eſt cauſæ,cur ad plauſtrum & ſtiuam decurrendum putent. Meritò apud omnes de prudentia veſtra dubitabitur, & ambitionis popularitatiſque ſuſpicio orietur, ſi Principibus conſiliarios atque delegatos eiuſmodi nolentibus iure diuino obtrudatis. Si liberam eligendi facultatem habeant, non deſunt ex omni ordine viri doctrina & ſcientia præſtantes, intra propria regna, quibus moderationem inſpectionemque clericorum iure optimo credant: vt agricolas, operaſque tanti oneris magnitudinem Chriſtianorum Principum vice ſuſcipere, extremæ ſtultitiæ, ne dicam, dementiæ eſſet. Quocirca laicum Synedrion, aut à Chriſto poteſtatem ſibi citra ſupraque Principem vendicare, (quod quantum non periculi ſolùm,ſed præiudicij Principis iuri adferat, nemo non videt,) aut à Magiſtratu authoritatem hanc in Eccleſiam & Paſtores expectare,neceſſe eſt. Quandoquidem enim pares Principi vires in Eccleſiaſticis cauſis & criminibus eos habere volunt; oportet, aut Principi tanquam ipſius delegatos,aut alteri alicui,qui Principe ſuperior ſit, acceptam referre iuriſdictionem ſuam. *Annon idem Paſtores facere æquum eſt?*] Principes annunciandi verbum,imponendi manus (quæ Paſtorum propria ſunt) facultatem dare non poſſunt; aliena ſunt hæc à munere & officio regio. Cœli Princeps ac Dominus voluntatis ſuæ legatos, & diuinorum diſpenſatores myſteriorum, non implorata terreſtrium Regum authoritate, ſeorſim conſtituit. Reformandi verò in his rebus errores & abuſus quoſcunque & delinquentes loco mouendi partes ſuſcipere, nec Paſtoribus,nec Presbyteris laicis in politia Chriſtiana, abſque magiſtratus conſenſu & auxilio licet. *Quid in Republica vbi fides Chriſti*

Christi locum non habet; vnde potestatem hanc reprimendi aliorum temeritatem & audaciam Pastores sibi obtinebunt?] Quoties Ecclesia gladio non defenditur, sed deprimitur, non protegitur, sed affligitur (veluti si magistratus infidelis aut hæreticus sit,) totum partem sui quamlibet, vt minus sanam ac desperatam, abdicare & à se reijcere potest. [o] *Idcirco copiosum*, inquit Cyprianus, *est corpus Sacerdotum, vt siquis ex collegio nostro hæresim facere, & gregem Christi lacerare tentauerit, subueniant cæteri:* Imò populus ipse, deficiente magistratu Christiano, deserere falsos & improbos Pastores iure diuino potest, coercere verò minimè. Declinare & derelinquere eos possunt, cogere aut punire non possunt. Vis & vindicta, gladio alligatæ, extra priuatorum sortem ac cœtum collocatæ sunt. Vnde [p] Paulus: *Obseruate eos, qui dissidia & scandala contra doctrinam, quam edocti estis, faciunt, & declinate ab eis.* [q] *Oues meæ*, inquit Dominus noster, *vocem meam audiunt, & sequuntur me. Alienum autem nequaquam sequentur, sed fugient ab eo.* Idem Cyprianus & reliqui Episcopi consulti rescripserunt. [r] *Separemini*, inquit Dominus, *à tabernaculis hominum istorum durissimorum, & nolite tangere ea quæ ad eos pertinent, ne simul pereatis in peccato eorum. Propter quod plebs obsequens præceptis Dominicis, & Deum metuens, à peccatore Præposito separare se debet, nec se ad sacrilegi Sacerdotis sacrificia miscere, quando ipsa* (defectu fidelis magistratus) *maximè habeat potestatem, vel eligendi dignos Sacerdotes, vel indignos recusandi.* [*Grauissimi quidem huius ætatis Scriptores, ijq; non pauci, verba Pauli, eodem, quo nos, sensu accipiunt, simul etiã laicos Seniores Apostolorum temporibus Ecclesias administrasse, ac partem Presbyterij fuisse attestantur.*] Scio recentes quosdam Theologos, nec indoctos eos quidem, persecutione laborantes, aut in populari ac libero statu viuentes, hanc administrandæ Ecclesiæ, per laicos Seniores eodem iure cum Pastoribus coniunctos, rationem laudasse. Quemadmodum vero hæc eorum opinio ad diuini verbi examen probari possit, nescire me profiteor; nisi si Presbyterij istius authoritatem, tempore persequutionis ab Ecclesia vniuersa, pacis verò à pio magistratu mutuari velint. Quo casu non Seniores à Christo aut Apostolis ipsius, ad gubernandam Eccle-

o Cyprian. lib. 3. epist. 13.

p Rom. 16.

q Iohan. 10.

r Cyprian. lib. 1. ep. 4.

siam constituti, sed iudices ad corrigendum errores & delicta Pastorum publica auctoritate delegati sunt. Vtvt igitur (quod magistratus est) moderationem causarum Ecclesiasticarum obtineant; ius tamen imponendi manus, & à sacra mensa prohibendi (quod Pastorum est) quoad laici sunt, nullo modo sibi vsurpare possunt. Contrà siqui nouorum scriptorum senserint, de his Augustini verbis de Cypriano vtar: [f] *Eorum literas non vt Canonicas habeo, sed eas ex Canonicis considero; & quod in eis diuinarum Scripturarum authoritati congruit, cum laude eorum accipio: quod autem non congruit, cum pace eorum respuo. Quorum laudes consequi non valeo, quorum multis literis mea scripta non comparo, quorum ingenia diligo, quorum ore delector, quorum charitatem miror, quorum martyria veneror, hoc quod aliter sapiunt non accipio.* Doctissimos quosque errare permittit Deus, ne scripta eorum plus æquo placerent. Inter Textum & Glossam nihil interesset, si pari veritate & authoritate vtrumque præstaret. Multa scribentibus, multa excidunt; vt diu vigilantibus somnus obrepit.

[f] Augustin. contra Cresconi. lib. 2. cap. 32.

Nec laboribus doctorum hominum quicquam detrahitur, nec existimationi derogatur, si scripta eorum in Canone non reputentur. Neque enim (si Augustinum audiamus) [t] *quorumlibet disputationes, quamuis Catholicorum & laudatorum hominum, velut Scripturas Canonicas habere debemus, vt nobis non liceat salua honorificentia, quæ illis debetur hominibus, aliquid in eorum scriptis improbare atque respuere, si forte inuenerimus quòd aliter senserint quàm veritas habet diuino adiutorio, vel ab alijs intellecta, vel à nobis. Talis ego sum in scriptis aliorum, tales volo esse intellectores meorum.*

[t] Aug. ep. 111.

Multum apud me quidem ponderis eruditio eorum haberet, quemadmodum apud alios, homines (credo) minimè malos, sed veritatis, quam opinione conceperunt, amantiores; nisi illa ipsa testimonia, quæ sibi potissimum aduocarunt, aliorum iudicio doctrina non inferiorum, ætate etiam multo superiorum; nihil eiusmodi saperent; aliaque Scripturarum loca, in quibus Presbyterorum mentio occurrit, aduersari potiùs laicorum causæ, quàm suffragari viderentur.

Paulus

Paulus Ecclesiæ Ephesinæ *Senioribus Miletum accersitis* ad hunc præcepit modum, [u] *Attendite vobis ipsis & vniuerso gregi, in quo vos Spiritus sanctus constituit Episcopos, vt Ecclesiam Dei pascatis*. Si omnes Seniores Miletum aduenerint, omnes Pastores & Episcopi erant. Quòd si laici vestri minus adfuerunt, vt quid, accersitis Senioribus domi manserunt? Si nomen Presbyterorum non retinuerint, habeo quod volo; sin curam hanc susceperint, non iam laici, sed Pastores & Episcopi fuerant. Frustra cognationem inter ποιμαίνειν & ποιμένη probandam susceperim, quasi gregem pascere potuerint, & Pastores non esse. Quod Christus Petro vt Apostolo mandauit, huiusmodi erat: [x] *Pasce oues meas*. Id si fecerint, Pastores erant; sin minus, Presbyteri non erant. Ita enim Petrus; [y] *Presbyteros qui inter vos sunt, cohortor & ipse compresbyter; Pascite gregem Domini, qui penes vos est: & cum apparuerit ille Archipastor, immarcessibilem gloriæ reportabitis coronam*. Pastorali munere fungi debent, si Pastorali præmio frui volunt. Si ad eos pascendi labor non pertingat, nec Presbyterorunt nomen ijs conuenit. Nominis & oneris societatem, pari modo obtinere iustum est. Apostolus ad Titum quales Presbyteri tunc fuerint, satis declarat; [z] *Huius rei gratia reliqui te in Creta vt Presbyteros per singulas vrbes constitueres; Si quis inculpatus est. Oportet enim Episcopum inculpatum esse, tanquam Dei dispensatorem, tenacem fidelis sermonis qui ad doctrinam facit, vt possit exhortari doctrina sana, & contradicentes coarguere*. Qui doctores non erant, iuxta hanc regulam, Presbyteri esse non poterant. Nam dispensatores Dei erant in eum finem constituti vt doctrinæ sermone cum ad exhortandum, tum ad conuincendum vterentur, antequam nomen illud sibi vsurparent. Nec alios quidem Presbyteros in quacunque ciuitate ordinare licebat; Itaque nihil loci in Creta nouitijs vestris Presbyteris erat.

u Act.20.

x Iohan.21.

y 1.Pet.5.

z Tit.1.

Iam verò laicos Ecclesiæ Apostolicæ præfectos à Paulo 1. Cor.12. designari, non à me solum, sed ab antiquissimis doctissimisque Patribus prorsus negatur; Vtvt quidam nostri sæculi Scriptores in eam opinionem præcipitantes inciderint. Nazianzenus hæc ipsa verba, quæ vos pro laicis

rectoribus

rectoribus contorquetis, exponens ait;[a] κυβερνήσεις ἐστὶν παιδαγωγίας σαρκὸς : *Gubernationes, hoc est, moderationes carnis.* Chrysostomo, *Opitulationes & Gubernationes idem sonant:* [b] *Maximũ*, inquit, *istuc quidẽ diuinæ beneficentiæ signum, in rebus Spiritus Oeconomum & hortatorem esse.* [c] Ambrosius; *Quinto loco donum intelligentiæ datur. Gubernatores enim sunt, qui spiritualibus retinaculis hominibus documento sunt.* Theophilactus ad Diaconos pertinere putat.

a Nazian. de moderat. in disput. seruand.
b Chrysost. hom. 32. in 1 Cor. 12.
c Ambros. eod.

Itaque nec Scripturæ alicubi laicorum Presbyterorum mentionem faciunt; nec Patres Orthodoxi in explicandis sententijs, quæ huc torquentur, vel leuissimam de ijs suspicionem mouent. Verba autem Pauli ad Timotheum, non modò nihil pro ijs facere, sed contra eos, solidissimis rationibus conuincuntur. Namque eos tantùm Presbyteros admittunt, qui stipendium laborum suorũ ab Ecclesia acceperunt: quod de laicis Presbyteris nusquam legimus. Reliqui duo loci Rectores & Gubernatores quidem commemorant, sed neque quas personas, aut res gubernarint, aut cuius sortis fuerint, laici an Pastores, definiunt. Laicis Christianam gubernandi potestatem fuisse non negamus: sed supra familias suas; supra Ecclesiam, quæ domus Dei est, nulli quod legimus, Apostolorum temporibus authoritatem habuerunt, exceptis Pastoribus & Doctoribus, hoc est, ijs qui gregem sibi commissum pascere, & inspicere solebant.

Quòd si maximè concederemus, Apostolorum ętate (defectu Christiani magistratus, qui disciplinam in Ecclesia conseruaret, & perditos fratrum quorundam mores corrigeret) graues quosdam & prudentes viros, vnà cum Prophetis & Pastoribus, monẽdo audaces & proteruos, examinando reos, turpes & infames personas à communione Ecclesiæ exigendo, coniunctos fuisse: num propterea fit, vt idem in Christiana Republica, sub fideli Principe obseruari debeat? Ecclesiæ Apostolicæ, vtpote in celebrioribus ciuitatibus fundatæ, magna Doctorum & prudentum ex omni ordine copia abundarunt: nostræ per pagos perque villulas sparsæ, nullo modo tot gubernandi peritos, quot necessariò requirantur, suppeditando sunt. Ad illas nemo nisi lubens ardensque

ardenſque, ſponte, non coactè accedebat: ad noſtras cuiuſq; farinæ homunciones, Athei, Hypocritæ, multique legum magis & pœnarum metu, quàm pietatis religioniſque ſtudio & affectu, ſe conferunt. Atque vtinam nimium ſæpe non eueniret, vt in multis locis potentiores ditioreſque vel nullam religionis partem colerent, vel ad deteriorem animo non adhærerent. Quælibet tum Eccleſia (exigente credentium multitudine ac temporum neceſſitate) magnum Prophetarum, Paſtorum & Doctorum munerum aluit: vt Preſbyteria æquis ponderibus librata in neutram partem propenderent: nos vnicum in quaque parœcia Rectorem habemus. Quod ſi populi impenſis plures in quauis Villula alendos decreueris: vulnus, cui nulla medicina ſanando ſit, totius Reipublicæ corpori inflixeris. Huic vni igitur ſi ſolidam & certam à laicis Presbyteris diſſentiendi poteſtatem conceſſeris, annon innumerisquæſtionibus & contentionibus omnia impleueris? Sin pari cum cæteris & æquo ſuffragandi iure cumulaueris, fieri non poteſt, quin Eccleſiam odijs atque diſſidijs populi dilacerandam præbueris. Poſtremo illæ, ſæuiente iam tum perſecutione, neminem habuere qui ius ſibi in cæteros vendicare poterat: noſtræ legitimo Principe fidei profeſſore reguntur, ad quem iure diuino in cauſis & criminibus Eccleſiaſticis iudicium ſpectat. Quare priuatum ac populare illud afflictæ Eccleſiæ regimen, publicæ, pacatæ, atque regiæ huic dominationi, quam diuina nobis indulſit clementia, cedere æquum eſt. Maior & ſublimior poteſtas, minorem in eodem genere obruit & extinguit. Quorſum igitur contentioſa priuatorum authoritate ad coercenda vitia ſit opus, cum Principis legitima poteſtate id fieri poſſit? Quorſum laicorum ſuffragia Seniorum ad delicta Paſtorum punienda, cum leges ſcriptæ & in medium propoſitæ idipſum melius & facilius perficiant? In populari ſtatu, & Eccleſijs perſequutione iactatis non omnẽ forſan huius diſciplinæ vſum negauerim: ſed in Chriſtiana Republica nullius nec neceſſitatis, videtur eſſe, nec vtilitatis.

Quanquam ad me quod attinet, minimè crediderim, Apoſtolorum temporibus penes laicos Presbyteros Eccle-

siæ regimen fuisse. Manuum impositioni, peccatorum remissioni, Sacramentorum dispensationi, non immiscuisse se vnquam, ne debuisse quidem mihi certo certius est. Imò cura & inspectio harum rerum, Apostolis in viuis existentibus, ad laicos Seniores pertinere nullo modo potuit; ijs verò mortuis, Ecclesiæ ab ijs plantatæ, quæque proximè ætatem eorum subsecutæ sunt, laicos aliquos Presbyteros non agnouerunt, nedum in vsu habuerunt. Quod mihi quidem certissimo argumento est, nullos eiusmodi ab Apostolis Ecclesiæ relictos fuisse. Quid enim? Num omnes totius orbis Ecclesiæ statim ab Apostolis hanc regendæ Ecclesiæ formam ab ipsis præscriptam & impositam, vno impetu reijcerent; aliamque nouam & incognitam nullo præcepto aut Apostolorum exemplo munitam inueherent? Quomodo alij in hac parte affecti sint nescio, vt vniuersam Christi Ecclesiam protinus idque consultò in grauissimam incidisse apostasiam existiment; de me autem profiteor, malle recentiorum quorundam coniecturis & opinionibus, vel si multo plures essent, diffidere, quàm tot Apostolicos viros, tot doctrina & antiquitate reuerendos Patres, pro manifestis Apostolicæ disciplinæ contemptoribus, & acerrimis Antichristianæ tyrannidis & superbiæ propugnatoribus, ne dicam inuentoribus, habere. Quocirca si laicos Seniores in omnibus Ecclesijs, mox ab Apostolorum ætate, gubernandi partes sustinuisse demonstrare mihi potuerint, ab Apostolis eos proueniisse lubens concesserim; sin nulli tunc temporis eiusmodi fuerint, Apostolos primos eorum authores fuisse frustra contendunt.

CAP.

CAP. XI.

Cuiusmodi fuit Presbyterion illud, cuius frequens in Historijs Primitiuæ Ecclesiæ, & Orthodoxorum Patrum scriptis, fit mentio; & an laici Seniores in partem illius vocati fuerint.

MVlti in ea opinione sunt, vt credant, ac totis voluminibus conscriptis tradant, Ecclesias atque Patres Apostolorum ætatem proximè sequentes laicos Seniores in administratione Ecclesiæ adhibuisse; eiusque rei testes laudant, obscurè quidem Ignatium, Tertullianum, Cyprianum, Augustinum: apertiùs verò Ambrosium, Hieronymum, Possidonium, & ius Canonicum; eoque à me minus rectè factum putant, qui primæ Ecclesiæ authoritatem prætendens, obniti ijs velim. Si omnes, vel aliquis vnus horum Patrum, laicis Presbyteris testimonium manifestum perhiberet, omnino contradicendum ijs non existimarem. Nunc autem nec ipsos, nec eorum authores admittere debeo, quandoquidem nullos eiusmodi Seniores in monumentis Patrum, & Scriptorum antiquorum memoratos inueniam. Seniores quidem certè; laicos verò Seniores nusquam lego. Per Seniores autem siue Presbyteros, Patres eos Doctores & Ministros verbi intelligunt, qui consilio & consensu suo dubijs arduisque in rebus, Episcopum cuiuslibet Ecclesiæ ciuitatisque iuuarunt, quando nec dum Synodorum ope Ecclesiæ prouideri, nec magistratus authoritate aduersus hæreses persequutionesque illorum temporum subueniri potuit. Testes, quos ipsi ad suas partes vocarunt, examinemus; qui nisi mecũ senserint, causa cadam.

Primo loco pro laicis Senioribus profertur Ignatius; idemque primus (si credatur ei) laicorum causam iugulabit. Non rarò is quidem Presbyterij mentionem facit; præsertim verò Epistola secunda ad Trallianos, vbi sic habetur. [a] *Episcopo subditi estote, tanquam Domino; ipse enim euigilat pro animabus vestris, vt qui rationem Deo redditurus sit. Necesse itaque est, quicquid agitis, vt sine Episcopo nihil faciatis; sed & Presby-*

[a] Ignat. ad Trall.

Presbyterio subditi estote, vti Apostolis Iesu Christi. Oportet etiã Diaconis mysteriorum Iesu Christi per omnia placere. Episcopus b *Figura patris omnium est. Presbyteri tanquam* c *Senatus Dei, &* d *Colligatio (vel cœtus) Apostolorum Christi. Sine his Ecclesia electa non est, nec Sanctorum congregatio, nec piorum cœtus. Quid est aliud Episcopus quàm qui principatu & potestate* e *Superior omnibus est, quantum quidem homini licet; quoad potestatem imitator Christi, hoc est, Dei? Quid verò Presbyterium quàm sacer* f *Cœtus,* g *Consiliarij &* h *Assessores Episcopi?* Presbyteros siue Seniores luculentè descriptos hîc habemus: laicos verò Seniores minime. A verbi autem ambiguitate pro laicis concludere, puerilius est, quàm vt sapienti cuiquam in mentem veniat: tamen ne eodem animi impetu & affectione, quo multi, feramur: videamus cuiusmodi Presbyteria ab Ignatio commemorentur. In hac ipsa Epistola *σύνδεσμον ἀποστόλων χριστοῦ, cœtum Apostolorum Christi* appellat: & in sequenti ait, i *Quemadmodum Dominus sine patre nihil fecit: sic & vos sine Episcopo, μήδε πρεσβύτερος, μήδε διάκονος, μήδε λαϊκὸς, nec Presbyter, nec Diaconus, nec Laicus.* Ad Philadelphenses ita scribit: k *οἱ πρεσβύτεροι, καὶ οἱ διάκονοι, καὶ ὁ λοιπὸς κλῆρος, ἅμα παντὶ τῷ λαῷ; Presbyteri, Diaconi & reliquus Clerus vnà cũ populo vniuerso, Episcopo pareant.* Idẽ vbiq; fere: l *οἱ λαϊκοὶ τοῖς διακόνοις, Laici Diaconis, Diaconi Presbyteris, Presbyteri Episcopo subijciantur.* Et officium eorum exprimens Petri verbis ait: m *οἱ πρεσβύτεροι ποιμάνατε τὸ ἐν ὑμῖν ποίμνιον, Presbyteri, pascite gregem qui penes vos est: donec ostendat Deus quis vobis imperaturus sit. Ego enim iam immolor, vt Christum lucrifaciam*, Presbyteri igitur, iuxta Ignatium, Pastores erant, & Cleri pars: tantum verò abest, vt ex laicorum ordine fuerint, vt laici omnes parere ijs necesse habuerint, non autem ad gubernandam Ecclesiam cum Presbyteris admissi fuerint.

Secundo loco Hieronymus (non enim temporum rationem, sed testimoniorum cognationem inter se sequor) in Esaiam ad hunc modum scribit: n *Et nos habemus in Ecclesia Senatum nostrum, cœtum Presbyterorum.* Idem alibi, o *Communi Presbyterorum consilio regebantur Ecclesiæ.* Ecclesias initio

b τύπος.
c συνέδριον.
d σύνδεσμος.
e παντὸν κρατῶν.
f σύστημα.
g συμβούλοι.
h συνεδρεῦται.
i Ad Magnes.
k Ad Philad.
l Ad Smyrn.
m Ad Antioc
n Hierom. in Esai. 3.
o Hiero. Tit. 1

tio communi Presbyterorum consilio gubernatas fuisse, nemo nostrûm dubitauit. Hoc est autem quod volumus, semperque asserimus, Seniores illos administrandæ Ecclesiæ potestatem *habentes, laicos non fuisse*. Hieronymus quos nobis Seniores dixerit, ipsius verba satis declarant. p *Idem est ergo Presbyter, qui Episcopus; & antequam Diaboli instinctu dissidia in religione fierent, & diceretur in populo, Ego sum Pauli, Ego Apollo, Ego autem Cephæ, communi Presbyterorum consilio Ecclesiæ regebantur. Postquam autem vnusquisque eos quos baptizauerat, suos esse putabat, non Christi, in toto orbe decretum est, vt vnus de Presbyteris electus superponeretur cæteris, ad quem omnis Ecclesiæ cura pertineret.* Presbyteros & Episcopos eosdem olim fuisse, & communi consilio Ecclesiam administrasse, Hieronymus nobis author est; donec Presbyteri à se baptizatos, non Christo, sed sibi quisque vendicaret. De ijs igitur Presbyteris scribit, qui & baptizabant, & gregem compascebãt, nec Episcopis in verbo & sacramẽtis dispensandis, sed solùm in manibus imponendis, inferiores erant. Ita enim in Epistola ad Euagrium ex professo scribit: q *Quid enim facit, excepta ordinatione, Episcopus, quod Presbyter non faciat?* Presbyteri igitur, vt refert Hieronymus, perinde ac Episcopi, prædicare, baptizare, & cœnam Domini ministrare solebant; ijdemque Doctores & Pastores erant, quorum consilijs Ecclesiæ principiô gubernatæ sunt. De his ita Hieronymus: r *Episcopi nouerint, se magis consuetudine, quàm Dominicæ veritatis dispositione Presbyteris esse maiores, & in communi debere Ecclesiam regere.* Legat, qui conscientiæ, aut existimationis suæ curam habet, Hieronymi loca in Epistola ad Euagrium, & Commentarijs in Titum: in quibus explicat, quinam Presbyteri Ecclesiæ olim præfuerint, ac præesse etiam debuerint; & si ipsius iudicio luce clarius, quod dico, non appareat, actum de existimatione mea coram Deo & hominibus esse cupiam.

p Hieron. Tit.1.

q Hieron. ad Euagr. tom.2. fol.329.

r Hieron. Tit.1.

Tertiò, Ambrosius huc accedit: s *Apud omnes vbique gentes honorabilis est senectus. Vnde & synagoga & postea Ecclesia seniores habuit, quorum sine consilio nihil agebatur in Ecclesia. Quod qua negligentia obsoleuerit, nescio, nisi fortè Doctorum desidia, aut*

s Ambros. in 1. Tim. 5.

magis ſuperbia, dum ſoli volunt aliquid videri. Hoc in loco ſimiliter Seniorum mentio habetur, ſine quorum conſilio nihil agebatur in Eccleſia. Verùm ab Ignatio & Hieronymo antea didicimus, è Clericorum, non laicorum numero fuiſſe, qui tunc temporis Eccleſiam gubernabant. Annon Ambroſij opinionem aliàs etiam audiuimus; in cauſis fidei, vel morum, laicos nec iudicaſſe vnquam Paſtores, nec iudicare debuiſſe; quod tamen Presbyterium & potuit & fecit? Quæ minima hic ſyllaba pro laicis Senioribus ſonare videtur? Seniores, ijque non vnus, ſed multi erant, quì ad Eccleſiæ adminiſtrationem olim accerſebantur. Ambroſio vehementer diſplicuit, quod quidam illis temporibus, vt ſoli ſapere, ac rerum potiri viderentur, cæteros (qui æque curam ac conſilium ſuum Eccleſiæ impendere ſolebant) ſi non prorſus excluderent, at planè negligerent.

Hinc inferre licet priſcos illos pios Epiſcopos, in gubernandis gregibus ſuis Cleri ſui opem & conſilium adhibuiſſe; laicos verò huc accitos fuiſſe nullo modo probari poteſt. Non enim illud reprehendit, quod laicos Seniores à regimine Eccleſię depuliſſent; ſed quia fratres & conſeruos ſuos, quibus aſſeſſoribus & conſiliarijs in omnibus cum doctrinę, tum diſciplinæ cauſis vti ſolebant, nimia ſapientiæ affectatione, à ſacris conſilijs remouiſſent.

Quid Ambroſio animi fuerit, de laicorum iudicijs circa perſonas & cauſas Eccleſiaſticas, ex Epiſtola ipſius ad Valentinianum Imperatorem facile liquere poteſt:[t] *Nec quiſquam,* inquit, *contumacem iudicare me debet, cùm hoc aſſeram, quod auguſtæ memoriæ pater tuus non ſolùm ſermone reſpondit, ſed etiã legibus ſuis ſanxit, in cauſa fidei vel Eccleſiaſtici alicuius ordinis, eum iudicare debere, qui nec munere impar ſit, nec iure diſſimilis: hæc enim verba reſcripti ſunt; hoc eſt, Sacerdotes de Sacerdotibus iudicare voluit. Quinetiam, ſi aliàs quoque argueretur Epiſcopus, & morum eſſet examinanda cauſa; etiam eam voluit ad Epiſcopale iudicium pertinere. Quando audiſti, clementiſſime Imperator, in cauſa fidei laicos de Epiſcopo iudicaſſe? Ita ergo quadam adulatione curuamur, vt Sacerdotalis iuris ſimus immemores, & quod Deus donauit mihi, hoc ipſe aliis putem eſſe credendum? Si docen-*

t Ambroſ. lib. 5. epiſt 32.

docendus est Episcopus à laico, quid sequetur? Laicus ergo disputet, & Episcopus audiat. Episcopus discat à laico. Pater tuus, Deo fauente, vir maturioris aui dicebat, Non est meum iudicare inter Episcopos. Eris, Deo fauente, etiam senectutis atate prouectior, & tunc de hoc censebis, qualis ille Episcopus sit, qui laicis ius Sacerdotale substernit. Num superbiæ Episcopos insimularet Ambrosius, quod laicos in censuris & iudicijs Ecclesiasticis consortes secum recusarent, qui Imperatorem, minime suũ esse dicentem, *vt inter Episcopos Iudex sederet*, tantopere laudauit; legemque Imperialem mirificè probauit, qua cautum erat, ne quis in Sacerdotes iudicium exerceret, nisi qui *pari munere & simili iure* præditus esset? Quo plus igitur inuestigamus, eo longius à laicis Senioribus absumus. Publica lege sancitum erat ante Ambrosij ætatem, laicos Iudices ab Ecclesiasticis causis & personis abstinere se debere, easque Episcopis transmittere; veluti quibus Canones Ecclesiastici, quæ leges & iudicia Clericorum sunt, optime cogniti sint, & perspecti.

Tertulliano, Augustino & Gregorio vno modo responderi potest. Verbum enim *(Seniores)* pro ijsdem vsurpant, quos Hieronymus alijque Græco nomine *Presbyteros* appellant, quippe qui Pastores & Sacerdotes erant. [u] *Presbyter Græce, Latine Senior interpretatur; non pro ætate vel decrepita senectute, sed propter honorem & dignitatem quam acceperunt, Presbyteri nominantur.* Idem nomen noui Testamenti interpres ijs attribuit, & vbicunque in Græco πρεσβυτέρους inuenit, *Seniores* reddidit; vt [x] *Seniores, qui in vobis sunt, obsecro consenior.* Et alibi: [y] *Senior electæ Dominæ; Senior Gaio charissimo.* Petrus tamen & Iohannes laici (spero) Seniores non erant. Principio quidem Pastores & Doctores præ ætate, ferè electi sunt; quippe quibus, plus honoris ac reuerentiæ consilij & grauitatis ergò, in exequendo officio deberetur. Postea, vbi præstantes aliqui adolescentes ad hoc munus admitti cœperunt, nomen etiam, quod vsus contraxerat, retinuerũt; vndè factum, vt quotquot eam sortem adepti sint, *Presbyteri* siue *Seniores* communi nomine appellarentur. Quam ergo laicis Senioribus fidem authoritatemque affert, si Latini

u Isidor. orig. lib. 7.

x 1. Pet. 5.

y Iohan. ep. 3. 2 & 3.

tini ſcriptores aliquando nomen Seniorum vſurpent, quod omnibus Paſtoribus & Miniſtris Euangelicis commune cum cæteris habetur?

At verò locorum circumſtantijs fortaſſis euincetur, Patres illos de laicis Senioribus locutos eſſe. Contrarium quidem inde facilè probabitur; illud verò nunquam. Tertullianus Chriſtianorum conuentuum modum & rationem Gentibus exponens, & quid congregati ſimul agerent, ait: [z] *Coimus in cœtum & congregationem, vt ad Deum quaſi manu facta, precationibus ambiamus orantes. Cogimur ad literarum diuinarum commemorationem: vbi fidem ſanctis vocibus paſcimus, ſpem erigimus, fiduciam figimus, diſciplinam præceptorum nihilominus inculcationibus denſamus. Ibidem etiam exhortationes, caſtigationes, & cenſura diuina. Nam & iudicatur magno cum pondere, vt apud certos de Dei conſpectu: ſummumq; futuri iudicij præiudicium eſt, ſi quis ita deliquerit, vt à communicatione orationis, & conuentus, & omnis ſancti commercij relegetur. Præſident probati quique Seniores, honorem iſtum non pretio, ſed teſtimonio adepti. Neque enim pretio vlla res Dei conſtat.* Oratio igitur, Scripturarum recitatio, doctrina, exhortatio, in publico caſtigatio, Paſtoralis officij propria erant; & quid non cenſura etiam? Eædem perſonæ quæ in vna, in his omnibus actionibus præſidebant. Præterea ſacer ille honos *præſidendi* cæteris in Eccleſia, quem pretio ambire nefas erat, Clericos non laicos fuiſſe, qui conuentus eorum moderabantur, indicio eſt. Vocabulum enim *præſidere Tertulliano* Paſtorum ac populi diſcrimen notat. [a] *Diſciplina Eccleſiæ, & præſcriptio Apoſtoli, digamos non ſinit præſidere*, hoc eſt, Epiſcopi locum obtinere, qui cæteris omnibus officij ratione in Eccleſia præſidebat. [b] *Quot & digami præſident apud vos, inſultantes vtique Apoſtolo*, qui Epiſcopum vnius vxoris virum laudat? Et illud: [c] *Euchariſtiæ ſacramentum non de aliorum manu quàm præſidentium ſumimus.*

Ad quæſtionem hanc, [d] *Nonne & laici Sacerdotes ſumus?* *Differentiam* (inquit) *inter ordinem & plebem conſtituit Eccleſiæ authoritas, & honor per ordinis conſeſſum ſanctificatus à Deo.* Et gradus Eccleſiaſticos alibi commemorans, ait: [e] *Quum ipſi authores,*

z Tertul. in Apologet.

a Tertul. lib. 1 ad vxor.

b Idem de Monog.

c Idem de Coron. milit.

d Idem. exhor. ad caſtitat.

e Idem de fug. in perſec.

authores, id est, ipsi Diaconi, Presbyteri, & Episcopi fugiunt, quomodo laicus, &c. Cum Duces fugiunt, quis de gregario numero sustinebit ad gradum in acie figendum suadere? Christo confirmante, Malus Pastor est, qui viso Lupo fugit, & pecora diripienda relinquit. Quod nunquam magis fit, quàm cùm in persecutione destituitur Ecclesia a Clero. Porrò si eos, qui Gregi præsunt, fugere cùm Lupi irruunt, nec decet, imò nec licet; (qui enim Pastorem talem, malum pronunciauit, vtique damnauit) ideo Præpositos Ecclesiæ in persequutione fugere non oportebit. Hinc videre licet nullos Tertulliani ætate Duces, Præsides aut Rectores Ecclesiæ fuisse, præterquam Pastores & Clericos, eosque Diaconos, Presbyteros, vel Episcopos; laici verò Seniores tantùm abest vt intelligantur ab eo, vt ne verbo tenus nominentur.

Quorsum de Baptismo liber pro laicis Presbyteris aduocetur, ne coniectura quidem assequi possum. Quorundam sanè mentibus ita penitus infigitur eorum opinio, vt vbicunque verbum *Presbyter* occurrat, pro laicis Presbyteris auidè arripiant: alioqui nec quærentibus nobis locus eueniat, qui fidem disciplinæ huius magis imminuat. [f] *Dandi Baptismum ius habet summus Sacerdos, qui est Episcopus: dehinc Presbyteri & Diaconi, non tamen sine Episcopi authoritate propter Ecclesiæ honorem; quo saluo, salua pax est; alioquin etiam laicis ius est.* Hic adstruitur Episcopum fuisse summum Sacerdotem, nec quenquam aliorum, nisi venia data, baptizare potuisse. Permittente eo, Presbyteri ac Diaconi etiam poterant, laici vero minimè, nisi vltima imminente necessitate; quo casu putat licere ijs. De veritate opinionis ipsius disputare nunc necesse non est: de verborum autem fide nihil est quod dubitemus. Idem enim ab alijs traditum inuenio, præsente Episcopo, nemini reliquorum baptizare licuisse; vt etiam laicos in nullo trium horum graduum fuisse. Concesso igitur, Episcopum cæteris superiorem fuisse, Presbyteros & Diaconos sine licentia ipsius nihil potuisse; laicis etiam ab Episcoporum, Presbyterorum, & Diaconorum ordine remotis; corruat & concidat laici Presbyterij structura necesse est.

[f] Tertul. de Baptil.

Augustinus impudentes quorundam suæ ætatis excusationes, cum ob peccata meritò reprehensi essent, vehementer exagitans ait; g *Cum ob errorem aliquem à Senioribus arguuntur, & imputatur alicui de illis, cur ebrius fuerit, cur res alienas peruaserit, eadem cur turbulentus admiserit; statim respondet, Quid habeo facere, homo secularis aut miles? Nunquid Monachum sum professus, aut Clericum?* Hic nomen Seniorum nudum audio, laicorum verò an Clericorum, nulla mentio. Si monitio, siue reprehensio hæc priuata fuerit, hos an illos intelligas, nihil refert. Cuiuis Christiano fratrem, si deliquerit, priuatò monere atque increpare licet, maximeque *senectutem decet, ac par est, indomitæ* & inconsultæ iuuentutis ferociam temeritatemque consilij fræno cohibere; atque ita Seniores quoscunque, hoc est, ætate prouectos nobis innuit; sin publica, per Seniores, Clericos natu grandiores intelligit; ad quos cura & inspectio vitæ ac morum cuiusque pertinebat; quique in iudicio Episcopo assidebant, ad exhortandum, castigandum, coercendúmque censuris Ecclesiasticis improbos quoscunque & nefarios homines. Laicos Augustini temporibus, claues, aut sacra Ecclesiæ mysteria tractasse, prorsus à me negatur, nomen autem Seniorum quo pacto illud denotare potest, quod necdum fuit? Claues, quibus excommunicatio innititur, & Sacramenta, vnde malefici excluduntur, penes Pastores ea tempestate, non populum erant. Plusquam extremæ ignorantiæ est ijs qui docti videri volunt, si Augustinum audiuisse vnquam, vel cogitasse crediderint, laicis in publico & communi clauium vsu, & Sacramentorum dispensatione quicquam fuisse.

g Aug de verb. Dom ser. 19.

Iudices quos Augustinus in Ecclesia commemorat, laicos Seniores non fuisse, verba ipsius, quæ superiùs adscripsi, planè demonstrant; nec enim laicis subsellia in Ecclesia collocata erant; h *Sed sedes Præpositorum, & ipsi Præpositi intelligendi sunt: per quos Ecclesia nunc gubernatur.* Ac ne fortè dubitetis, quinam illius temporibus Ecclesiam gubernarint, Episcopi an laici Seniores, in Psalm. 106. *tres tentationes adnotans, quibus fideles in populo Dei periclitantur:* Ait, i *Fortasse*

h Aug de Ciuit. Dei. li. 10. cap 9.

i Aug in Psal. 106.

se dignus eris, cui populus committatur, constituaris in gubernaculis nauis, vecturus Ecclesiam. Ibi quarta tentatio. Tempestates maris quatientes Ecclesiam turbant gubernatorem. Quarta ista nostra est. Quanto plus honoramur, tanto plus periclitamur. Tentatio ergo gubernandi, tentatio periculorum in regenda Ecclesia nos potissimum tangit. Sed quomodo & vos alieni eritis? Quid enim fratres? Quia ad eadem gubernacula non sedetis, non in eadem naui nauigatis? Pastores igitur, non laici, Augustini ætate Ecclesiam regebant, gregem gubernabant, & iudicium censuramq; aduersus perditos ac profligatos hominum mores pronunciabant. [k] *Cum eis, per quos Ecclesia regitur, adest salua pace potestas disciplinæ aduersus improbos aut nefarios exercendæ; tunc rursus ne socordia segnitiaq; dormiamus, aliis aculeis præceptorum quæ ad seueritatem coercitionis pertinent, excitandi sumus, vt gressus nostros in via Domini ex vtriusq; testimonijs, illo duce atque adiutore dirigentes; nec patientiæ nomine torpescamus, nec obtentu diligentiæ sæuiamus.* [*At verò Augustinus Epistola 137. ita scribit, Clero, Senioribus, & vniuersæ plebi Ecclesiæ Hipponensis, vbi Seniores seorsim commemorantur, vti à Clero alieni.*] Si Seniores discreta eorum nominatio, in Clero esse non sinat: eadem ratione nec in populo sunt, quia separatim ab eo commemorantur. In his autem argumentis nihil certi aut solidi ineſt. Necesse est enim, vt aut Cleri, aut populi pars sint, hic tamen inter vtrumque ponuntur. Non perinde in partitione ciuili, ac in diuisione logica res se habet. Qui diuisam præ alijs authoritatem habent, diuisim ab alijs salutari possunt, licet generalis salutatio, ante vel post, communi ratione easdem personas complectatur. Quocirca si quis dixerit Augustinum in ea Epistola Clero confuse nominato, Seniores, veluti partem eiusdem Cleri digniorem magis præcipuè commemorare voluisse, nihil absurdi habet, verba ipsa suffragantur. Sin cui interpretatio ea minus arrideat, per Seniores, nobiliorem laicorum ordinem licet intelligat: nēpe Duces & Rectores populi, ac si quis Clero, Senatoribus, & plebi magnæ alicuius ciuitatis scriberet. Senator enim idē fere est quod Senior, quādo Ecclesiasticū munus non designat: nec à vero forsitan abhorret, August. cum

k Aug. de fide & oper. cap. 5

absens ad totam ciuitatem scriberet, superiorem laicorum sortem ab inferiori eo nomine dispartiuisse. Vtut verbum illud accipiatur, totius Epistolæ ordo plane demonstrat, Seniores illos nihilo plus iuris in Ecclesia habuisse, quam populum reliquum. Imo cognitio causæ ipsius, quæ tum in quæstione vertebatur, Bonifacio Presbytero nefariæ turpitudinis insimulato, adeò ad eos nihil attinebat, vt Augustinus solus causam audierit, & pro arbitrio suo definierit, ijs non modò non ad consilium, sed ne ad notitiam quidem omnino adhibitis. Atque hac ipsa in Epistola rationem exponens, cur eum in prima causæ disquisitione de gradu non dejiceret, ait; [l] *Nomen Presbyteri propterea non sum ausus de numero Collegarum eius supprimere vel delere, ne diuinæ potestati, sub cuius examine causa adhuc pendet, facere viderer iniuriam, si illius iudicium meo vellem iudicio præuenire.* Epistolam hanc oculis animisque pertractate, & si plus Senioribus illis, quam cuiuis è Clero, vel infima plebe attribuat; si non causam sibi in manus sumat, & finem ei, nec consultis, nec conscijs ijs, imponat: per me laici vestri locum obtineant.

l Aug ep. 137.

Fortè vobis Augustinus paulo iniurioſior in eos videtur, quod laicos Seniores ad causæ cognitionem consultationemque non admiserit? Et quo minus ea sitis opinione, non est penes me prohibere. Quotquot autem sana mente, atque incorrupto iudicio sunt, libentius existimabunt, laicis Senioribus in eiusmodi causis nihil iuris tum fuisse: nec pium Episcopum committere voluisse, vt tanta scelera clam componeret, & à cognitione Seniorum, ad quos Ecclesiastico iure pertinebat, cum iniuria ipsorum remoueret: sed bona conscientia & suo iure vtentem celasse eos, vt ipse refert; [m] *Ne atrociter & immaniter contristando turbaret.*

m In ead. ep.

Ecce verò Gregorij authoritatem [n] in iure Canonico pro laicis Senioribus pugnantem; Quod quidem portenti simile videretur, si sexcentos post Christum annos laicorum Seniorum potestas in Ecclesia obtineret, nec nomen eorum tanto tempore alicui veniret in notitam. At tantundem hic,

n 11. quæst. q. Si quid.

opinor

opinor, pro laicis Senioribus inueniemus, quantum vbi minimum.° *Si quid* (inquit Gregorius) *de quocunque Clerico ad aures tuas peruenerit, quod te iuste possit offendere, facile non credas; sed præsentibus Ecclesiæ tuæ Senioribus, diligenter est perscrutanda veritas, & tunc (si qualitas rei poposcerit) Canonica districtio culpam feriat delinquentis.* Seniores quidem audio, laicos vero minime. Quinimo Imperialibus sanctionibus multo ante Gregorij ætatem, Ambrosij tempore constitutum erat, vt causæ Clericorum ab ijs solis iudicarentur, qui pari munere ac iure præditi essent. Omnium vero Gregorius minime certe idoneus est, quo authore Clericorum causæ ad laicorum Senatum referantur; qui nullo modo ferre potuit, vt quicquam, quod ad ius Cleri pertineret, in laicorum iudicio versaretur. P *Cauendum est* (inquit) *à fraternitate vestra, ne secularibus viris atque non sub regula nostra degentibus res Ecclesiasticæ committantur.* Pœna, quam Canonicam, hoc est Canonibus congruentem, verba ipsa perspicuè iubent esse, argumento est, Seniores illos è grauiori & prudentiori Cleri parte fuisse. Quid enim ad laicos cognitio vel executio Canonum? Quid illis cum Canonibus, quibus Canones scripti non sint? Seniores igitur Ecclesiæ suæ eos intelligit, qui honore & multarum rerum experientia in Clero maxime pollebant.

° Greg. l. 11. 49.

P Greg. lib. 7. Epistola 66.

Ita enim in Concilio Turonensi decretum est;q *Quem negligentia eiecit, cum omnium Presbyterorum consilio refutetur.* Huc etiã Gregorius accedit. r *Ne qua dissensio inter fratres existat, ne qua inter Præpositos & subiectos sint fomenta discordiæ, in vnum conuenire Sacerdotes necesse est, vt & de incidentibus causis disceptatio, & sit salubris de Ecclesiastica obseruatione collatio; quatenus per hoc & præterita corrigantur, & regulam futura suscipiant.* De laicis Concilium Hispalense statuit. s *Indecorum est laicum vicarium esse Episcopi, & seculares in Ecclesia iudicare. Vnde oportet nos & diuinis libris, & sanctorum Patrum obedire præceptis; constituentes vt hi qui in administrationibus Ecclesiæ Pontificibus sociantur, discrepare non debeant nec professione nec habitu.* Si laici Seniores Gregorij tempore tum fuissent, & in causis Ecclesiæ assessores Episcopo extitissent; quomodo

q Concil. Turon. 2. can. 7.

r Gregor. lib. 7. Epist. 110.

s Concil. Hispal. 2. can. 8.

quomodo ſine maxima calumnia Conciliũ Hiſpalenſe recens ab illius ætate aſſerere potuit, à diuinis libris & patrũ regulis plurimum abhorrere, vt laici in cauſis Eccleſiaſticis parem Epiſcopis locum obtinerent, aut cum eis ſociarentur? Quantum autem perſpicere poſſum, nihil à vero alienum, nihil non Conciliorum decretis, & publicis Imperij legibus multò ante ſancitum ſtatuerunt.

t Authen. de ſanct. Epiſc. Si quis cont.

t *Si Eccleſiaſtica cauſa eſt, nullã communionem habeant Iudices ciuiles circa talem examinationem, ſed ſanctiſſimus Epiſcopus ſecundum ſacras regulas cauſæ finem imponat.* Iam verò quinam aſſidere Epiſcopo in iudicio deberent in alio Concilio definitum legimus.

u Concil. Car. 4. cap. 23.

u *Epiſcopus nullius cauſam audiat, abſque præſentia Clericorum ſuorum; alioquin irrita erit ſententia Epiſcopi niſi Clericorum præſentia confirmetur.* Epiſcopo enim nulli in iudicio aſſidentes erant, præterquam Clerici; ijque non omnes, ſed grauitate & ætate prouectiores. Diaconis reliquiſque infrà Clericis, ne in Presbyterorum quidem conſeſſu, nedum in Epiſcopi, ſedere permiſſum erat. Vnde Concilium Nicenum.

x Concil. Nicen. cap. 18.

x *Sed nec ſedere Diaconis licet in medio Presbyterorum.* Soli igitur Clerici & Presbyteri in Eccleſiaſticis cauſis Epiſcopo à conſilijs erant, eorumque præſentia & prudentia (vti ex Concilio Carthaginenſi ſupra monuimus) adeo neceſſaria erat, vt Epiſcopus fruſtra ſine ijs ſententiam ferret.

Gregorius hunc ordinem veluti Canonicum, & ab omni iniuriæ ſuſpicione remotiſſimum, Panormitanum Epiſcopum obſeruare iubet; vt ſi Clerico crimen intentaretur, nihil temere decerneret, ſed conſultis Eccleſiæ ſuæ Senioribus, demum ad iudicium procederet. De Presbyteris & Diaconis extra controuerſiam eſt, Epiſcopum ſolum ſacro ordine priuare eos non potuiſſe, vt in Concilio Hiſpalenſi clarius habetur;

y Concil. Hiſpal. 2. can. 6.

y *Epiſcopus Sacerdotibus ac Miniſtris ſolus honorem dare poteſt, ſolus auferre non poteſt. Nec ab vno damnari, nec vno iudicante poterunt honoris ſui priuilegijs exui, ſed præſentati Synodali iudicio (referant) quod Canon de illis præceperit definiri.* In cæteros Epiſcopus ſolus iudicium exercere poterat abſque aliorum Epiſcoporum adminiculo, non tamen ſine

Cleri

Cleri sui Senioribus, vt rectè Gregorius monet, & in Concilio Africano scitum est. [z] *Si Presbyteri vel Diacons accusati fuerint, proprius Episcopus, adiuncto sibi ex vicinis locis, legitimo numero Collegarum (id est, in Presbyteri nomine sex, in Diaconi tribus) quos ab eodem accusati petierint, ipsorum causas discutiat. Reliquorum verò causas Clericorum, solus Episcopus loci agnoscat & finiat.* Laici igitur Seniores à definiendis dijudicandisque Presbyterorum, Diaconorum & omnino quorumcunque Clericorum causis hoc ipso Canone prohibentur. Eodem accedunt omnes Canones omnium Conciliorum, siue Prouincialium, siue Generalium, quæ ab Apostolorum temporibus ad hunc vsque diem celebrata sunt.

z Concil. African. can. 20.

Postremo loco iuris Canonici authoritas pro laicis Senioribus adfertur. Possem iusta vti exceptione contra decretorum illorum conglutinatorē, cuius plura vitia & errata sunt quàm folia. Hieronymi nomen bis ab eo ementitum, toties à vobis in aciem producitur, nulla habita ratione, si testimonia illa vera an falsa sint, aliquid an nihil ad propositum faciant. Primus locus 16. *quæst.* 1. §. *Ecclesia*, habetur; qui nusquam apud Hieronymū reperitur, tametsi liber ipsius ad Rusticum, de instituenda Monachorum vita vulgo extet. Horum autem verborum quædam ex commentarijs illius in Esaiam huc transcripta sunt; cætera quæ ad Monachos, tota ab eo conficta sunt. Alter 95. *distinct. c. Ecce ego*; stomachosa quædam narratio est non ab Hieronymo, sed ab alio sub eius nomine edita, à falsa inscriptione incipiens, cum impudenti mendacio desinens, medio autem ex insulsis conuitijs constans. Ad Rusticum Gallum quidem scripsit Hieronymus, sed nondum Clericum; quod ad eum in Narbonensem Episcopum ordinatum quicquam scripserit, nec librorum fide, nec vlla probabili ratione doceri potest; Annis enim plus triginta à morte Hieronymi extat Leonis Romani epistola Rustico Narbonensi Episcopo inscripta. Quod ad rem autem attinet, quam commentitius iste Hieronymus hoc in capite persequitur, Leo ad Episcopos Galliæ & Germaniæ scribens futilem illius garrulitatem manifestè falsi coarguit. Nam quod personatus iste Hieronymus glorioſe prædi-

prædicat, valde vsitatum fuisse Romæ, in Africa, in Oriente, in Hispania, in Gallia, & Britannia, eosque *superbos, inuidos, iniustissimos* appellat, qui contrà fecerint: Leo vnà cum Concilio Episcoporum nusquam factitatum fuisse affirmat, nisi inter Ecclesiasticæ disciplinæ ignaros: ac vt Canonibus aduersum Synodali consensu fieri vetat.

Quisquis tandem verbosæ huius Epistolæ author fuit, laicos Seniores è medio tollit. Vt enim Presbyteros siue Seniores [a] *initio Iudices Ecclesiasticorum negotiorum fuisse, & Concilijs Sacerdotum interfuisse affirmat*: ita ijsdem Senioribus *prædicandi, benedicendi, Christum consecrandi, communionem reddendi, visitandi infirmos, atque omnia Dei Sacramenta complendi* necessitatem imponit. Frustrà vobis in mentem reuocauero, laicis Senioribus locum hîc non esse. Verba sunt adeò perspicua & in aperto posita, vt si ea legatis solùm, facilè ijs renunciare velitis.

a Distinc. 95. Can. Ecce. Ibid.

Ita, Patrum authoritates ad testandum in hac causa aduocatas satis superque tractatas & excussas habemus; quæ an apta ad laicum Synedrion constituendum firmamenta sint, vestras ipsorum appello conscientias. Nullum enim in aliquo Patrum, ne minimum quidem argumenti vestigium apparet, quod eos laicos fuisse coarguat. Presbyterorum ac Seniorum vocabula proferuntur, de quibus nemo nostrûm vnquam dubitauit; Nomina autem hæc cum ætatem denotent, omnibus ætate prouectis communia sunt; cum officium, Clericorum solùm propria. Excepta verbi (*Seniorum*) homonymia, Deum testor, qui occultissimas quasque cordis latebras perpetuo videt & intuetur, mihi nihil adhuc è quolibet Patrum prolatum videri, quod de laicis vestris Senioribus cuiquam fidem faciat. E contrario, licet mihi negantis partes sustinenti satis sit, laicos Seniores hinc confirmari non posse; quia tamen verborum effugia non quæro, (vt qui verum inuenire, quam aduersarium conuincere malim,) collatis ex ijsdem authoribus exemplis palam feci, nihil eiusmodi propositum ijs fuisse, quale vos somniatis. In quo vos ipsos Iudices non recuso, modò oculis, non præiudicatis opinionibus vti velitis. *Qui supersunt, Cyprianus, Socrates,*

Socrates, Possidonius, testimonium laicis luculentè perhibent.] De laicis loquuntur quidem, quando totius populi mentionem faciunt; de laicis Presbyteris verò minimè. Ac ad reliqua omnia testimonia etsi eodē modo responderi possit, nec longiori disquisitione sit opus, tamen quia satisfaciendum ijs tanquā fratribus, non tanquā aduersarijs os obturandū censeam, omnes circumstantias eorū causa breuiter percurram.

[b] Agelius, Nouatianorum Episcopus, *cum moriturus esset, Sisinnium suæ ipsius Ecclesiæ Presbyterum, in ipsius locum Episcopum designat: cúmque Nouatiani eum propterea incusarent, quòd non Marcianum potiùs (cuius opera illi, regnante Valente, omni tumultu ac perturbatione caruissent) designasset: ille offensum populi animum lenire cupiens, Marcianum etiam designat. Ac paulò firmiore affectus valetudine, in Ecclesiam progreditur, populúmque sic affatur, Post me Marcianum habetis, post hunc verò Sisinnium.* Hæc Socraticorum verborum est vera narratio, in his autem quæ vna pro laicis Senioribus literula facit? Sisinnius non iam laicus erat, sed clericali ritu, vt refert [c] Socrates, multò ante imbutus. Quod ad nomen Presbyterorum attinet, præterquam quod in historia Ecclesiastica sacrum munus propriè designat, nec quenquam Episcopum consecrari, nisi sacro ordine suscepto, per Canones liceret; ex hoc ipso Capite, ne longiùs abeam, liquere potest, neminem ad hoc fastigium promotum fuisse qui non per manuum impositionem esset constitutus. Marciani verba succensentis sibi, quod Sabbatio aljsque in Presbyteros ordinandis manus temerè imposuisset, supra annotaui, vt iam repetere non sit opus. *Populi tamen offensa voluntas effecit, vt Agelius factum suum reuocaret.*] Ex omnibus exemplis nullum est deterius, aut infirmius ad id quod suscipitis probandum. Nouatiani enim schismatici, & ab Ecclesiæ corpore præcisi erant. Quid ab illis ergo, aut eorum Episcopo factum sit, nihil refert. Porro ab Agelio subdolè & versutè hoc actum est, quo melius assectatorum suorum studia & voluntates sibi deuinciret. Quemadmodum enim perleui occasione à Catholica Ecclesia

b Socrat. lib. 5. cap. 21.

c Lib. 5. c. 10.

Ecclesia defecerant: ita maximè verendum erat, ne simili de causa eôdem reuerterentur, & à Nouatianis Episcopis ad Catholicos redirent. Tertiò, à Schismate inter suos timendum ei, adeoque cauendum erat; ne alijs in Sisinnium, alijs in Marcianum propensis, congregatio ipsius, id quod non raro euenit, in diuersas partes distraheretur. Postremò, si in vnico hoc exemplo acquiescendum esset; certo constat, Agelium prope extrema valetudine affectum, Sisinnium inconsulto populo Episcopum designasse; tum verò Marcianum, quò populo placeret, ac vbi è morbo conualescens ad Ecclesiam venire potuit, de Sisinnio ad populū non retulit; tantùm renunciauit eis Marcianum, quoniam ita volebant, successurum sibi, Marciano Sisinnium. In toto hoc exemplo nihil Ecclesiasticis regulis consentaneum est; de laicis vero Senioribus ne suspicio quidem. *Populo tamen in electione Episcopi sui, ac Seniorum, multum authoritatis semper fuisse Possidonius nobis testis est, qui Augustinū populi petitione in Presbyterum promotum refert.*] Equidem non inficias eam, Apostolis eorumque discipulis vita defunctis, sub quibus Pastores & Doctores fere designante Spiritu sancto constituti sunt, plurimum populi approbationi voluntatiq; in electione Episcoporum suorum tributum fuisse; & quoties Ecclesiæ alicui Presbyteris ac Diaconis opus erat, Episcopus loci populum hortari solebat, vt si quos ex se spectatæ pietatis viros cognouerat, sibi probandos examinandosque afferret, si ij essent qui per Canones ad sacros ordines admitti possent. Et si quando Episcopus ipse aliquos doctrinæ laude sibi perspectos in Presbyteros vellet promouere, eorum nomina populo proposuit, vt in vitas ac mores ipsorum accurata fieret inquisitio, ne turpes & infames personæ contra Canones Ecclesiæ ad eum honorem clam obreperent. Huic instituto non est cur repugnem. Imo potius summo studio atque cura obseruari cuperem, ne quis ad sacra officia in Ecclesia assumeretur, nisi qui integra & intacta nominis existimatione, adeoque spectatus apud omnes moribus existeret; vt nec populus aliquorum turpi vita offenderetur, nec Ecclesia malorum virorum incommodis laboraret. Sed quid

hoc

hoc ad laicum Presbyterium? Num Auguſtinus in laicum Presbyterum ordinatus eſt? Num à laicis Senioribus ad ordinandum Epiſcopo oblatus eſt? Aut num ij vnà cum Epiſcopo ſacras ei manus impoſuerunt? Nihil horum inde ſuſpicari licet; locus ipſe perpendatur.

[d] *Cùm Valerius Hipponenſis Epiſcopus flagitante Eccleſiaſtica neceſſitate, de prouidendo & ordinando Preſbytero ciuitatis, plebem Dei alloqueretur & exhortaretur, iam ſcientes Catholici ſanctis Auguſtini propoſitum & doctrinam, manu iniecta, quoniam & idem in populo ſecurus & ignarus quid futurum eſſet, aſtabat, eum tenuerunt, & vt in talibus conſuetum eſt, Epiſcopo ordinandum intulerunt, omnibus id vno conſenſu & deſiderio fieri perficiq; petentibus, magnoq; ſtudio & clamore flagitantibus.* [e] *Valerius qui ordinator eius erat, exultabat, & Deo gratias agebat, ſuas à Domino exauditas fuiſſe preces, quas ſe frequentiſſimè fudiſſe narrabat: ſcilicet vt ſibi diuinitùs homo concederetur talis, qui poſſet verbo Dei & doctrina ſalubri Eccleſiam Dei aedificare. Et eidem Preſbytero poteſtatem dedit coram ſe in Eccleſia praedicandi, ac Euangelium frequentiſſimè tractandi; contra vſum quidem & conſuetudinem Africanarum Eccleſiarum; vnde etiam ei nonnulli Epiſcopi detrahebant.* Hæc omnino ſunt, quæ Poſſidonius de Auguſtini Presbyterio memoriæ tradidit; quod quidem laicam adminiſtrationem non fuiſſe, nec à laicis Senioribus collatam, ex ijs quæ ſequuntur videre eſt; ſed à populo communibus votis expetitum, & à Valerio perfectum, qui ſolus eum, nullo iuuante aut manum porrigente, ad ſacros ordines promouebat.

d Poſſidon. de vita Auguſtini cap. 4.

e Cap. 5.

Cyprianus, licet ætate primus, nouiſſimè tamen in arenã prodit; quippè cæteris largior, & prolixior, atque iterum ac ſæpius in hac cauſa ad partes vocatus. Quanquã non numero, ſed põdere metiendus eſt. Ex ſex enim locis quæ huc proferuntur, vno excepto, cætera parui aut nullius planè momenti ſunt. Cyprianus ad Presbyteros & Diaconos Carthaginenſis Eccleſiæ ſcribit: [f] *Ad id quod ſcripſerunt mihi Compreſbyteri noſtri Donatus, & Nouatus, & Curdius, ſolus reſcribere nihil potui, cùm à primordio Epiſcopatus mei ſtatuerim nihil ſine conſilio veſtro, & ſine conſenſu plebis, mea priuatim ſententia gerere.*

f Cyprian. lib 3 epiſt. 10.

gerere. Si Presbyteri ad quos Cyprianus scripsit, laici fuissent, aliquid saltem ad rem fecissent; at Cypriano nulli vnquam eiusmodi auditi fuerant. Ad Clericos scripsit, de Clericis etiam locutus est. Ij erant quos in Concilio adhibere, & quibuscum de communibus Ecclesiæ negotijs conferre solebat, quorum sine ope & auxilio nihil decernere volebat. Hoc vobis, si Cyprianum vel extremis (quod aiunt) digitis attigeritis, in obscuro esse non potest; si loca ipsa diligentius perpendatis, apud vos idem in confesso erit.

Ad vniuersam Ecclesiam Carthaginensem scribens, de Numidico quodam, qui tempore persecutionis semiustulatus, & lapidibus obrutus, & pro mortuo derelictus, postmodùm à filia sollicito pietatis obsequio cadauer patris inquirente, semiuiuus inuentus & refocillatus est; ita ait:

g Cyprian.lib 4.ep.10. g *Admonitos vos & instructos sciatis dignatione diuina, vt Numidicus Presbyter adscribatur Presbyterorum Carthaginensium numero, & nobiscum sedeat in Clero. Remanendi enim, vt videmus, hæc fuit causa, vt eum Clero nostro Dominus adiungeret, & desolatam per lapsum quorundam Presbyterij nostri copiam glorioſis Sacerdotibus adornaret.* Presbyteri igitur, siue Seniores Carthaginensis Ecclesiæ è Clericorum erant ordine, *qui vnà cum Episcopo sedebant*, & commune consilium de Ecclesiæ negotijs capiebant. Ad Lucium Pontificem Romanum

h Lib.3. ep.1. ita scribit: h *Ostendit Dominus* (persecutione scilicet) *quæ esset Ecclesia, quis Episcopus eius vnus diuina ordinatione electus; qui cum Episcopo Presbyteri Sacerdotali honore coniuncti; quis adunatus & verus Christi populus, Dominici gregis charitate connexus.* Idē alibi: i *Presbyteris & Diaconis non defuit Sacerdotij vigor, vt quidam minùs disciplinæ memores, & temeraria festinatione præcipites, qui cum lapsis communicare iam cœperant, comprimerentur. Presbyteri ac Seniores isti* σύμβουλοι καὶ συνεδρευταὶ *consiliarij & assessores Episcopi erant*, vt memorat Ignatius; *communi consilio Ecclesiam regebant*, vt refert Hieronymus; *eorum sine consilio nihil agebatur in Ecclesia*, vt asserit Ambrosius; *nec defuit ijs Sacerdotij vigor*, vt testis nobis est Cyprianus. De laicis verò Senioribus, ne verbū quidē. Hi perindè rarò, atque illi crebrò apparent; hi vbique, illi nusquā occurrunt.

i Lib.3. ep.3.

Si

Si tantum plebi tribuatur, vt nihil ſine conſenſu ipſius liceat ſtatuere; cur non laicorum par ſit authoritas Seniorum?] Imò verò, ſi plebis conſenſus vſque adeo fuerit neceſſarius, vt quid (quæſo) laici Seniores? vbi totius conſenſus planè requiritur, quorſum pars aliqua ſeorſim conſulitur? Laici Seniores non populus, ſed pars ipſius ſunt; omnes, iuuenes paritèr ac ſenes hoc nomine comprehenduntur. Quanquam hæc ipſa Cypriani regula de conſenſu plebis in negotijs Eccleſiaſticis flagitando, nec in omnibus propoſita eſt, nec alijs generalis, nec ipſi neceſſaria videtur. Non enim ſibi alijſque Præpoſitis nihil iure diuino ſine conſenſu plebis agendum ait; ſed ſibi à primordio Epiſcopatus ſui ſtatutum, ne quid ſine conſilio Presbyterorum & conſenſu plebis, ſua vnius ſententia gereret. Id verò quâ de re? Ab ipſo nempe Epiſcopatus ſui introitu varijs æmulorum iniurijs appetitus eſt; multæ aduerſus eum arreptæ occaſiones, quibus alienum à ſe populum haberet; multæ etiam ſeceſſus ſui ratione, ad eius inuidiam & infamiam, calumniæ in vulgus ſparſæ. Ad ſtabiliendam igitur ſibi authoritatem, & conciliandam Cleri ſui, ac populi beneuolentiam, nihil paratius, aut opportunius ei fuit, quàm vt in omnibus negotijs ſuis à conſilio Cleri, & conſenſu populi pendere videretur. Hoc enim pacto incolumitati ſuæ prouidit, ne vel ſchiſma Eccleſiam, vel factio ipſum aliquando opprimeret.

Sed documenta harum rerum à me quæritis? Ipſum non vno in loco audite.[k] *Quorundam Presbyterorum malignitas & perfidia perfecit, ne ad vos ante diem Paſchæ venire licuiſſet; dum coniurationis ſuæ memores, & antiqua illa contra Epiſcopatum meum, imò contra ſuffragium veſtrum, venena retinentes, inſtaurant veterem contra nos impugnationem, & ſacrilegas machinationes inſidijs ſolitis denuò renouant. Contra hoc Concilium noſtrum rebellatur, & omnis Sacerdotalis authoritas & poteſtas factioſis conſpirationibus deſtruitur. Non ſufficit exilium iam biennio, & à vultibus atque oculis veſtris lugubris ſeparatio? non lachrymæ diebus ac noctibus profluentes, quod Sacerdoti, quem tanto amore & ardore feciſtis, nec dum vos ſalutare, & nec dum complexibus veſtris inhærere contingat? Acceſſit hic tabeſcenti animo*

k Cyprian. lib. 1. ep. 8.

noſtro dolor maior, quòd in tanta ſollicitudine ac neceſſitate, excurrere ad vos ipſe non poſſum, dum per minas & inſidias perfidorum cauemus, ne aduenientibus nobis tumultus maior illic oriatur. Idem epiſtola ad Cornelium pluribus refert & conqueritur Pſeudoepiſcopum ſibi ſurrogatum, factiones aduerſum ſe concitatas, neglectas eſſe literas, ſpretas ipſius minas, plures in eandem defectionis fraudem inductos, cum multis alijs malitioſè ac perfidè contra eum factis, quæ brel Cyprian lib. uitatis cauſa lubens prætereo: [1] *Nos*, inquit, *in ipſo perſecutio-* 1.ep.3. *nis tempore de hoc ipſo literas miſimus, nec auditi ſumus. Concilio frequenter acto, non conſenſione tantùm noſtra, ſed & comminatione decreuimus, vt pœnitentiam fratres agerent, vt pœnitentiam non agentibus nemo temerè pacem daret. At illi contra Deum ſacrilegi, contra Dei ſacerdotes impio furore temerarij, de Eccleſia recedentes, & contra Eccleſiam parricidalia arma tollentes, elaborant (vt opus ſuum diaboli malitia conſummet) ne vulneratos clementia diuina in Eccleſia ſua curet.* Atque alibi: m Li.3.ep.14 [m] *Quod non periculum metuere debemus de offenſa Domini, quando aliqui de Presbyteris, nec loci ſui memores, nec præpoſitum ſibi Epiſcopum cogitantes, cum contumelia & contemptu Præpoſiti totum ſibi vendicent? Contumelias Epiſcopatus noſtri diſſimulaui ſemper & pertuli. Sed diſſimulandi nunc locus non eſt, quando decipiatur fraternitas noſtra à quibuſdam veſtrûm, qui ſine ratione reſtituendæ ſalutis, plauſibiles eſſe cupiunt.* Quid mirum igitur ſi Cyprianus tot inſidijs petitus, tot periculis obſeſſus, à grege & cura ſua exul, ad Cleri & populi conſenſum, tanquam ad portum aliquem hac tempeſtate iactatus confugerit, quem & ſibi tutiſſimum, & inimicorum procellis minimè expoſitum eſſe præuiderat? Sed an iure diuino ad id adſtrictus fuerit, & an alij omnes eadem lege tenerentur, illud nunc in quæſtione verſatur. Si priuata tantùm moderatio, & propriæ ſalutis prouiſio fuerit, alios ad imitandum nequaquam obligat. Sin hæc generalis gubernandæ Eccleſiæ politia à Spiritu ſancto præſcripta fuerit; tum ab eadem recedere nec Cypriano liberum erat, nec cuiquam alij fas vnquam fuit, ſalua voluntate authoritateque diuina: tum Concilia omnia Prouincialia pariter & Oecumenica in Primitiua

mitiua Ecclesia absque approbatione & consensu plebis habita & celebrata, manifestò legi Dei repugnarunt; omnesque Principes Christiani, quotquot olim de rebus Ecclesiæ leges & edicta, sua propria, non populari authoritate tulerunt, non arrogantiæ solùm, sed iniuriæ aduersus regnum Christi rei fuerunt. Et ne longior sim, Cyprianus ipse primus hanc ipsius confessionem contrauenit & violauit, & quum res ita ferret (nonnunquam etiam absque causa) iusta populi desideria præterijt.

Vno exemplo in præsentia contenti erimus; vestris ipsorum testimonijs idem posteà plenius probabitur. [n] *Vix plebi persuadeo, imò extorqueo, vt tales patiantur admitti: & iustior factus est fraternitatis dolor, ex eo quod vnus atque alius, obnitente plebe & contradicente, mea tamen facilitate susceptí, peiores extiterunt, quàm prius fuerant.* Cyprianus igitur quibusdã, populo nõ reclamante solùm, sed iusto dolore ob nimiam ipsius facilitatem commoto, aditum ad Ecclesiam post pœnitentiam indulsit. Qua in re nihil præfractè in Deum, aut iniuriosè in fratres, eos negligendo, fecisse existimandus est; sed propositum suum, quo nihil nisi de consensu populi facere decreuerat, potius mutasse; ratione nẽpe ad id inductus, vel animi propria inclinatione persuasus, vt quos tanta cum lenitate ad Ecclesiã admiserat, facilius emendari posse speraret. n Cyprian. lib. 1. ep. 3.

Videte, si non vestra ipsorum testimonia ex Cypriano adducta id ipsum confirment; quæ ordine breuiter percurram. Ac primum quidem sic se habet. [o] *In ordinandis Clericis, fratres charissimi, solemus vos ante consulere, & mores ac merita singulorum communi consilio ponderare.* Eo tamen non obstante, si qua grauior occasio fortè obuenerat, Clericos, non expectato eorum consensu, ordinauit; id quod verba sequentia satis declarant; [p] *Sed expectanda non sunt testimonia humana, cum præcedant diuina suffragia.* Summa huc redit; Aurelium quendam adolescentulum catasta & tormentis pro Christi confessione gemino certamine victorem, à Cypriano & Episcopis qui vnà aderant, (non enim tum Carthagini erat) lectorem creatum, (vti hac Epistola ad Presbyteros, Diaconos, & plebem vniuersam Carthaginensem scri-

o Lib. 2. ep. 5.

p Ibidem.

ſcribit;) nullo modo dubitans eos vltro eum recepturos, vt-
q Ibid. vt ordinationi ipſius non conſenſerant. q *Merebatur talis Clericæ ordinationis vlteriores gradus & incrementa maiora; ſed interim placuit, vt ab officio Lectionis incipiat; Hunc igitur, fratres dilectiſſimi, à me & à collegis qui præſentes aderant, ordinatum ſciatis; quod vos ſcio & libenter amplecti, & optare tales in Eccleſia noſtra quamplurimos ordinari.* Hic Cyprianus ratione ſæuientis tum perſecutionis, ab Eccleſia ſua exul, inconſulto clero ſuo aut populo Aurelium ordinauit, eumque cum ſuis literis ad Eccleſiam Carthaginenſem pro lectore habendum miſit.

Idem ferè in Optato, Saturo, Cælerino & Numidico ab eo factum, teſtimonia veſtra palàm loquuntur. Quemadmodum enim ex ijs, Cyprianum in ordinatione Clericorum populi teſtimonium de vitis ac moribus ſingulorum percontari, ac communi conſilio de meritis eorum iudicare ſolitum docetis: ita his ipſis exemplis Cyprianum, quoties opus eſſet, hoc vinculum ſibi relaxaſſe, & abſque Cleri aut populi conſcientia, quos dignos eo honore inuenerat, promouiſſe demonſtro. Vndè efficitur, conſenſum Cleri & populi non legem fuiſſe Miniſtrorum ordinationibus perpetuò affixam, quam prætermitti aliquando nefas erat; ſed morem Chriſtiano nomine & exemplo digniſſimum fuiſſe, quo tum facinoroſis aditus ad ſacra & ſecretiora hęc munia præcluſus, tũ Epiſcopo ipſi prouiſum erat, ne aliorũ peccatis communicaret, qui non ſuo vnius iudicio ſed communi conſilio fretus, totius Eccleſiæ oculos, aures, conſcientiaſque teſtes adhibebat, vt de integritate, grauitate, induſtriaq; eorum, quibus grex Chriſti paſcendus regenduſq; concrederetur, certius conſtaret. Si negetis, veſtras ipſorum authoritates videamus.

Quia plurimi clericorum Carthaginenſium abſentes eſſent, pauci verò, qui illic adfuerant; vix ad miniſterium quotidiani operis ſufficerent; vt nouos aliquos conſtitui neceſſe eſſet: Cyprianus ad Presbyteros & Diaconos Eccleſiæ ſuæ
r Cypria lib 3 ca. 22. ſcribens: r *Sciatis*, inquit, *feciſſe me lectorem Saturum, & Hypodiaconum Optatum; quos iampridem communi conſilio*

Clero

Clero proximos. Nihil ergo à me absentibus vobis nouum factum est, sed quod iampridem communi consilio omnium cœperat, necessitate vrgente promotum est. Eodem exemplo, ad Presbyteros, Diaconos, & vniuersam plebem Carthaginensem, de Cælerino quodam, qui pro Christi fide aduersus armatas crudelitate infidelium manus inexpugnabili constantia depugnauerat, ait; [b] *Exultate & gaudete nobiscum lectis literis nostris, quibus ego & collegæ mei qui præsentes aderant, referimus ad vos, Calerinum fratrem nostrum, Clero nostro non humana suffragatione, sed diuina dignatione coniunctum: Quia nec fas fuerat, nec decebat, sine honore Ecclesiastico esse, quem sic Dominus honorauit cœlestis gloriæ dignitate.* Hic vnà *cum Aurelio lectores interim constituti sunt. Cæterùm Presbyterij honorem designasse nos illis iam sciatis, vt & sportulis ijsdem cum Presbyteris honorentur, sessuri nobiscum prouectis & corroboratis annis suis.* De Numidico supra dictum est, quem *Cyprianus in numerum Presbyterorum Carthaginensium* ignaro populo aut clero retulit. Opinor, his exemplis (quæ à vobis & pro vobis plerumque afferri solent) plusquam manifestum est, Cyprianum, vt ad explorandum vitas ac mores eorum qui futuri essent Ecclesiæ Ministri, Clerum ac plebem quandoque ad Concilium adhibuerit: ita inconsulto vtroque, quos propria conscientia dignos & idoneos inuenerat, cum Episcopis collegis suis manus ijs imposuisse.

[b] Lib.4.ep.5.

Hi sunt Antesignani illi, quos in prima acie pro laico Presbyterio dimicantes Regiæ Maiestati ostentastis; hi autem, si eos porrò audiatis, laicis Senioribus maximè aduersantur. Alia loca, scio, huc traducuntur, seu veriùs torquentur; in quibus tamen adeò manifestus & apertus est error, vt ne pueriles quidem oculos perstringat. Quid enim si Græcum πρεσβύτερος æque ad Seniorem ac Sacerdotem possit referri? num propterea necesse est vbicunque nomen Presbyteri apud Concilia aut Patres occurrat, laicos Seniores subinde intelligi? Certè vt disciplinã vsque ab Apostolis receptam, & longo vsu in Ecclesia confirmatam, è sede ac loco suo dimoueatis, firmioribus vobis iudicijs opus est; alioqui, vtcunque conscientijs vestris coram Deo, existi-

mationi sine dubio inter homines minùs consultum erit. Ad me quod attinet, etsi nullo modo cum ipsis disciplinæ huius authoribus, ac patronis contendam, aut cum eorum *dotibus meas conferam*; perpensis tamen ac diligenter examinatis eorum testimonijs; pro comperto habeo, eos potiùs opinionis suæ præiudicio, quàm vllo Scripturarum aut Patrum solido satis & expresso documento in hanc partem inclinare. Nisi enim huic sententiæ plus æquo se manciparent, pro vno verbi huius obscuro & ambiguo exemplo, quod reddere eos incertos & suspensos possit, centum alia passim occurrunt, quæ eos reuocent, atque ad veterem & germanam Ecclesiæ disciplinam recta & regia deducant via: vt in hac quęstione (si qui *laici Presbyteri* Ecclesias olim gubernarint?) diu hæsitare non possit, qui Patres syncero & iusto studio lectitarit. Adeo enim in promptu est veritas, vt ab errare non possit, nisi qui velit antecipatã adferre secum persuasionem, & suo sensu nimium pertinaciter adhæresce re.

Summa totius disputationis nostræ de laicis Presbyteris in tribus consistit; quæ ab eruditis accuratè perpendi: à reliquis verò diligenter animaduerti velim. Primùm, nullo Scripturarum aut Patrum documento probari potest, Apostolorum ætate vel deinceps, laicos vllos Seniores in Presbyterio fuisse, vel authoritatem in Ecclesia vsurpasse. Secundò, vtut maximè tales morum Censores ab Ecclesia constituti fuissent, qui, ad prohibendum à scandalo Euangelium, pertinaces & indomitos coercerent, & à fidelium communione relegarent; nusquam tamen in Scripturis, Concilijs, aut Patribus apparet, eos clauium potestatem, manuum impositionem, aut quamcunque aliam Ecclesiasticam potestatem, ad Verbi ac Sacramentorum dispensationem pertinentem occupasse aut attigisse. In his enim rebus Pastoribus suis parere, non imperare necesse habebant. Tertiò, licet inspectio, reprehensio, & reiectio improborum & malorum Pastorum, defectu pij ac fidelis Magistratus, ad eiusmodi Seniores pertineret: quandò tamen harum rerum, perinde ac ciuilium, moderatio Christianis Principibus diuino iure deferatur, quibus & plenior mandandi, & sub

sublimior & facilior est potestas reprimendi coercendique tam Pastorum quam aliorum errores & lapsus: quicquid afflictis Ecclesiæ temporibus pro his Senioribus prætendatur: Magistratu tamen fidem profitente, & Ecclesiam protegente, *cessare eos ac loco cedere*, omninò par est. Illius potestas non includit solùm, sed excludit eorũ authoritatem; cum illi priuato hominum consensu regant, huic verò gladius Dei manu sit traditus, cui omnis anima, siue Pastor, siue laicus, siue quicunque demùm sit, non vindictæ solùm metu, sed etiam diuini præcepti conscientia parere debet. Ad Iudæornm Synedrion quod attinet, quod hîc à quibusdam velut arcem munitam obiectũ & oppositũ animaduerti, nec exemplum, nec perfugium (vt supra attigi) laico Presbyterio præbere potest. Hanc *Dominus propriam Iudaicæ* reipublicæ politiam præscripsit, eorumque Seniores ciuiles Magistratus constituit, ad iudicialem legis Mosaicæ partem, tam sub Regibus, quàm citra exequendam. Quæ vt ab illis immutari non potuit; ita Christianis nullo modo imponi debet. Veritatem certè libertatemque Euangelij tollit, qui Christianas Respublicas Iudaicæ politiæ iugo adstrictas velit. Imò verò si acriùs id vrgeatis, Monarchias omnes prorsus concidere, & ad popularem statum, vel saltem Synedricum, dilabi necesse est; cuius effecta cum tanto totius Christiani orbis periculo coniuncta sunt, vt his vltro vos desituros, &, si opus sit, etiam vno ore contradicturos confidam. *Apud vtrosq; nostrũm in confesso est in singulis Ecclesiis Presbyteriũ fuisse: vobis autem ex Clericis solis conflatum videtur.*] Non in singulis Ecclesijs, sed in singulis ciuitatibus Presbyteros quosdã auxiliantes Episcopo legimus fuisse; hi autem Clerici erant. Ecclesiæ & oppidula rusticana nec Episcopum nec Presbyteriũ habuere, sed illius ciuitatis Episcopo subiectæ manebant, intra cuius limites erant constitutæ, dato eis ab Episcopo Presbytero siue Sacerdote, qui diuinis rebus inseruiret. Et vbi Episcopi ciuitatum, ad leuandum se molestijs itinerum, & absentiam suam vicaria opera supplendam, in quibusdam rusticis pagis Episcopos constitui volebant, quos χωρεπισκόπους nominarunt; [t] Ca-

t Concil. Ancyr. 13. Neoc. 13. Antioc. 10

nonum vinculis ita fuerunt astricti, vt sine licentia Episcopi ciuitatis, cui subiecti erant, nullam Episcopalis muneris partem exequi possent; ac breui post, ob nimiam ipsorum [u] arrogantiam, & Episcopalis iurisdictionis vsurpationem funditus sublati sunt. Ex quo, quælibet ciuitas & adiuncta ei Diœcesis vnum tantùm Episcopum habuit. Conciliũ Sardicense pro parte Occidentali, Episcopos in vicis & minoribus ciuitatibus ordinari prohibuit.[x] *Licentia danda non est ordinandi Episcopum, aut in vico aliquo, aut in modica ciuitate, cui sufficit vnus Presbyter.* Idẽ in Cõcilio Laodicensi pro Oriente decretum est. ὅτι οὐ δεῖ ἐν ταις κώμαις, καὶ ἐν ταις χώραις καθίσαδαι ἐπισκόπους, τὰς μὴν τοι ἤδη προκαταστάντας μηδὲν πράτ[τ]ειν ἀνευγνώμης τοῦ ἐπισκοπου τῆς ἐν τῇ πόλει. *Non debere in villis & vicis Episcopos ordinari, & qui ante constituti sunt, nihil agere sine conscientia Episcopi ciuitatis.* Quemadmodum igitur nulli nisi in ciuitatibus Episcopi erant: ita nec Presbyteria adoperam dandam & opem Episcopo ferendam, nisi in Cathedrali & Episcopali Ecclesia locum obtinebant. Quare quanto magis Presbyteria in qualibet paroecia ac villula erigere contenditis, tantò longiùs à Primitiuæ Ecclesiæ regimine discceditis.

In quauis Ciuitate hominum multitudine abundanti, Episcopus moderando populo suæ fidei commisso constitutus est, vna cum Presbyterio, hoc est, Clericorum cœtu, qui Episcopo in sacris Ministerijs, officium, in cæteris, consilium præstare solebant; quos antiqua Concilia, Ancyranũ & Neocesarienses[y] πρεσβυτέρους πολεως nõ ignoto nomine appellarunt. Villæ ac vrbes minores, prout fidem Christianam amplectebantur & aucto credentium numero, Verbi ac Sacramentorum Ministro, qui ibidem resideret, opus habebant, eiq̃ de rebus necessarijs prouidere poterant ac volebant; adito finitimæ Ciuitatis Episcopo Pastorem huiusmodi ab ea contendebant; Ex quo tam populus quàm Pastor Episcopo ei subiecti erant, qui primus eos Christo lucrifecit, aut Ecclesias eorum fundauit, & diuinis vsibus consecrauit. Hinc factum est, vt quilibet Episcopus, non principalem tantùm Ecclesiam ac Cathedram in ea Ciuitate haberet,

u Leo. epist. 86.

x Concil. Sardic. can. 6.

y Concil. Antyr. 13. Neocæs. 13. Antioch. 10.

ret, cui ipse præfuit, quam historici veteres, & Conciliorum Canones παροικίαν vocant, sed curam & inspectionem oppidorũ & pagorum Ciuitati suæ circumiacentium, quam illi διοίκησιν etiam nuncupãt. παροικία enim non ruralem denotat Ecclesiam, vt hodiè fere vsurpatur; (vndè quidam insulsè opinati sunt, in qualibet eiusmodi parœcia Episcopum fuisse, ac esse debere:) sed celeberrimæ Ciuitates ac Suburbia, & primariæ totius orbis Ecclesiæ eo nomine descriptæ sunt, vt [a] Eusebius mihi author est, qui Alexandriam, Corinthum, Hierosolymam, Ephesum, Lugdunum, Carthaginem, Antiochiam, atque alias clarissimas Ciuitates, & Ecclesias παροικίας familiari nomine appellat. Si in exẽplis ambitiosus esse velim, infinita ferè proferre possem quæ non ignauo Lectori passim apud eundem occurrunt, lib. 4. cap. 1. 4. 5. 15. 19. 23. lib. 5. cap. 22. 23. 27. lib. 6. cap. 1. 8. & lib. 7. cap. 28. cum multis alijs quæ breuitatis causa lubens prætereo. Quid? quod verborum ipsorum notatio eôdem facit. παροικία enim non Ciues solùm, sed accolas & vicinos omnes primariæ alicuius Ecclesiæ Ciuitatisque significat; διοίκησις autem villulas omnes & Ecclesias vbique dispersas, vnius tamen Episcopi iurisdictioni subiectas, proprie complectitur. Sed de hijs locus erit postea latiùs tractandi.

[a] Euseb. l. 3 c. 21 l. 4. c. 11. 31. l. 5. c. 5 l. 7. c. 3. 28.

Hieronymus etiam testis est, sua & superiori ætate non Ciuitatem solùm, sed totam Prouinciam siue regionem Episcopo cuique mandatam fuisse; in quibus etsi Presbyteri & Diaconi cum venia ipsius baptizarent; Episcopus tamen solus manus imponere, & Baptismum eorum examinare, ac etiam confirmare solebat. [b] *Tu in eo quod recipis laicum, vnam animam recipiendo saluas; & ego in recipiendo Episcopum, non dicam vnius Ciuitatis populos, sed vniuersam, cui præest, prouinciam Ecclesiæ socio.* Episcopis igitur non vnius tantùm ciuitatis, sed vnius Prouinciæ siue regionis populi commissi & subiecti erant, eorumque Diœceses ad vrbes ac pagos longe dissitos se extendebant, vbi Presbyteri & Diaconi cum Episcopi sui consensu pascendo gregi deseruiebant; vnde Hieronymus; [c] *Non abnuo hanc esse Ecclesiarum consuetudinem, vt ad eos, qui longè in minoribus vrbibus per Presbyte-*

[b] Hieron. aduersus Lucifer.

[c] Ibidem.

ros

ros & Diaconos baptizati sunt, Episcopus ad inuocationem Spiritus sancti manum impositurus excurrat. Hanc autem manuum baptizatis impositionem, non de salutis necessitate aliqua, sed solùm ob Sacerdotij honorem Episcopis concessam ait; [d] *Alioquin si ad Episcopi solius preces Spiritus sanctus descendat; lugendi sunt, qui in viculis aut castellis, aut in remotioribus locis per Presbyteros & Diaconos baptizati, ante dormierunt, quàm ab Episcopis inuiserentur.* Nulli Episcoporum extra propriam Diœcesim sacros ordines conferre, aut baptizatos confirmare licuit; in aliena quicquam horum facere, nec in more positum, & Canonibus Ecclesiæ prohibitum erat. Episcopis igitur non eæ tantùm Ciuitates subiectæ erant, in quibus maiores Ecclesiæ sitæ essent, sed viculi, vrbes, castella, aliaque loca procul posita, in quibus Presbyteri & Diaconi diuina officia peragerent. Episcopus autem loca quibus præerat aliquoties visitare solebat, ad explorandam baptizatorum fidem, & baptismi eorum modum ac rationem, ne ad Ecclesias remotiores per absentiam Episcopi, hæresis tanquam venenatum aliquod telum penetraret. Itaque in omni Diœcesi Clerici fuerunt, qui verbum & Sacramenta in viculis & oppidulis minoribus administrabant; nulli tamen à consilijs Episcopo erant, præter Clericos & Presbyteros illius Ciuitatis, vbi sedes Episcopalis existebat. *Quid de curalibus dicemus Episcopis (hos enim concediti fuisse) annon Presbyteria quædam his fuerunt, quorum ope & consilio in Ecclesiasticis causis & censuris vtebantur?*] Imò nec opus illis fuerunt. Episcopi emim verbo tenus, non re, nomine, non potestate erant; & in omnibus, perinde atque cæteri Presbyteri, Episcopo loci parebant, intra cuius ambitum constituti erant. De his in Concilio Antiocheno decretum legimus; [e] *Chorepiscopos, qui manus impositionem ab Episcopis susceperunt, & vt Episcopi sunt consecrati; tamen placuit sanctæ Synodo eos modum proprium retinere, & esse contentos propria solicitudine & gubernatione quam susceperunt. Non autem Presbyterum aut Diaconum audeant ordinare, præter conscientiam Episcopi Ciuitatis,* ἧ ὑποκεινται αὐτος τε καὶ ἡ χώρα, *cui tum ipse, tum locus ipsius subiecti sunt.* De his etiam in Concilio

d Ibidem.

e Concil. Antioch. 10.

cilio Laodicensi scitum est, [f] *Ne quid agerent sine conscientia Episcopi Ciuitatis*. Itaque tantum abfuit, vt his proprij aliqui assessores fuerint, vt ipsi suis Episcopis Diœcesanis in omnibus parere coacti fuerint.

f Concil. Laod. dic. can. 56.

Si cui autem mirum videatur, in antiquis Concilijs nomen Episcoporum his attribui, quibus officium & potestas nullo modo concedebatur, eum ego constituendorum eorum causas mecum recognoscere velim. Prima erat, vt absentis vel ægrotantis Episcopi vices supplerent. Quo casu, cum non nisi delegati & vicarij essent, nihil causæ erat cur parem Episcopo potestatem haberent. Id enim esset, non quenquam ei substituere, sed alium præter, imò contra eum in eadem Diœcesi præficere. Altera, vt Episcopis à schismate redeuntibus quodammodo satisfacerent, quibus in errore potius persistere decretum erat, quàm ad Ecclesiæ sinum cum dedecore reuerti. His igitur vel nomina Episcoporum permittere, vel etiam stationes quasdam ac terminos assignare, si videretur, Episcopo Ciuitatis licitum erat. Ita enim in Concilio Niceno præceptum est: [g] *Si qui ex Nouatianis ad Ecclesiam Catholicam venire voluerint, siue in vicis, siue in vrbibus, vbi Episcopus vel Presbyter Ecclesiæ Catholicæ fuerit, certum est quod Episcopus quidem Catholicus suam habeat dignitatem; is autem qui ab illis venerit, si fortè Episcopus fuerit, habeat Sacerdotij dignitatem, nisi fortè placeat Episcopo Catholico concedere ei etiam Episcopalis nominis honorem. Si verò non placuerit, inueniat ei locum, vt sit in Paræcia Chorepiscopus, aut in Clero Presbyter, vt in vna Ciuitate duo Episcopi non sint; & tamen ille in Clero omnino permanere videatur.*

g Concil. Nicen. can. 8.

De Presbyteris igitur, vtut in maioribus Ciuitatibus locum haberent, quæ eorum oneri ferendo pares esse poterant; in villulis tamen & minoribus oppidis nec habendi necessitas vlla, nec alendi quidem ratio fuit; cum Ecclesiæ rusticanæ plerumque tenues essent, & alendis pluribus minus sufficerent; tùm verò quia hæc ipsa loca incolentes Episcopali iurisdictioni subiacerent. In Ciuitate Romana, vt refert Eusebius, sub vno Episcopo [h] *Presbyteri* 46, *Diaconi* 7, *Hypodiaconi* 7, *Acoluthi* 42, *Exorcistæ & Lectores*

h Euseb. lib. 6. cap. 42.

cum

cum ianitoribus 52. (in ſumma centum quinquaginta quinq; olim fuerunt) *omnes gratia & benevolentia Domini enutriti*, præter viduas & afflictos ſupra mille quingentos Eccleſiæ ſumptibus ſimiliter ſuſtentatos. Poſteà, vſque eo aucta Preſbyterorũ multitudo eſt, vt de his Hieronymus ſcribere non dubitarit.[i] *Diaconos paucitas honorabiles, Presbyteros turba contemptibiles facit*. Conſtantinopoli adeò in immenſum Clerus excreuerat, vt cũ ſuſtentandis ijs Eccleſia minus ſufficeret, Imperator lege lata certum in quolibet gradu Clericorum numerum præſcribere coactus fuerit; ſic itaque definiuit; vt [k] *Presbyteri* 60, *Diaconi* 100, *Subdiaconi* 90, *Lectores* 110, *Cantores* 25, *Hoſtiarij* 100, in ſumma quadringenti eſſent, qui ſub Epiſcopo diuinis rebus inſeruirent. De numero Clericorum in alijs Ciuitatibus non ita certo conſtat. De *Presbyterijs* verò eorum mentio paſſim occurrit.

i Hieron. ad Euag. tom 2.

k Nouell. cõſtit. 3. vt determinatus ſit numerus Clericorum.

De Presbyterijs Alexandriæ, [l] à Marco Euangeliſta ad eãdem Proterij poſt magnum Concilium Chalcedonenſe; [m] & Antiochiæ, à prædicatione Pauli ad exuſtã à Perſis Ciuitatem, frequens in [n] Hiſtorijs Eccleſiaſticis mentio fit; è quibus multi vtriuſque Eccleſiæ Presbyteri, magni nominis Scriptores ab Euſebio, [o] Hieronymo & [p] Gennadio commemorantur; veluti in Eccleſia Alexandrina, inter alios, Clemens, Origenes, Heraclas, [q] Pierius: in Antiochena, Geminus, Malchion, Lucianus, Chryſoſtomus, alijque non pauci. In Eccleſia Carthaginenſi, Tertullianus, Cyprianuſque floruerunt, cuius multæ ad Presbyteros & Diaconos Carthaginenſes epiſtolæ extant, cum poſtea eiuſdem ciuitatis Epiſcopus factus aliquamdiu ſecedere coactus eſſet. Lugduni Galliarum Irenæus ſub Pothymo Presbyter floruit, cui poſtea in Epiſcopatu ſucceſſit. Hipponi [r] Auguſtinus primum ſub Valerio Presbyter & vixit & docuit; poſt autem in Epiſcopum electus multos ſub ſe [ſ] Presbyteros habuit, quos *Collegas* & *Clericos* vocat. Ignatius Presbyterorum Eccleſiæ Smyrnenſis, Philadelphenſis, Philippenſis, Magneſianæ, Trallianæ, Epheſianæque in Epiſtolis ſuis ad eaſdem meminit. De alijs ciuitatibus ac ætatibus etiam non difficile eſſet idẽ oſtendere: verùm in re neutiquam controuerſa

l Hieron. ad Euagri.

m Euager. c. 8 lib. 2.

n l. 5. cap. 9.

o Hieron. de ſcript. Eccle.

p Gennad. de vitis illuſt.

q Hieron. Magno.

r Auguſt. Epiſtola 148.

ſ Epiſtola. 137. & 110.

uersa parco molestiæ minimè necessariæ. Qui in Concilijs & historijs Ecclesiasticis non admodũ rudis est, facilè perspiciat singulis Episcopis Presbyteros & Diaconos in eadem ciuitate adscriptos fuisse. *Presbyteria in qualibet Ecclesia fuisse, non est cur negare velimus; ex solis autem Clericis constitisse, nec à nobis creditur, nec à vobis (scio) vnquam probabitur.*] Quo iure partem negantem nobis probandam imponitis? Nos Clericos fuisse eos affirmamus, idque liquidò demonstramus. Vos laicos etiam his adscribitis; nos negamus. Vobis igitur probandi onus incumbit; quibus non probantibus, palam est penes nos esse victoriam. Patres tanto tempore expenditis, Concilia omnia euoluistis; quemuis horum pro laicis Senioribus testem proferte, cæteri vobis gratis concedentur. Verùm silentium eorum firmissimum contra vos argumentum est, qui tales apud eos fuisse contenditis, *nullibi tamen mentionem eorum factam ostenditis.* Quid multa? cedo quemuis Patrum aut Conciliorum de munere & officio Presbyterorum loquentem, & dicto citius monstrabo, non alios ab eo quàm Clericos posse intelligi. Aut si id non valde vobis arrideat, proponite vobis ante oculos modum *admittendi* Presbyteros in Ecclesiam, *sessionem, ministerium, vitamq; eorum, stipendium* Ecclesiæ sumptibus datum, denique *amotionem* ab Ecclesia; & luce clarius videbitis, nullos Episcopo in Ecclesiasticis negotijs Presbyteros adiunctos fuisse, præterquam Clericos. Admittebantur per manuum impositionem; cum Episcopo seorsim à populo sedebant; Baptismum & Cœnam Domini administrabant; quæ omnia laicis minimè licebant; seuerioribus viuendi regulis astricti erant, velutì ne extraneis mulieribus cohabitarent, domicilia permutarent, spectacula aut tabernas frequentarent, sine literis Episcopi commendatitijs aliò se transferrent, cum similibus; à quibus omnibus laici immunes erant & soluti. Ecclesiæ sumptibus alebantur, laici non item; & cum ab officio deponerentur, laicis communicare ijs permissum erat. Atque hi Primitiuæ Ecclesiæ Presbyteri fuerunt: alios in nullo Conciliorum aut Patrum, cum Episcopo sociatos legimus. Hos autem laicos non fuisse facillimè

cillimè liquere poteſt. Documenta quæritis? Sine fraude aut oſtentatione dico, deſcribendis ijs integrum volumen vix ſufficeret. Quædam antea audiuiſtis, plura iam accipietis; quæ ſi prolixiora videbuntur, non meæ voluntati, ſed veſtræ importunitati dandum erit.

1 Primum de Origene refert Euſebius, Epiſcopos Hieroſolymitanum & Cæſarienſem, [u] *Manus illi ad Preſbyterium impoſuiſſe.* De Nouato, ait Cornelius, [x] *Eum fauore Epiſcopi ad Presbyterium ſubleuatum, qui manus ipſi ad ſortem Preſbyterij impoſuit.* Quartum Concilium Charthaginenſe modum ordinandi Presbyteros per manuum impoſitionem deſcribit his verbis: [y] *Preſbyter cum ordinatur, Epiſcopo benedicente, & manum ſuper caput eius tenente, etiam omnes Preſbyteri aſtantes manus ſuas ſupra manum Epiſcopi ſuper caput illius teneant.* De Sabbatio ad Presbyterij gradum elato, *Marcianus*, inquit, [z] *Satius fuiſſet, ſi ſpinis manum impoſuiſſem, quàm quòd Sabbatium ad Preſbyterium euexi.* Ordinatio igitur Latinis Patribus idem valet quod χειροτονία Græcis, & in ordinandis Presbyteris, & quibuſuis ad Presbyterium cooptandis neceſſarius quidam ritus fuit, primùm ab Apoſtoli verbis deſumptus, exinde perpetuis in Eccleſia temporibus obſeruatus; quem Seniores veſtri ſi accipere debuerint, non amplius laici ſunt; ſin minùs, Presbyteri non ſunt. Plura de Presbyteris manuum impoſitione creandis qui ſcire deſiderat, legat Canonem 13. Concilij Ancyrani, Canonem 9. Concilij Neoceſarienſis, & Antiocheni 6. Chalcedonenſis 27. & 56. Concilij Africani.

u Euſeb. lib. 6. cap. 7.

x Euſeb. lib. 6. cap. 42.

y Concil. Carthag. 4. can. 3.

z Socrat. lib. 5 cap. 20.

2 Sedendi etiam ordine in Eccleſia Presbyteri à reliquo populo diuiſi erant. In loco enim à laicis ſeparato Epiſcopi Cathedra, & Presbyterorum ſedes menſam ſacram circumſepiebant. Hic locus Sozomeno [a] ἱερατεῖον dicitur, quo Epiſcopus & Presbyteri à populo diſcreti erant: huc etiam Cyprianus alludens ait: [b] *Numidicus Preſbyter aſcribatur Preſbyterorum Carthaginenſium numero, & nobiſcum ſedeat in Clero.* Concilium Laodicenſe βῆμα, quaſi editiore loco poſitum, vt ab omnibus conſpici poſſet, appellat. [c] *Non oportet,* inquit, *Presbyteros ante introitum Epiſcopi ingredi Eccleſiam,*

a Sozom. lib. 7. cap. 24.

b Cyprian. lib 4 ep. 10.

c Concil. Laod. can. 56.

&

& ſedere in tribunalibus, ſed cum Epiſcopo intrare, niſi fortè aut agrotet Epiſcopus, aut peregrè abſit. In iure Canonico [d] Preſbyteria nomen eſt; quò cum Theodoſius Imperator ad ſacri myſterij participationem accedere vellet, Ambroſius qui tum diuinis rebus intendebat, hæc illi per primarium Diaconum ſuum mandat: [e] *Interiora, ô Imperator ſolis Sacerdotibus patent, reliquis verò omnibus inacceſſa ſunt & occluſa.* [f] *Ne Diaconis quidem in medio Presbyterorum ſedere permiſſum eſt*, vt Nicenum nobis Concilium teſtatur, quanto minùs illic laicis Senioribus locus erat?

d De conſecr. diſtin. 2. §. Sacerdot.

e Theod. lib. 5. cap. 18.

f Concil. Nicen can. 18.

Miniſterium Presbyterorum in Eccleſia indicio eſt, laicos in his non fuiſſe. Benedicebant enim, baptizabant, ſacram Cœnam (abſente Epiſcopo) diſpenſabant, eidem præſenti in his etiam deſeruiebant: vnde Concilium prædictum: [g] *Peruenit ad hoc ſanctum magnumq; Concilium, quòd in locis quibuſdam & ciuitatibus, Presbyteris Sacramenta Diaconi porrigant. Hoc nec regula, nec conſuetudo tradidit, vt ij qui offerendi poteſtatem non habent, his qui offerunt, corpus Chriſti tradant.* [h] *Audio quendam*, inquit Hieronymus, *in tantam erupiſſe vecordiam, vt Diaconos Presbyteris anteferret. Quid patitur menſarum & viduarum miniſter, vt ſupra eos ſe tumidus efferat, ad quorum preces Chriſti corpus, ſanguiſq; conficitur?* Laicis omnibus Diaconi ſacram porrigebant communionem; Preſbyteris verò minimè; Presbyteri igitur laici non erant. Et ſi Presbyteri eam ob rem Diaconis præſtarent, quia ad menſam Domini myſticam celebrarent oblationem, Diaconi non item; me tacente, res ipſa loquitur, Presbyteros in numero laicorum non fuiſſe. 3

g Concil. Nicen. can. 18.

h Hierony. Euagrio.

Presbyteri diſtrictiore quàm laici vita fuerant; verbi gratia, ne quis Presbyterorum de Eccleſia vel ciuitate ſua ad aliam tranſiret, Concilijs Niceno & Antiocheno cautum eſt; laicis verò mutare domicilia nullo iure negatum eſt. Deinceps: [i] *nulli licuit Presbytero extraneam ſecum habere mulierem, niſi aut matrem, aut ſororem, aut amitam*, aut omnino eam, in quam nulla turpitudinis caderet ſuſpicio. Laicis verò in his rebus libera ſemper poteſtas fuit. Ac multa huiuſmodi proferre licet, quibus Presbyteri omnes aſtricti tenebantur, laici 4

Can. 15. 3.

i Concil. Nicen. 3.

laici verò soluti erant; quæ grauissimo mihi sunt argumento, nusquam in Concilijs laicos Presbyterorum nomine notatos fuisse.

Stipendium eorum, diuino primùm, dein Apostolico, vt dixi, præcepto constitutum, perpetuis postea temporibus in Ecclesia fuit obseruatum. Testes sunt [l] Sportulæ Cypriani ætate Presbyteris decretæ: [m] Cornelij literæ de multitudine Presbyterorum in Ecclesia Romana existentium, & eiusdem impensis nutritorum: [n] Constitutionesque Imperiales, quibus definitus est eorum numerus, qui in Ecclesijs Constantinopolitanis alerentur. Hanc mercedem quando omnes cuiusque Ecclesiæ Presbyteri habuerint, laici verò nec Ecclesiastico, nec diuino iure habere potuerint; plusquam manifestum est Presbyterorum priuilegium & honorem à nullis Concilijs aut Patribus, laicis Senioribus tributum fuisse.

l Cyprian. lib 4. ep 5.
m Euseb. lib. 6 cap 42.
n Nouel. constit. 3. Vt determin.

Postremò, cum grauiore aliquo scelere obligati ab officio meritò deponerentur, in laicam communionem, acta demum pœnitentia, recipi poterant, vt [o] Cyprianus, & [p] Athanasius testes sunt; nullo modo autem ad Presbyterorum gradum dignitatemque reuerti. Vnde consequens est, deiectos de gradu Presbyteros laicos esse potuisse, Presbyteros postea per Canones esse non potuisse.

o Cyprian. l. 2. ep. 1. l. 4. ep. 2.
p Athanas. Apologet. 2.

Vt quid autem tanto opere laicos Seniores à Primitiua Ecclesia excludere laboro, cum nulla ratio sit includendi? Cuiuis sano ingenio satis esse possit, quod cum Presbyteri toties in Concilijs, Patribus & historijs Ecclesiasticis nominentur; tot etiam *regulæ ac Canones existant, functionis* eorum quamlibet partem explicantes; nullam tamen vel minimam circumstantiam ad probandum laicos in his fuisse, nec vllam antiqui cuiusquam authoris syllabam aut apicem ad fidem his conciliandam potestis proferre. *Si nos huius verbi fallat authoritas, non à nobis solùm, sed ab alijs itemq; doctis simili modo erratum est.*] Inuitissimus omnium facio, vt cuiusquam Scriptoris neoterici, alioquin optimè de Ecclesia meriti, famam & authoritatem conuellere videar: sed quæ veritatis vis & ratio est, quibuscunque eam

eam coniecturis & opinionibus hominum quantumuis eruditissimorum, si aliter animati fuerint, facilè præferendam censeo. Ac in præsenti quidem tanto fulgore splendet veritas, vt non eruditione, sed affectione eos transuersos agi nullo modo dissimulare possim. Quis enim vel primoribus labris monumenta Patrûm gustauit, cui exploratum non sit, Presbyteros, clericos non laicos fuisse, medium inter Episcopos & Diaconos locum tenentes; nempe his inferiores, illis verò superiores? ipsumque nomen Presbyteri, nullo addito, Ecclesiasticis scriptoribus certissimum Clericorum à laicis discrimen notare? q Ignatius, cuius tanti apud vos penditur authoritas, quod Presbyterij frequenter mentionem faciat, annon Ecclesiam totam distribuit in Laicos, Diaconos, Presbyteros, & Episcopos? Qua posita diuisione; Laici, nec Diaconi, nec Presbyteri erant, sed ab vtrisque diuersi; nedum Presbyteri laici fuerunt, quibus tam Diaconi quàm laici subiecti erant. Tertullianus vitio vertens hæreticis, quòd *Ordinationes* eorum *temerariæ, leues & inconstantes* fuerint, hunc in modum exprobrat; Apud vos, r *hodie Presbyter, qui cras laicus*. Si vtrumque in vno reperiri potuisset, vt in laicis apud vos Presbyteris sit, quomodo in hæreticis absurdum & inauditum foret, quod in Ecclesia Catholica, vt vos putatis, perpetuum & solemne erat? In eadem etiam Ecclesiæ partitione cum Ignatio consentit, scilicet, in Laicos, Diaconos, Presbyteros, & Episcopos; quos duobus verbis denotans, ait: s *Grex & Duces; Ecclesia & Clerus*. Idem alibi: t *Ordo & plebs: &* u *Ecclesiæ ordo & laici*. Et alicubi, Presbyteros non laicos, sed è laicis in clerum allectos significans: x *Nisi laici (inquit) ea obseruent, per quæ Presbyteri allegantur, quomodo erunt Presbyteri, qui ex laicis alleguntur?* Presbyteri in sortem Ecclesiæ electi erant, laici minimè; imò Presbyteri in partitione Ecclesiæ membrum laicis oppositum constituebant, & ex eorum numero in Presbyterorum ordinem ascripti erant. Laici igitur vestri Presbyteri non modò Patribus ipsis, sed Ecclesiæ partibus, quas ipsi faciunt, aduersa fronte videntur repugnare. [*Damus*

q Ignat. ep. ad Smyrn. & Magnet.

r Tertul. de præscript. aduers hæreuc. cap. 41.

s De fuga in persecut. de baptism.

t Exhortatio ad castitatem.

u De Monog.

x Exhortatio ad castitatem.

Patres in his locis per Presbyteros Sacerdotes intelligi voluisse.] Certè laicos Presbyteros, quos non norant, intelligere non poterant. Quod si qui eiusmodi tum fuissent, vti vos falso putatis; quàm futiles ac vanæ, imò sibi ipsis contrariæ essent, non partitiones solum & diuisiones, sed Conciliorum omnium Canones & decreta? Etenim quo alio verbo Concilia siue Patres Sacerdotem appellant? Imò quo magis apto vocabulo eos, quibus verbi & sacramentorum credita dispensatio erat, ab Episcopis & Diaconis distinguere poterant, quàm Presbyterorum? Itaque omnia Concilia Prouincialia pariter ac Oecumenica hoc nomine, nulla alia nota adiecta, manifestum inter eos, & Episcopos atque Diaconos discrimen constituunt; & vbicunque in Ecclesiastico aliquo Scriptore Presbyteros legimus, nec laicos, nec Diaconos fuisse statim intelligamus. Exempli gratia, Cõcilia ac Patres in medium proferantur, quotquot Presbyterorum mentionem alicubi fecerunt, ac vide, quantam scriptis eorum vim intuleris, si vel latum vnguem ab hac regula discesseris.

Concilium Nicenum decernens, ne quis statim à Baptismo ad Episcopatũ, [y] εἰς πρεσβυτέριον, *vel ad Presbyterium* proueheretur, hanc subiungit rationem: *Euidens namque est Apostolorum præceptum, dicens, Non Neophytũ, ne fortè elatus in iudicium incurrat, & laqueum Diaboli. Nã & tempore opus est, vt sit Catechumenus, & post baptismum multa probatione indiget, Interea temporis, si quod peccatum admisisse conuictus fuerit,* παυέσθω τῆ κλήρῳ, *cesset à Clero.* Hinc apparet, quòd qui in Presbyterium ascriptus erat, idem etiam in clerũ cooptatus erat; ex contraria parte qui à clero remotus erat, à Presbyterio etiam cessabat. Itaq; laicis in Presbyterio locus non erat. Rursus, de Episcopis Nouatianorum ad Ecclesiæ sinum reuertere volentibus in eodem Concilio prouisum est; Episcopus [z] τοπον πρεσβυτέρῳ, *locum Presbyteri ei concedat, vt omnino in Clero permanere videatur:* de Presbyteris namque laicis in Ecclesia, nihil quicquam illorum memoria fuit auditum. Concilium Antiochenum, [a] *Omnes qui magni Niceni Concilij regulam de Paschate celebrando dissoluere ausint, excommunicationi subiacere voluit. Atque hæc* (ait) *de Laicis. Si quis autem*

[y] Concil. Nicen can. 2.

[z] Concil. Nicen. can. 8.

[a] Concil. Antioch. ca. 1.

qui

τῶν προεστώτων τῆς ἐκκλησίας, *eorum qui præsunt Ecclesiæ, siue Episcopus, siue Presbyter, siue Diaconus*, (vbi verbo προεστώτων, quo Paulus vtitur, Diaconus etiam continetur) *cum Iudeis Pascha celebraret*, ab officio suo deponi eum, & ab Ecclesia exulare iussit. Laici igitur nec honore, nec pœna pares Presbyteris erant. Presbyteri Ecclesiæ præfuerunt, laici minimè; Presbyteri à gradu atque cœtu sacro exules fiebant, laici communione tantùm carebant; Presbyteri itaque, laici non erant. Aliquandò autem eadem pœna vtriſque constituta est, nominibus tamen distinguuntur: [b] *Si quis à proprio Episcopo excommunicatus est, non prius ab alijs suscipi debet, nisi aut à suo fuerit receptus Episcopo, aut Concilio facto Episcopis occurrat, & respondeat: quod circa laicos, Presbyteros & Diaconos, & omnes qui in Clero sunt, conuenit obseruari.* Concilium Laodicense edixit, [c] *Non oportere sacros siue sacerdotales homines à Presbyteris vsque ad Diaconos, & deinceps ordinis Ecclesiasticis omnes, tabernas intrare.* Presbyteri igitur sacri, & Ecclesiastici ordinis participes erant; huiusmodi autem si laicos esse velis, noua aliqua metamorphôsi opus est. Concilium Africanum decreuit: [d] *Presbyteris & Diaconis in aliqua graviori culpa deprehensis, qua eos ab officio necesse fuerit remoueri, manus tanquam pœnitentibus vel laicis nullo modo imponendas.* Laici omnes, pœnitentia peracta, ad Ecclesiæ communionẽ per manuum impositionẽ redire solebant; nulli presbyteri ab officio depositi ad eum modum reconciliari poterant; ergo nulli Presbyteri laici erant. Concilium quintum Constantinopoli habitum, ait, [e] *Qui secundam post Baptismum accepit vxorem, aut qui viduam & repudiatam ducit, aut ancillam, nec Presbyter, nec Diaconus, nec ommino in vllo sacro ordine existere potest.* Presbyteri his regulis astricti erant; laici minimè; Presbyteri igitur à laicis diuersi erant.

b Concil. Antioch. can. 6.

c Concil. Laodic. can. 24.

d Concil. Afric. can. 27.

e Concil. Cõstantinop. 2. can. 3.

Si minùs Concilijs his de vera vocis Presbyteri proprietate credatis, Constitutiones Imperiales idem liquidò confirmabunt. Imperatores Christiani multa Clericis priuilegia indulgentes, pariter exprimunt, ad quas personas ea spectare velint: nempe, ad [f] *Presbyteros, Diaconos, Subdiaconos, Cantores, & Lectores, quos omnes Clericos appellamus*: vndè

f Nouell. de sanctiss. Episc. & Presbyteris

priuilegia & immunitates Clericorum Romanis legibus adepti sunt. Iam si nemo laicorum Seniorum priuilegium clericale in republica Romana sub nomine Presbyteri vendicare potuerit; quomodo ab eiusdem verbi simili apud Patres vsurpatione summas in Ecclesia partes laici sibi ausint arrogare? Verùm enimuerò (si rem recte putemus) non Patrum, non legum, aut Canonum hoc est iudicium, sed recentium quorundam inuentum, si non insomnium, quo citius clericos in laicos permutent, quam nouum hunc ingenij sui fœtum ipsis magnopere arridentem æquo animo derelinquant. Sanè quod spectat ad Patres, idem illis verbum hoc (Presbyter) significat, quod legibus & Canonibus sacris.

Quo sensu ab Ignatio, Tertulliano, Cypriano, Athanasio vsurpetur, iam antea accepistis; quibus cæteri vna voce consentiunt: & Irenæus, *Presbyteris iis in Ecclesia obedire oportet, qui successionem ab Apostolis habent, & vnà cum ordine Presbyterij sanam doctrinam prabent ad informationem & correctionem aliorum. Tales Presbyteros Ecclesia nutrit.* Origenes, *In Ecclesia Christi inueniuntur cathedras primas amantes, & multa facientes: primùm quidem vt Diaconi fiant, non quales Scriptura dicit, sed qui domos viduarum longæ orationis prætextu exedunt. Et qui tales Diaconi fieri volunt, primas Cathedras eorum qui Presbyteri dicuntur præcipere ambiunt. Quidam autem nec istis contenti, plurima machinantur, vt Episcopi vocentur ab hominibus, quod est Rabbi. Quanquam qui se exaltauerit, humiliabitur. Quod vtinam omnes animaduerterent, maximè autem Diaconi, Presbyteri & Episcopi, qui sibi ista scribi minimè putant.* Diaconus in sacris ordinibus constitutus, laicus Presbyter nulla ratione fieri potuit. Loca igitur ad quæ aspirabant, clericorum Cathedræ erant; atque hi sunt, qui Ecclesiæ Presbyteri nominantur. De his alibi ait, *Etsi videor tibi manus esse dextera, & Presbyter nominor, & verbum Dei predicare videor, si tamen aliquid contra Ecclesia disciplinam, & Euangelij regulam gessero, ita vt scandalum tibi Ecclesiæ faciam, in vno consensu Ecclesia vniuersa conspirans excidat me dextera suam, & proijciat à se.* Presbyteri ergò, non

g Irenæ. lib. 4 c. p. 42. 43.

h Origen 24 tract 23. in Matth.

i Origen. hō 7. in lib. Iosu

solùm

solùm pro manu Ecclesiæ dextera habiti sunt, sed Euangelium etiam annuntiarunt; idque non aliqui, sed omnes: k *Omnes Episcopi, atque omnes Presbyteri, vel Diaconi eruditunt nos, & erudientes adhibent correptionem, ac seuerius reprehendunt.* l *Quatuor* (inquit Optatus) *genera capitum sunt in Ecclesia, Episcoporum, Presbyterorum, Diaconorum, & fidelium.* Ex quo horum Presbyteros laicos excudetis? E fidelibus? Ergò Presbyteri non erant? E Presbyteris? non ergo laici. Eodem enim loco Donatistas, velut animarum seductores criminatur, quia Presbyteros in laicos conuertissent. m *Inuenistis Diaconos, Presbyteros, Episcopos, fecistis Laicos. Agnoscite vos animas euertisse.* Ac ne fortè putetis me in sensum alienum verba ipsius detorquere, quid ipse de quatuor his Ecclesiæ partibus asserat, accipite: n *Quid commemorem laicos, qui tunc in Ecclesia nulla fuerunt dignitate suffulti? Quid Ministros plurimos? Quid Diaconos in tertio, quid Presbyteros in secundo Sacerdotio constitutos? Ipsi apices & principes omniũ aliqui Episcopi instrumenta diuinæ legis impiè tradiderunt.* Laicis nec gradus, nec honos in Ecclesia fuit; nedum Presbyterorum (qui Sacerdotes erant) munus & officium sustinuerunt. Si vel vnum eiusmodi exemplum pro laicis Presbyteris proferre possetis, cuiusmodi contra eos multa occurrunt, nullo modo ijs resistendum putarem.

k Origen. ho. 1. Psal 37.
l Optat. lib. 2. aduer. Parm. de schis. Donatistarum.
m Ibidem.
n Optat. ad eundem. lib. 1.

o Nazianzenus enarrans quo pacto bonitas & prouidentia diuina Basiliũ virũ eruditione pietateq; egrium, τοις ἱεροις τῦ πρεσβυτερίυ θρόνοις *sacris Presbyterij sedibus admouerit*, τάξει καὶ νομῳ πνευματικῆς ἀναβάσεως, *ordine & lege spiritualis ascensionis*, ait, *Primùm sacros populo Codices legisse & explanasse, nec virum summum lectoris munus infimum in Choro aspernatum esse. Posteà ad Presbyterorum, exindè ad Episcopi thronum deuenisse.* Nazienzeni igitur temporibus, Presbyterij sedes non modò sacræ, & à populo secretæ erant, sed rectâ ad eas per Ecclesiasticos p *Gradus & Officia* (vt Cyprianus loquitur) ascensus patuit, atque inde ad fastigium; non vt laici cum Episcopis tanquam eiusdem honoris consortes sederent. q *Ne presbyteris quidem adesse permittitur in mysterijs, quum tamen ipsi quoque sacrorum administri sint*, inquit Iulius ad Epi-

o Nazien. in laudem Basil. Mag.
p Cypr. lib. 4. Epistola.
q Athanas. Apolog. 2.

r Hil.in lib. quem ipse Constantio tradidit.

ſcopos Antiochenos. Hilarius ad Constantium :[r] *Episcopus sum in communione omnium Ecclesiarum & Episcoporum Galliæ permanens, & Ecclesiæ adhuc per Presbyteros meos communionem distribuens.*

s Ambros. in 1. Tim. c.3.

t Hieron. ad Euagr.

Ambrosius:[s] *Presbyteri & Episcopi vna est ordinatio, vterque enim Sacerdos est.* Huc adde Hieronymum. [t] *Aut igitur ex Presbytero ordinetur Diaconus, vt Presbyter minor Diacono comprobetur, in quem crescit ex parvo : aut si ex Diacono ordinatur Presbyter, noverit se lucris minorem, Sacerdotio esse maiorem.* Idem alibi. [u] *Quod Aaron & filios eius, hoc Episcopum & Presbyteros esse noverimus. Vnus Dominus, vnum templum, vnum etiam ministeriū.* Ad illud Iouiniani; [x] *Quòd Presbyteri, Episcopi & Diaconi vnius vxoris viri, & habentes filios ab Apostolo constituuntur*; respondet; *In Ecclesiastico ordine constituendo, quia rudis ex gentibus constituebatur Ecclesia, leniora nuper credentibus dat præcepta, ne territi ferre non possent.* Denique eadem Pauli verba ad Titum exponens ait:[y] *Apostolus de Episcopis & Presbyteris hoc (vt sint vnius vxoris viri) præcipiens, vtique in cæteris relaxauit.* Omnes laici secundas nuptias celebrare poterant; nullus Presbyter, iuxta Hieronymi expositionem, secundas nuptias celebrare poterat; ergo illius ætate nulli erant laici Presbyteri.

u Hieron. ad Nepotian. de vita Cleric.

x Hieron. aduers. Iouian. lib. 1. cap. 19.

y Hieron. in Ep. Tit. cap. 1.

Cum sex Episcopi Tyro ad examinandas aduersus Athanasium causas veniſſent; *Presbyteri Alexandrini, animaduersa eorum malitia*, exceptione è cōtrario vsi sunt, missis literis, & nominibus suis subscriptis, ad hunc modum: [z] *Ego Dionysius Presbyter has literas misi, & ego Alexander Presbyter*, adiectis alijs 18. nominibus, quorum 14. Presbyterorum, 4. Diaconorum titulo ornati erant. Vnde Athanasius : [a] *Litera & nomina Clericorum Ciuitatis hæc sunt. Clerici autem Mareotes ad hunc modum scripserunt : Sanctæ Synodo beatorū Episcoporum Catholicæ Ecclesiæ, Mareotici omnes & Presbyteri, & Diaconi, salutem in Domino.* Omnes igitur Presbyteri Mareotici, vt etiam Ciuitatis Alexandrinæ, Athanasio teste, Clerici erant. Author Commentariorum in Matthæum, quæ cum Homilijs Chrysostomi coniunguntur, in explicanda Talentorum parabola, Presbyteris quinque, Diaconis duo, vnum

z Athanasius Apolog. 2.

a Ibid.

populo

populo dari asserit. Quinque Presbyterorum Talenta hoc modo enumerat. [b] *Benè viuendo, solicitè præsidendo, Ecclesiæ verbum veritatis syncerè prædicando, baptizando, offerendo.* Vnum illud benè viuendi Talentum omni hominum generi ac ordini commune; Presbyteri autem 4. alia Talenta adeò vocationi eorum peculiaria, & inter se connexa habuerant, vt nullo modo separari possent. Ad quos igitur *prædicandi, baptizandi, offerèndi* munus spectat, ad eos etiam *moderandi gubernandiq; Ecclesiam cura & solicitudo* propriè pertinet. Iam laici Seniores vestri si Presbyteri sint, quinque hæc Talenta in se suscipere debent; sin laici, nec *prædicare, nec baptizare, nec cœnam Domini ministrare*, & ex consequenti nec Presbyteri esse, nec Ecclesiæ præsidere possunt. Omnes enim Presbyteri quinque illa Talenta à manu Domini sui receperent; nemo laicus eo modo accepit; vnde sequitur, nullos laicos Chrysostomi ætate Presbyteros fuisse.

b Hom. 53. in c. 25. Matth.

[c] *Quot ego* (inquit Augustinus) *sanctissimos & religiosissimos Episcopos noui, quot Presbyteros, quot Diaconos & huiusmodi ministros diuinorum Sacramentorum?* Idem de suo gradu & officio, ait: [d] *Nihil est in hac vita, & maxime hoc tempore difficilius, laboriosius, periculosius, Episcopi aut Presbyteri, aut Diaconi officio; sed apud Deum nihil beatius, si eo modo militetur, quo noster Imperator iubet. Quis autem iste sit modus, nec à pueritia, nec ab adolescentia mea didici, & eo tempore, quo discere cœperam, vis mihi facta est merito peccatorum meorum; (Nam quid aliud existimem nescio) vt secundus locus gubernaculorum mihi traderetur, qui remum tenere non noueram. Iam verò cùm in re ipsa didici, quid sit homini necessarium, qui populo ministrat sacramentum, & verbum Dei, mihi assequi non licet,* (quia tempus non habeo.) Augustini temporibus, *prædicandi, ministrandiq;* Sacramenta, Presbyterorum erat officium; *atque eiusmodi quidem secundæ* gubernandi partes traditæ sunt: laicis autem Senioribus nihil horum erat licitum.

c August. de moribus Ecclesiæ Catholicæ. l. 1. c. 32.

d August. Epistola. 148.

Socrates commemorat agitatum fuisse in Concilio Niceno, vt Clerici ab vxoribus se abstinerent; [e] *Visum erat* (inquit) *Episcopis legem nouam in Ecclesiam introducere* ὡς τοῦ

e Socrat. lib. 1. cap. 8.

ἱερατίνες, λέγω δὲ, ἐπισκόπους, καὶ πρεσβυτέρους, καὶ διακόνους μὴ συγκαθεύδειν ταῖς γαμεταῖς, ἃς ἔτι λαϊκοὶ ὄντες ἠγάγοντο: *vt qui ſacris initiati eſſent, veluti Epiſcopi, Preſbyteri & Diaconi, cum vxoribus, quas laici duxerant, minimè dormirent. Paphnutius autem in medio eorum ſurgens magna voce contendebat, non imponendum ſacris viris hoc graue iugum.* Fruſtrà eruditis probauero ἱερᾶσθαι id denotare, quod Deo *Sacerdotem conſecrari.* ἱερεὺς enim Græcis propriè Sacerdos eſt, & ἱερώμενος *is qui diuinis rebus aut ritibus conſecratur.* Hos Socrates in tres claſſes plane diſtribuit, addita limitandi nota λέγω δὲ, *dico autem*, vt de his gradibus tantum intelligatur. In Concilio propoſitum erat, *ne dormirent cum vxoribus quas duxerant*, εἰ λαϊκοὶ ὄντες *cum adhuc laici eſſent*, id eſt, vt Sozomenus interpretatur, [f] ἃς, πρὶν ἱερᾶσθαι, ἠγάγοντο, *quas ante duxiſſent quàm eſſent ſacris initiati.* Prius igitur quàm in *ſacros ordines admitteretur*, laici erant: *conſecrati* autem laici eſſe deſierunt; At Epiſcopi, Presbyteri & Diaconi ἱερώμενοι, *hoc eſt, Domino conſecrati* erant: ergo laici ampliùs non erant. Quid plura? qui ſano ac ſobrio ſunt iudicio, hoc eſt, vt ego interpretor, qui voluntati ſuæ non ſunt penitùs addicti, his contenti erunt: cæteros, quibus nihil ſatis eſſe poteſt, quod non ſit totum ad eorum nutum & arbitrium fictum & formatum, miſſos facio. *Probas ratiunculis quibuſdam laicos Seniores in veteri Eccleſia preſbyterorum nomine non veniſſe, at nullos huiuſmodi Seniores ad Eccleſiæ gubernacula admiſſos fuiſſe, nullo modo fidem facis.*] Quid probauerim ego tibi dicam, tu ſi poteris, redarguito. Planum feci vos in maximo errore verſari, & Patribus quàm fallaciſſimè abuti, qui laicos Presbyteros pares cum Epiſcopis vices in Eccleſiæ regimine tenuiſſe Chriſtiano orbi perſuadere vos poſſe iactatis: & tamen ex eorum ſcriptis pluſquàm manifeſtum eſt, nullos apud eos Presbyteros, niſi Clericos (atque ex his Presbyteria eorum) fuiſſe: laicos autem non à nomine ſolùm Presbyterorum, ſed etiam ab ordine, officio, ſede, poteſtate & honore palam ac perpetuò excluſos fuiſſe. *Tametſi Preſbyterorum nomine non agnoſcerentur, Seniores tamen Eccleſiæ fuiſſe, & ſic olim appellatos Tertullianus, Hieronymus, Ambroſius, Auguſtinus & Gregorius, affirmant: imò, etſi illud*

[f] Sozomen. l. 1. cap. 22.

illud vobis largiri vellemus, Hieronymi & Ambrosij ætate nullos eiusmodi extitisse; vterque tamen testis est, in prima Ecclesia tales fuisse, quorum prudentia & consilio Ecclesias gubernari æquum putant. Verba ea manifestiora sunt, quàm vt arte aliqua eludi possint. Ex his igitur ita argumentor. Laici Seniores Ambrosij ætate Episcoporum vel desidia, vel superbia, vt ipse ait, exoleuerant: Clerici verò presbyteri tunc temporis fuerunt: Ergo præter eos laici Seniores in primitiua Ecclesia extiterunt, quorum sine consilio nihil agebatur. Argumentum certè roboris & firmitatis refertissimum.] Næ vobis ieiuna admodùm & infirma sunt argumenta, qui istud in arce præcipuum collocatis. Vim locorum istorum anteà, quantum satis erat, excussi: & à vobis contra mentem sensumque scribentium huc torqueri luce clariùs demonstraui. Verùm quia finem hic laicorum Seniorum tractatui imponere, eosque inuentoribus suis relinquere decreui, non recusabo authoritatum vestrarum momenta iterum sub examen reuocare, atque æqua lance pondus & robur postremi huius argumenti perpendere.

Primum quod in his testimonijs obseruatione dignum, hoc est, quòd propriam causam vestris ipsorum telis confoditis. Ad conuincendum enim Gregorij ætate, sexcentis à Christo annis, laicos Presbyteros in Ecclesia fuisse, Ambrosium inter alios testem producitis, qui suo illo seculo, ducentis triginta ante Gregorium annis, conqueritur *Seniores eos defecisse*. Si nulli eiusmodi Seniores dum viueret Ambrosius, extiterunt, quo pacto Gregorij temporibus; plus ducentis ab eo annis permanere potuerunt? Ecce nodum Syllogismo vestro multo magis indissolubilem.

Hieronymus quem secundo loco testem in hanc causam dedistis, eo ipso in loco, qui à vobis citatur, laicorum Seniorum arcem funditus euertit. Nam & circa personas Ecclesiam gubernantes, & tempus, quousque durarint, totus à vobis diuersus est. Personæ, quarum communi consilio Ecclesiæ initio gubernatæ sunt, Presbyteri erant; hos autem laicos non fuisse vel ipsi mihi testes estote, vel Hieronymum saltem auditote, idem conceptis verbis affirmantem

tem: [g] *Antequam fierent ſtudia in religione, & diceretur in populis, Ego ſum Pauli, ego Apollo, ego autem Cephæ; communi Presbyterorum conſilio Eccleſiæ regebantur. Poſtquam verò vnuſquiſque eos quos baptizauerat, ſuos eſſe putabat, non Chriſti; in toto orbe decretum eſt, vt vnus de Presbyteris electus ſuperponeretur ceteris, ad quem omnis Eccleſiæ cura pertineret, & ſchiſmatum ſemina tollerentur.* Verba adeò perſpicua, & in vulgari intellectu poſita ſunt, vt diſputatione nihil opus ſit. Ante orta ſchiſmata in religione, Eccleſiæ communi Presbyterorum conſilijs regebantur. Vbi verò baptizantes populum in diuerſas partes diſtraherent, Epiſcopi toto orbe electi, & Presbyteris præpoſiti ſunt, penes quos omnis Eccleſiæ cura conſiſteret. Et Presbyteri erant, & baptizabant, qui Eccleſiæ ab initio præſidebant: ergò laici Seniores non erant. Etſi hinc quidem, quales Presbyteri fuerint, ſatis conſtaret; Hieronymus tamen quatuor Scripturarum teſtimonijs, & Doctores & Paſtores fuiſſe, liquidò oſtendit. Verba ipſius quàm potero breuiſſimè ponam, vt omnes intelligant, & errorem hunc iſti, ſi minùs ratione, at pudore tamen victi, deponant & abjiciant.

g Hieron. in 1 cap. Epiſt. ad Titum.

Hieronymus ad illa ſuperiùs à me poſita ſtatim ſubiungit; [h] *Putat aliquis non Scripturarum, ſed noſtram eſſe ſententiam, Epiſcopum & Preſbyterum vnum eſſe? relegat Apoſtoli ad Philippenſes verba dicētis:* [i] *Paulus & Timotheus omnibus ſanctis qui ſunt Philippis, cum Epiſcopis & Diaconis. In vna Ciuitate plures, vt nuncupantur, Epiſcopi eſſe non poterant, ſed quia eoſdem Epiſcopos illo tempore quos & Preſbyteros appellabant, propterea indifferenter de Epiſcopis, quaſi de Prebyteris locutus eſt.* [k] *In Actibus Apoſtolorum ſcriptum eſt, quòd cum veniſſet Apoſtolus Miletum,* [k] *miſerit Epheſum, & vocauerit Preſbyteros eiuſdem Eccleſiæ, quos inter cetera ſic eſt allocutus, Attendite vobis & omni gregi, in quo vos Spiritus ſanctus poſuit Epiſcopos paſcere Eccleſiam Domini. Et hic diligenter obſeruate, quomodo vnius ciuitatis Epheſi preſbyteros vocans, poſteà eoſdem Epiſcopos dixerit. In Epiſtola ad Hebræos æqualiter inter plures Eccleſiæ cura diuiditur. Siquidem ad plebem ſcribit.* [l] *Parete principibus veſtris, & ſubiecti eſtote; ipſi enim ſunt qui vigilant pro animabus.*

h Hieron. ibid

i Philip. 1.

k Act. 20.

l Heb. 13.

Et

Et Petrus in Epistola sua loquitur, dicens: [m] *Presbyteros qui inter vos sunt, obsecro vobiscum Compresbyter, Pascite eum, qui in vobis est gregem Domini. Hæc propterea, vt ostenderemus apud veteres, eosdem fuisse Presbyteros, quos & Episcopos: paulatim verò vt dissensionum plantaria euellerentur, ad vnum omnem sollicitudinem esse delatam. Presbyteri* qui Apostolorum ætate Ecclesiæ præfuerunt, gregem *pascebant, & inspiciebant, animarumq; curam agebant, tanquam rationem pro ijs reddituri:* imò nullas non earum qualitatum habebant, quas Paulus in Episcopis desiderauit. Munus idem ac eadem gratia eundem ordinem planè demonstrant. Si qui ergo Apostolorum temporibus Presbyteri fuerunt, hi certè laici non fuerunt. Hos autem gubernasse Ecclesiam Hieronymus ait: Laici igitur iuxta eum non fuerunt, qui tum Ecclesiam gubernarunt.

m 1.Pet.5.

Ac de personis, quales fuerint, satis apparet: nunc de tempore, quousque Ecclesiam gubernarint. Antequam studia in religione fierent, communi eorum consilio Ecclesiæ regebantur: viuentibus autem Apostolis studia ac schismata Ecclesiam diuexasse, [n] Paulus & [o] Iohannes scribunt: itaque ex Hieronymi verbis non infertur Presbyteros vltra Apostolorum tempora Ecclesiam gubernasse, imò, ne tantisper quidem. Ac si cui articulos & momenta temporis studiosiùs aucupari videar, Hieronymum sententiæ suæ interpretem habeat; qui in epistola ad Euagrium pluribus persequitur, *Episcopos & Presbyteros* Apostolorum temporibus eosdem fuisse: atque his alijsque testimonijs huc aduocatis, ait:

n 1.Cor.1.11. 11.18. Rom.16.17.
o 1.Ioh.2.18.

[p] *Quod autem postea vnus electus est, qui cateris præponeretur, in schismatis remedium factum est, ne vnusquisque ad se trahens Christi Ecclesiam rumperet. Nam & Alexandriæ à Marco Euangelista vsque ad Heraclam & Dionysium Episcopos, Presbyteri semper vnum ex se electum, in excelsiori gradu collocatum, Episcopum nominabant.* Laicos Seniores Ecclesiam gubernasse Hieronymo nunquam auditū fuit. Imò Pastores & Doctores ipsi qui sub Apostolis communi consilio Ecclesiam regebant, ad tollenda è medio schismata, totius Ecclesiæ curam in vnum tranferre coacti sunt, quem Episcopum nominabant,

p Hiero.Euag 2.fol.328.

nabant, atque hoc Alexandriæ quidem iam tum à Marco Euangelista ortum habuit.

Hæc de Hieronymo; nunc vestra electio sit, vtrum Ambrosium ei contradicentem, & mendacij reum peragentem habere; an eo potius interprete & Ambrosiani testimonij conciliatore vti velitis. Ambrosius ait: [q] *Ecclesiam Seniores habuisse, quorum sine consilio nihil agebatur in Ecclesia.* At hos dicetis laicos Seniores fuisse. Vnde constat? hæretis. Contrà, nos Pastores & Doctores fuisse, primùm Ambrosij testimonio docemus; qui alibi negat, [r] *in causis fidei vel Ecclesiastici ordinis*, laicos iudicare, aut potestatem in Sacerdotes exercere debere; quod Ecclesiæ rectoribus tamen erat necesse. Semper de priuata Seniorum potestate, non de publica magistratus authoritate loquor. Secundò, Hieronymi assertione multis Scripturarum exemplis munita clarè ostendimus, Ecclesias primùm per Presbyteros, non laicos illos, sed Pastores & Doctores gubernatas fuisse. Et vt nihil plus probare possemus, vestras ipsorum conscientias appello, vtra melioribus fundamentis assueueratio nitatur; vestra, quæ nihil præter verba ac voluntates vestras sapit? an nostra, quæ non illius tantùm Patris clara confessione, sed alterius nec ætate, nec doctrina inferioris testificatione roboratur? Nolite igitur pietatis & prudentiæ (quorum cultores videri cupitis) nimiâ vestrarum opinionum præsumptione iacturam facere, tanquam si in vestra voluntate sit acquiescendum, quicquid Concilia aut Patres contra statuerint aut dixerint.

q Ambros. in 1. Tim. 1.

r Ambr. lib. 1. ep. 32.

Quod ad reliquos; non alio vtar interprete quàm Hieronymo, eo ipso in loco quem vos citatis. [s] *Nos habemus*, inquit, *in Ecclesia Senatum nostrum, cœtum Presbyterorum.* Idem etiam alibi: [t] *Iudices domus Israel non sunt alij nisi Episcopi, Presbyteri, Diacon.* Hæc autem tria vocabula simul posita Ecclesiasticorum officiorum gradus denotant. [u] *Episcopus, Presbyter, & Diaconus non sunt meritorum nomina, sed officiorum*, nempe ad Clericos non ad laicos pertinentium. Ad hunc ferè sensum Hieronymus de Nepotiano. [x] *Fit Clericus, & per solitos gradus Presbyter.* Et in Ieremiam: [y] *Qui pas-*

s Hierony. in Esai. cap. 3.

t Idē in Miche cap. 3.

u Idē aduers. Iouin. lib. 1.

x Idem in Epitoth. Nepot

y Idem in Ieremiam cap. 6.

citis

citis greges, Episcopi & Presbyteri, & omnis ordo Ecclesiasticus. Si ergo *Presbyteros Seniores Ecclesiæ* facta cum reliquo Clero comparatione Gregorius appellârit, vel si Augustinus *Clero & Senioribus literas inscripserit*; aut si Tertullianus scribens ad Gentes Ecclesiastici ordinis ignaras, conuentus Christianorum hoc nomine laudârit. *præsident probati quique Seniores:* Num propterea fit, vt laicos Seniores necessariò diuerint, cùm nec verba, nec circumstantiæ omninò eiusmodi sint, quæ non grauioribus, prudentioribus, ac senioribus, è Clero propriè conueniant quos alio nomine *Presbyteros* vocamus? Quod si in re minimè dubia testibus tamen sit opus Presbyteros in Clero Seniores nominatos fuisse, vt qui gradu, ætate, & iudicio proximè ad Episcopũ accederent, Ambrosius id liquidò cõfirmabit. De Ecclesiasticis enim officijs ac Ministris edisserens, ait: [z] *Viduarũ ac virginũ domos, nisi visitandi gratia, Iuniores adire non est opus, & hoc cum Senioribus, hoc est cum Episcopo; vel si grauior est causa, cũ Presbyteris. Quid necesse est vt demus obtrectandi locum Secularibus?* Quid vobis videtur? Annon in Clero Seniores erant, quos aliàs proprio nomine *Presbyteros* dixerunt? *Sed tamen demonstrationi meæ nondum factum est satis.*] Egregiam verò demonstrationem facit verborum & sensus Ambrosij deprauatio. Nam quid verba sibi volunt, planè mihi videris ignorare. Non enim ait Ecclesiam olim Seniores habuisse, qui tunc obsoleuerant; sed in prima Ecclesia nihil sine eorum consilio actum fuisse, quod tunc Pastorum superbia neglectum queritur, dum *soli aliquid videri volunt.* Seniores ijdem fuerunt qui antea, sed honos & authoritas multò minor. Itaque demonstratio vestra nihil aliud est, quàm manifesta à verbis authoris aberratio. *Quoniam mihi in Hieronymo & Ambrosio pro laicis Senioribus nihil præsidij relinquis, ego tibi par pro Episcopis referam; nempe Ecclesiam, vt olim per Presbyteros sine laicis Senioribus, eodem modo sine Episcopis gubernatam fuisse. Si ego tibi in his cessero, tu mihi similiter in illis; ac ita parùm vobis consultum fuerit, si Episcopi perinde ac laici Seniores ab Ecclesiæ regimine moueantur. Hoc tantam in se veritatis lucem habet, vt nullæ arte obscurari possit.*] Expectabam equidem quando ruen-

[z] Ambr. offic. lib.1.cap.20.

tem

tem & propè desperatam laicorum Seniorum causam hac machina fulcires, & reficeres. Quòd si nos nihilo plus iuris pro Episcopis, quàm vos pro laicis Senioribus è sacræ Scripturæ fontibus, ac Patrum riuulis deriuare possimus, tanquam victi in hac causa prorsùs succumbemus. *Hieronymi verba meridiana luce clariora sunt, Episcopos Apostolicis temporibus à Presbyteris minimè diuisos fuisse; & Ecclesiæ magis consuetudine, quàm Dominicæ veritatis dispositione Presbyteris esse maiores, Ecclesiamq; in commune ab vtrisque regendam.*] Tantum abest vt Hieronymi authoritatem defugiam, vtut in alteram partem propensus videatur, vt contrà, totius causæ arbitrum eum libenter constituam. Verùm antequàm pedem altiùs in hac causa figamus, controuersiæ huiusce statum explicemus, vt ita constet inter nos, quid Scripturæ ac Patres vel confirmandum, vel confutandum in se susceperint.

CAP. XII.

Quibusnam Apostoli discedentes, aut ex hac vita migrantes, Ecclesiæ regimen commendarint; vtrùm omnibus Presbyteris æqualiter, an quibusdam præcipuè & præ alijs: & quantum hîc recentiorum quorundam dogmata ab antiquorum Patrum sententia discrepant, quorum nomina tamen illi prætendunt.

ORdinem ac disciplinam non solùm vtilem Ecclesiæ esse, sed apprimè etiam necessariam; eamque non tam inter discipulos & auditores, quàm inter Ministros & Doctores ipsos, multis modis confirmari posset, nisi apud omnes in confesso esset. Nam qui de forma regendi inter se maximè dissentiunt, de vsu tamen in primis conueniunt; alioqui minimè de re ad Ecclesiæ gubernationem minùs necessaria tantas pugnas concitarent. [a] Τάξις μήτηρ τῶν ὄντων ἐστὶ καὶ ἀσφάλεια: *Ordo mater & conseruatrix omnium rerum est*, inquit disertissimus Nazianzenus. Cuius vtilitatem, necessitatemque cùm in alijs omnibus

a Nazianz. de moderat. in disp. seruand.

bus creaturis & societatibus, tum præcipuè in Ecclesia Dei, eiusque Pastoribus ac Ministris, qui scire volet, legat ipsius orationem plenissimè & ex professo hac de re habitam. Illud solùm ex eodem authore omnes admonitos esse velim, ne quisquam zeli religionisve specie, [b] *sapiat supra quàm oportet sapere, nevè lege iustior, luce splendidior, Canone rectior, præcepto officiosior videri velit.* Quòd si igitur ordo disciplinaque in omnibus Ecclesiæ personis atque seculis tantam necessitatis rationem obtineat, nullo modo ipsius regimen cum Apostolorum vita desinere, sed quousque manet Ecclesia, hoc est, in finem seculi durare debet; cui certè consequens est, tantum Apostolicæ authoritatis, quantum ad gubernandam Ecclesiam satis sit, perpetuò in eos prorogari debere, qui in Apostolorum munere & officio succedunt.

b Ibid.

Antequàm tractatum hunc de Episcoporum origine aggrediamur, tria hæc accuratè nobis distinguenda sunt. Primùm, *Quæ res* ab Apostolis ad eorum successores & cooperarios per omnes ætates & Ecclesias deduci debent. Secundò, *Quibus personis* creditæ & commissæ fuerint. Tertiò, *Quando & quo tempore* locum habuerint. In his si errare nos aut vagari contigerit, nunquam certi aliquid aut definiti in hac causa deprehendemus.

Quæ res in Ecclesia perpetuò permanere debeant, quia [c] anteà à me demonstratum est, nunc recensere eas tantùm sufficiet; nempe, *potestas annunciandi verbum, & dispensandi Sacramenta, recta clauium administratio, manuumq; impositio,* quò dignis & idoneis animarum cura deferatur; contrà verò infideles & inhabiles, nè eorum contagio latiùs serpat, à communione Ecclesiæ arceantur. Hæ res quamdiù manet Ecclesia, deficere non debent: nam si vel vna harum defuerit, Ecclesiæ nomen vix constabit. Has quatuor partes breuitatis studio ad duo capita sæpiùs reuoco, *Doctrinam & Disciplinam*; sic vt hæc, verbi & sacramentorum dispensationem; illa publicam clauium administrationem, manuumque impositionem, ad disciplinam Ecclesiæ conseruandam, complectatur.

c Supra cap. 9

Personas

Personas etiam quibus Ecclesiastica hæc officia committi poterant, in quatuor genera distribuimus; Populum, laicos Seniores, Presbyteros, & Episcopos. Populum Pastoralibus officijs abstinere necesse est. Nam si omnes Doctores, vbi auditores? si omnes Pastores, vbi oues? Qui inter [d] *dispensatores* & *familiam*, inter [e] *Operarios* & *messem*, inter [f] *speculatores* & *vrbis incolas*, inter [g] *Architectos* & *lapides*, inter [h] *seminatores* & *agrum*, inter [i] *agricolas* & *culturam*, inter [k] *Doctores* & *sequentium ordines*, discrimen posuit; Idem Dominus gradus & officia permisceri vetuit, quos ipse magno Ecclesiæ commodo distinxit. [l] *Num omnes Apostoli? Nũ omnes Prophetæ? Num omnes Doctores?* minimè opinor; *Si totum corpus oculus, vbi auditus? Si totum auditus, vbi odoratus?* In homines si inuaseris, iniuria est: si vero in Deum, extrema impietas. Exempla [m] *Coræ* terræ hiatu absorpti [n] *Vzzæ* morte perculsi: & [o] *Vzziæ* lepra affecti, quod sacerdotali officio se immiscerent, nemini fere obscura sunt. De postremo ita Chrisostomus; [p] *Ingressus est (templum) vt Sacerdotium vsurparet, & amisit regnum: ingressus est, vt esset venerabilior, & execrabilior factus est. Adeò malum est, non continere nos intra fines quos Deus præscripsit, vel honoris, vel scientiæ.*

d Matth. 24
e Luc. 10
f Ezech. 33.
g 1. Pet. 2.
h Math. 13.
i 1. Cor 3.
k Heb. 13.
l 1. Cor. 12.
m Num. 16.
n 1. Sam 6.
o 2. Reg 15.
p Chrysost. hom. 5. de verb. Esai Vidi Dominum.

Quod de populo dico; idem de laicis Senioribus affirmo, qui pars tantum populi sunt. Nam quod toti interdicitur, nec cuilibet eius parti permittitur. Si laici Ecclesiasticas functiones vsurpare possint, quid nî populus etiam possit? sin populo non liceat, qua ratione Senioribus licebit, cum vtrique laici sint? Si Ecclesiasticorum officiorum executionem euitent, & eorum inspectionem sibi vendicent, è Scylla (vt aiunt) in Charibdim incurrunt; hoc est, à verbo se subtrahunt, & gladio se implicant. Rectores Ecclesiæ, qui nec Ministri, nec Magistratus sint, à meo sensu longissime remouentur. Si quis autem tantus artifex existat, vt mediam inter hos iurisdictionem reperire possit, qua neutri eorum fiat iniuria, libenter ei aures præberem. Quanquam nihil attinet de modo gubernandi laicis Senioribus peculiari disputare, antequam de personis eorum constet inter nos, ad

quos

quos priuilegium illud pertinebit. Vbi fidem nobis feceritis, tales in Ecclesia fuisse Seniores, tum demum rogandi estis, vt officium eorum iuxta diuini verbi antiquorumque Patrum præscripta describere velitis; intereà certo persuasi sumus nullos eiusmodi Rectores nec ab Apostolis relictos, nec ab eorum successoribus receptos fuisse. Loca Scripturarum, ac Patrum pro laicis Senioribus aduocata diligenter studioseque examinauimus, nec vestigium tamen eorum inuenimus. Presbyteros (fateor) & Præsules legimus; cur autem laicos fuisse putemus, nulla probabili ratione ducimur. Contra eos omnia antiquitatis monumenta pugnant, siue Concilia, siue Constitutiones, siue Patres, quæ Presbyterorum mentionem alicubi fecerunt. Si cuiusquam Scriptoris verba transponam, aut lectori fucum faciam, proferantur tabulæ, & errori meo mea sponte renunciabo. Interim Deum arcanorum omnium cognitorem testor, quanto studio elaborauerim, vt sanam ac simplicem viam ingrederer, in neutram partẽ declinando, nisi quo veritas ipsa mihi manus inijciens me plane reuocauerit.

Duo restant hominum genera (de laicis enim Senioribus semper profiteor, nihil ijs cum huiusmodi negotijs fuisse) ad quos munus pensumque Apostolicum, quod perpetuo in Ecclesia manere debet, recte commendari & committi possit: Presbyteri & Episcopi. Per Presbyteros, eos intelligo, quos Catholici Patres & Concilia, seruato nomine, medios inter Episcopos & Diaconos collocant, quandò Clerum in Episcopos, Presbyteros & Diaconos dispartiunt. Laicos Seniores velut omni antiquitati ignotos prætereo; adeò vt vbicunque Presbyteriorum mentionem faciam, eorum Presbyterorum cœtus intelligam, qui & Clerici erant, & in qualibet Ciuitate cum Episcopo diuinis rebus inseruiebant, maioraque Ecclesiæ negotia communi consilio pertractabant. Quod quidem omnes præmonitos velim, ne vocabuli (Presbyter) in hoc Capite frequens vsus lectorem incertum aut ancipitem reddat.

Nunc de temporibus dicendum est. Apostolis in erudiendis moderandisque Ecclesijs, præsentibus quidem adiu-

tores, abſentibus vicarij; decedentibus verò aut vita defunctis, ſucceſſores decreti erant. Vnde ſummatim colligo: *Res* ab Apoſtolis deſcendentes, ſemperque in Eccleſia obtinentes, fuiſſe verbi ac Sacramentorum diſpenſationem, clauium manuumque diſpoſitionem; *Perſonas*, quibus commiſſæ fuerint, Presbyteros aut Epiſcopos fuiſſe; *Tempora* deniq; præſentiam, abſentiam, diſceſſionem, aut è vita migrationem Apoſtolorum. Has partium diſtinctiones ſi obſeruemus, quid in hac quæſtione tenendum erit, facilè dijudicabimus, ſin negligamus aut confundamus, ad verum Eccleſiæ regimen non magis pertingemus, quàm ſi in aërem collimemus. Primùm igitur de verbo & Sacramentis.

Ac negari quidem non poteſt, quin vt verbum & Sacramenta ſunt eſſentialia Eccleſiæ ſemina; ſic eorum tractatio & in aruo Dominico ſeminatio velut præcipua omnibus Paſtoribus & Presbyteris cura in commune mandata ſit. Siue enim Apoſtoli, ſiue Euangeliſtæ, ſiue Prophetæ, ſiue Paſtores, ſiue Doctores ſint, quos [q] Paulus ad Epheſios in Miniſterio annumerat; vel quos Spiritus ſanctus alijs in locis [r] Epiſcoporum & Presbyterorum nominibus deſignat; poteſtas hæc omnium communis habetur. Abſque his enim, [s] *Sancti non coaleſcunt, Eccleſia non ædificatur, fides non perficitur*, cœli porta non recluditur. Quamobrem quod ad verbi annunciationem & Sacramentorum miniſtrationem attinet, Scripturæ nullum inter Paſtores & Doctores, Epiſcopos & Presbyteros diſcrimen agnoſcunt. Si Chriſtus ipſe vtrumque Apoſtolis ſuis eadem legatione non demandaſſet, quando edixit ijs vt [t] *docerent omnes populos, ac baptizarent eos*; Paulus tamen apertè docet, è duobus his, verbi prædicationem magis præcipuam Apoſtolici muneris ſui partem fuiſſe: [u] *Chriſtus*, inquit, *non miſit me vt baptizarem, ſed vt euangelizarem*; non quo vtrumque ſibi creditum negaret, ſed vt alterum pluris eſſe oſtenderet. Eodem modo Iohannes [x] *Baptiſmum pœnitentiæ prædicauit*; nec promiſſionem verbi à confirmatione Sacramenti diuiſit, ſed ambas velut cohærentes inter ſe & affines vno nexu colligauit. Neque enim Deus vacuæ pollicitationis nuncios mittit, ſed

q Epheſ. 4
r Tit. 1. 1. Pet. 5. Act. 20
s Epheſ. 2.
t Matth. 28.
u 1. Cor. 1.
x Luc. 3.

sed Sacramentis tanquam sigillis quibusdam promissionum suarum fidem obsignat. Cuicunque igitur annunciandi verbum curam mandauit, huic etiam dispensandi Sacramenta potestatem dedit: quemque Euangelij sui Ministrum in Ecclesia constituit, vt ex ipsius ore cœlestem fidei doctrinam imbiberemus, illius manibus sacro fonte ablui licebit: vt exemplo Philippi conuertentis ac baptizantis, non [y] *Eunuchum* solum, sed totam Samariæ ciuitatem apparet: qua ratione meritò Augustinus Presbyteros iuxta ac Episcopos, [z] *verbi & Sacramentorum Ministros* appellat.

y Act.8.

z August. epistola 148.

Prodijt non ita pridem distinctio quædam nuper excusa, qua asseritur: Pastores beato Paulo eos fuisse, qui non solùm verbi & Sacramentorum, sed gregis animarumque curam habebant: Doctores verò eos, qui in doctrina laborabant, non tamen Sacramentorum aut animarum curam gerebant. Apud Ambrosium quidem pro infantium [a] Catechistis alicubi sumuntur: & Alexandriæ * moderatores quidam Scholarum (Academiarum nostrarum instar) erudiendæ in spem Ecclesiæ iuuentuti fuerunt. Hi autem vtilia Reipublicæ membra, non necessarij Ecclesiæ Ministri erant. Et vtut Alexandriæ ad tempus durarunt, aliæ tamen Ciuitates & Ecclesiæ huiusmodi Doctores minimè habuerunt. Quid? quod Catechistæ, & Scholarchæ illi (quales Pantenus Clemens & Origines) laici fuerunt, nec vnquam Alexandriæ publicè in Ecclesia docuerunt, vt ex literis Demetrij Alexandrini Episcopi ad Episcopos Hierosolymitanum & Cæsarienſem scriptis liquet, grauiter eos increpantis, quod Origenem, postquam munere Catechistæ Alexandriæ perfunctus esset, coram populo diuinas Scripturas exponere permisissent: in quibus illud etiam adijcitur: [b] *quòd nunquam auditum sit, nec vnquàm factum, vt laici præsentibus Episcopis in Ecclesia docuerint.* Qua fronte Episcopus Alexandrinus Origenis factum improbare potuit, si ita in ipsius Ecclesia vsitatum fuisset? Quinimò episcopi ipsi, qui facti illius rationem reddiderunt, non vt perpetuum Ecclesiæ morem defendunt: sed tria tantùm exempla prętendunt, nec plura nosse se profitentur. Quamobrem nisi exemplis illis

a Ambr. in 4. cap. Ephes.

* Euseb. lib. 5. cap. 10.

b Euseb. lib. 6. cap. 19.

plus rationis & momenti ineſſet, malo Hieronymi, Auguſtini, Chryſoſtomi, Theodereti, aliorumque ſequi iudicium (quibus perſuaſum eſt Apoſtolum vt oſtenderet quæ Paſtoralis officij partes eſſent, idē munus duobus nominibus deſignaſſe) quàm nouas iſtorum coniecturas.[c] *Paſtores & Doctores* (inquit Auguſtinus) *quos maximè vt diſcernerem voluiſti, eoſdē puto eſſe, ſicut & tibi viſum eſt; non vt alios paſtores, alios doctores intelligamus, ſed ideo cum præduxiſſet, Paſtores, ſubiunxiſſe Doctores, vt intelligerent Paſtores ad officium ſuum pertinere doctrinam.* Hieronymus, [d] *Omnem Paſtorem doctorem eſſe ait.* Chryſoſtomus. [e] *Paſtores & Doctores eos vocat, quorum fidei totus populus erat creditus; & inferiores ijs erant, qui Euangelizantes omnes obibāt regiones: quia in vno loco erāt occupati.* Theodoretus: (Paulus)[f] *Paſtores & Doctores dicit, qui Ciuitati aut Pago deputati & affixi erant.* Oecumenius: (*Per Paſtores & Doctores*) [g] *Paulus Epiſcopos intelligit, quibus Eccleſiæ creditæ erant.*

c Aug. Ep. 59

d Hiero. in Epheſ. cap. 4.

e Chryſ. ſerm. 11 in Epheſ. 4

f Theod. in Epheſ. 4

g Oecum. in eodem.

Sed ſi darem Paſtores & Doctores diſtincta in Eccleſia munera fuiſſe, quid ex eo? Hinc efficitur diſpares in Eccleſia gradus fuiſſe; præterea nihil. [h] *Obedite Præpoſitis veſtris*, inquit Apoſtolus, *& ſubditi eſtote, ipſi enim vigilant pro animabus veſtris, tanquam rationem pro ijs reddituri.* Obedientia & ſubiectio Paſtori à toto grege omnibuſque eius membris, quotquot Paſtores non erant, debitæ cenſentur: Doctores autem, ſecundum vos, Paſtores non erant: ergò Paſtoribus inferiores, & eorum inſpectioni erant ſubditi. Iam vtrum velitis, veſtra ſit electio; ſi Paſtores ijdem cum Doctoribus fuerint; concidit vnum eorum officiorum, quæ perpetuò in Eccleſia debere eſſe contenditis: ſin diuerſi ab illis; ſuperiores erant Paſtores; & proindè inter verbi Miniſtros (tales enim Paulo Doctores fuerunt) diſpares gradus confitemini.

h Heb. 13.

Atque hæc de verbo & Sacramentis, quorum diſpenſatio omnibus Apoſtolis, Euangeliſtis, Prophetis, Paſtoribus, & Doctoribus ſine dubio communis erat, adeoque Presbyteris & Epiſcopis; licet eorundem moderatio & inſpectio ad ſolos Apoſtolos tam abſentes, quàm præſentes (etiam tum, cum adminiſtratio eſſet alijs concredita) peculiari iure re-

reseruarentur.

Duæ reliquæ authoritatis Apostolicæ partes, scilicet clauium potestas, & manuum impositio, quæ disciplinam & gubernationem Ecclesiasticam propiùs attingunt, etiam perpetuis temporibus in Ecclesia permanere debent. Claues autem istæ duplicis sunt generis: clauis scientiæ verbo alligata; & clauis potestatis Sacramentis affixa. Scriptores quidam nostra ætate dum alteram harum acriùs vrgent; alteram tollunt; in quo tamen nec cum Scripturis, nec cum Patribus consentiunt, qui vtramque tenent, & tuentur. De *Claui scientiæ* dubitare non licet, quam Christus disertis verbis affirmauit: [i] *Væ vobis Legis interpretibus, quoniam sustulistis clauem cognitionis; ipsi non introistis, & eos, qui introibant, prohibuistis.* Potestatis clauis his Christi verbis ostenditur, primò ad Petrum: [k] *Tibi dabo Claues regni cœlorum, & quodcunque ligaueris in terra, ligatum erit in cœlis, & quodcunque solueris in terra, solutum erit in cœlis.* Deinde ad Apostolos omnes: [l] *Quicquid ligaueritis in terra, ligatum erit in cœlis; & quicquid solueritis in terra, solutum erit in cœlis.* Denique vbi post resurrectionem suam similiter omnibus inquit, [m] *Accipite Spiritum sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt.* Ac ne locos istos ad prædicationem Euangelij cum recentioribus quibusdam referamus, manifestissimè repugnant verba Pauli de incesto Corinthiaco, vbi ait; [n] *Sufficit iustiusmodi homini obiurgatio illa à pluribus profecta: vt è contrario potiùs vos (ei) condonetis, & consoleminì (eum) nè quo modo abundante tristitia absorbeatur. Cui vos condonatis, & ego condono. Nam si quid ego condonaui, propter vos condonaui in conspectu Christi.* Quemadmodum Paulus incestuosum hunc Satanæ anteà tradiderat, & Ecclesia cœloque excluserat: ita nunc peccatum suum deplorantem ac detestantem, ad Ecclesiæ pacem, mensæ Dominicæ participationem, & regni cœlestis spem, hæreditatemque restituit. Neque verò hoc fecit verbum ei annunciando, vtpotè absens ab Ecclesia illa; sed *condonando ei in conspectu Christi* & Ecclesiæ, vti Apostolicæ authoritati conueniens erat. Has ambas claues, *Scientiæ & Potestatis*, [o] *Ambrosius*

i Luc. 11.

k Matth. 16.

l Matth. 18.

m Ioh. 20.

n 2. Cor. 2.

o Ambros. serm. 66.

broſius ſermone 66, & Origines tractatu in Matth. 25. (addita his tertia) commemorat: p *Beati qui aperiunt regnum cœlorum vel verbo vel opere ſuo bono. Benè enim viuentes & benè docentes verbum veritatis coram hominibus recludunt regnum cœlorum, dum ipſi intrant, & alios introire prouocant.*

p Origen. tract. 25. in Math cap. 23.

Verùm Scriptoribus, inquies, hiſce nouitijs propoſitum fuit, non vt clauem poteſtatis omninò tollerent; ſed vt verba Chriſti ad Petrum reliquoſque Apoſtolos, potiùs ad Euangelij prædicationem quàm ad Sacramentorum interdictionem pertinere docerent: Eccleſiæ tamen ſiuè Presbyterio, clauium poteſtatem, hoc eſt, ſacro cœtu prohibendi manifeſtos & obſtinatos peccatores, plenam authoritatem tribuunt. Præuident certè id quod futurum eſt, ſi clauium poteſtas Apoſtolis eorumque ſucceſſoribus demandata ſit, laicos Seniores (qui Apoſtolorum *loco minimè ſuccedunt*) nihil iuris in ijs habituros eſſe. Hoc quia ſatis ad demoliendum noui Presbyterij ædificium erat, idcircò ipſius Patroni verba Chriſti aliò transferunt; excommunicationiſque fundamentum ad 18. cap. Matth. rejiciunt, vbi Eccleſiæ mentio fit, non Apoſtolorum. Verùm hoc eorum commentum pro laico Presbyterio functionem Apoſtolicam funditùs euertit, ac Patres ad vnum omnes apertiſſimè ſibi repugnantes habet, vti q ſuperius demonſtrauimus.

q Supra. c 9.

Itaque miſſis laicis Eccleſiæ Senatoribus, ad quos Claues Apoſtolorum omninò non pertinent, reliquum eſt, vt quibuſnam creditæ ſint; hoc eſt, vtrum æqualiter omnibus Presbyteris, an præcipuè Paſtoribus & Epiſcopis, pari ſtudio inueſtigemus. Idem etiam de manuum impoſitione faciendum. Ante verò quàm quæſtiones haſce definiamus, videndum eſt, quando cœperint eſſe Epiſcopi, & à quibus ortum & probationem habuerint. In quo, perquiſitis antiquorum Patrum ſententijs, rectà ad recentiorum illorum opiniones perueniemus, qui ſacrum Epiſcoporum munus conuellunt.

De his itaque Epiphanius: r *Non omnia ſtatim potuerunt Apoſtoli conſtituere, Preſbyteris enim opus erat & Diaconis: per hos enim duos Eccleſiaſtica compleri poſſunt. Vbi verò non inuen-*

r Epiphan. cont. hæreſ. li. 3. hære. 75.

tur

tus est quis dignus Episcopatu, permansit locus sine Episcopo; vbi autem opus fuit, & erant digni Episcopatu, constituti sunt Episcopi. Singulæ res non ab initio omnia habuerunt, sed progressu temporis, quæ ad necessariorum perfectionem requiruntur, parabantur; Ecclesia hoc modo complementa dispensationis accipiente.

Paulò aliter Ambrosius: (Apostolus) [f] *Timotheum Presbyterum à se creatum Episcopum vocat, quia primi Presbyteri Episcopi appellabantur; vt recedente eo, sequens ei succederet. Sed quia cœperunt sequentes Presbyteri indigni inuentri ad primatus tenendos, immutata est ratio, prospiciente Concilio; vt non ordo sed meritum crearet Episcopum, multorum Sacerdotum iudicio constitutum, nè indignus temerè vsurparet, & esset multis scandalum.*

[f] Ambros. Ephes. 4.

Minimè obscura Hieronymi sententia ex illis, quæ anteà recensui, verbis apparet; in quibus summatim hoc dicit: [t] *Antequam studia in religione fierent, idem Presbyter qui & Episcopus erat, & Ecclesiæ cura æqualiter inter plures diuidebatur:* sed cum ij, qui docebant ac baptizabant, Discipulos suos ad se trahere cœperunt, *toto orbe decretum est*, vt ad tollenda schismata & dissidia *vnus de Presbyteris electus superponeretur cæteris, ad quem omnis Ecclesiæ cura pertineret, quem Episcopum nominarunt.* Ita *Ecclesiæ magis consuetudine, quàm dispositionis Dominicæ veritate, Episcopi Presbyteris maiores euaserunt*, quibuscum *in commune Ecclesiam regere deberent.* Nihil ex eo immutaui aut omisi, quod ad rem quoquomodo pertineret.

[t] Hieron. in Tit. 1. & Epist. Euagrio.

Quidam nostri temporis Theologi (quorum studia & labores in Ecclesia alioqui laudo & amplector, iudicium tamen in hac parte non sequor) ex Ambrosio & Hieronymo conantur adstruere, Apostolorum ætate Episcopos & Presbyteros eosdem fuisse; tantùm singulis Presbyterijs vnum aliquem præfuisse, qui ea quoties opus esset, congregaret, & agitanda in Concilio proponeret: quam quidem præsidendi vicem (vt nonnulli putant, hebdomadariam) Sacerdotum ritu in veteri lege, quibusque eorum fuisse communem. Hunc moderandi Presbyteria morem solum aiunt Apostolicum esse & diuinum; cæteros omnes posteà in Ecclesia visitatos, hominum inuentiones & traditiones esse.

Optarem equidem, ne excellentissimis plerumque ingenijs vsu veniret, vt partium studia atque præiudicia rationem eruditionemque eorum peruerterent. Verùm præstantissimis quibusque in Ecclesia Dei (Apostolos semper excipio) contigisse video, vt alij priuatis opinionibus plus æquo addicti, alij manifestis erroribus abrepti fuerint; quo magis recentioribus hisce ferendum videtur, si priùs rationes eorum accurato iudicio perpendamus, quàm temeraria fide comprobemus. Scire autem, discendi causa, ab ijs peruelim, vbinam mihi legant, Episcopos Apostolorum temporibus annuos aut hebdomadarios fuisse; atque hanc præsidendi vicem singulos Presbyteros ordine suo tenuisse? Ambrosium quidem authorem nominant; verùm nihil eiusmodi apud eum inuenio. Certè ait,* *Primi Presbyteri Episcopi appellabantur, vt recedente eo, sequens ei succederet.* Non dicit, primo post annum, aut hebdomadam ab officio recedente, reliquos ordine successisse, sed *recedente eo* (puta morte, derelictione, translatione, persecutione, depriuatione, perpetuo languore, aut qua alia simili causa) proximum, non electione, sed ordine, locum ipsius occupasse. Hinc conjicere licet, Apostolos primis illis temporibus, in ordinandis Presbyterijs id tolummodo spectasse, vt quisque pro spiritualium donorum mensura locum in ijs obtineret; ac simul etiam præscripsisse, vt senior siue primus, conuentus eorum moderaretur, donec aliter constitutum foret; & decedente eo quacunque occasione, nulla præeunte populi aut Presbyterij electione, secundus ordine ei succederet. Quid autem verbis sententiéque Ambrosij magis repugnet, quàm hebdomadariam hanc aut mensiruam præfecturam per omnes Presbyteros, obambulasse, cùm non omnes Presbyteros, sed *primos* solùm affirmet Episcopos fuisse? Nam si omnes in vicem Episcopi, quomodò primus solus esse potuit? Si omnes primi, quis secundus, aut tertius fuit? Per primos itaque Presbyteros non omnes eos intelligit, qui prima Ecclesiæ ætate sub Apostolis fuerunt: (alioqui omnes essent Episcopi, null. Presbyteri, quod apertam habet ἀτοπολογίαν) sed per *primum & sequentem*, ordinem denotat,

* Ambros. in Ephes. 4.

notat, quo quisque ab Apostolis constitutus esset.

Ipsum verò audiamus Ambrosium: [u] *Hic enim Episcopus est, qui inter Presbyteros primus est; vt omnis Episcopus Presbyter sit, non tamen omnis Presbyter Episcopus; denique Timotheum Presbyterum ordinatum significat: sed quia ante se alterum non habebat, Episcopus erat. Vnde & quemadmodum Episcopum ordinet, ostendit. Neque enim fas erat, aut licebat, vt inferior ordinaret maiorem. Nemo enim tribuit, quod non accepit.* Non omnis (inquit Ambrosius) Presbyter Episcopus erat; ergo officium illud ad omnes Presbyteros non perueniebat. Deinde Timotheus ideo Episcopus erat, quia ante se alterũ non haberet; quòd si primatus per singulos discurrebat, multis vicibus ante ac supra se alterũ habebat; adeoque nec ipse Timotheus, nisi suo ordine, Episcopus erat. Denique si omnis Presbyter vicissim Episcopus, quàm inepta Ambrosij ratio foret, quâ probare contendit, Timotheum priùs Episcopum esse oportere, quàm Episcopo manus imponeret? quia fas non erat, vt maiorem inferior ordinaret; aut quisquam tribueret, quod non acceperat. Nam si officium hoc ad omnes ordine deuenerat; ergo & creandi potestatem quisque acceperat, & vicissim alijs tribuere poterat. Quare nunquam Ambrosio in mentem venit, Episcopalem honorem Apostolorum temporibus singulis Presbyteris communicatum fuisse. Vestrum hoc est somnium, quod ne vmbram quidem veritatis in se habet; vt siqua vobis vel eruditionis, vel famæ vestræ cura sit, Ambrosio id affingere nolitis. Quibus verò ille armis pro nobis contra disciplinæ vestræ arcem pugnet, vbi opportunum erit, commonstrabimus.

[u] Ambros. in 1. Tim. cap. 3.

Verùm vt ad Patres reuertamur, & eorum dicta nihil subtrahendo, aut addendo ijs, æqua lance perpendamus; Epiphanij sententia partim perspicua, partim etiam obscura videtur. In eo tria vero perquam similia, reliquisque Patribus consentanea notaui. Primum, Apostolos nascente iam tum Ecclesia, ita omnia ad normam dirigere & perficere nequiuisse, vt adulta demum fecerunt. Ita enim Ambrosius: [x] *Postquam omnibus locis Ecclesiæ sunt constitutæ, & officia ordinata, aliter composita res est, quàm cœperat.* Quid ita? Ephes. 4.

[x] Ambros. in

nem-

nempe, primùm, Apostolis curæ erat, vt infideles Christo lucrifacerent. Secundò, vt lucrifactos gubernarent etiam ac custodirent. Hæc autem duobus his contrarijs modis apprimè procurari poterant. Ad ædificandam quidem Ecclesiam multorum opera manuque opus erat. [y] *Licet messis multa sit, si pauci sint operarij*, quomodo horrea adimplerentur? Ad Ecclesiam autem gubernandam paucorum potior est opera, nisi si consilijs opus sit. Quot enim capita, tot sensus; & in magna gubernantium multitudine æmulatio & dissentio non rarò eueniunt. Nihil mirum igitur, si Apostoli ad conuertendum nationes, cooperarios multos; ad gubernandum tamen vbique fideles paucos rectores sibi adiunxerunt. Naturæ ipsius ordo flagitat, vt prius in vnum cogantur homines, quàm regi aliquo modo possint, aut debeant; eodem modo in propaganda Ecclesia magis Euangelizantium multitudo, quàm regentium electio quærenda erat. Atque hinc quidem verissimum apparet, quod secundo loco notat Epiphanius, Presbyteros & Diaconos (quorum illi ad verbi & sacramentorum dispensationem incumbebant; isti pauperum curæ, rerumque diuinarum ministrationi inseruiebant) ab Apostolis vbique constitutos fuisse. Hi enim vt ad inchoandam Ecclesiam sufficiebant, ita ad augendam maximè idonei erant. Vnde multis in locis hos solummodò Apostoli post se reliquerunt. Quod si quæratur, à quibus Ecclesiæ illæ initio gubernarentur; Presbyterorum certè qui in verbo laborabant ea cura erat, vt gregem pascerent & amplificarent. Maior autem potestas *imponendi manus*, & *tradendi Satanæ* penes ipsos Apostolos adhuc erat, qui Ecclesias à se plantatas sæpius [z] *reuisere*, & Presbyteris (in ipso transitu) creatis, necessitati eorum consulere solebant. Tertium quod ex Epiphanio animaduertam, hoc est, quod licet ab Apostolis scriptum non inueniatur, vbique eos episcopos post se reliquisse; Scripturæ tamen satis apertè memorant, Paulum episcopos alicubi creasse, veluti Timotheum Ephesi, ac Titum Cretæ. Hactenus nihil est in Epiphanio, quod redarguere possitis.

y. Luc. 10.

z. Act 14. 15.

Forsan insciti am ipsius irridebitis, qui Euangelistam

ab

ab episcopo distinguere non potuit; vt qui vtrosque hos non Episcopos, sed Euangelistas fuisse extraordinario modo vocatos arbitremini. Verùm Epiphanium in hac parte arguere non licet, nisi Patres etiam antiquissimos & doctissimos, Eusebium, Ambrosium, Chrysostomum, Hieronymum, Oecumenium, Primasium, cæterosque eadem opera insimuletis; qui omnes vno ore Epiphanio assentiunt, Timotheum Episcopum à Paulo designatum fuisse. Sed de hoc posteà, vt de eo etiam, an Euangelista episcopus esse non potuerit: quibus cum nihil magis incertum aut insulsum esse possit, nuper tamen à quibusdam pro oraculis fundantur.

Quod in Epiphanio dubitationem habet, illud (opinor) est, quod ait, vbique locorum episcopos non fuisse constitutos, quia pauci eo munere digni inuenirentur. Quibusdam enim mirum videri potest, in tanta Prophetarum, Pastorum & Doctorum multitudine, qua Ecclesiæ Paulinæ pleræque abundabant, neminem vnum dignum fuisse, qui episcopatus honorem sustineret: cum tamen non ita multo post tot egregij Antistites inuenti fuerint, quot vniuersis terrarum orbis Ecclesijs sufficerent. Verùm vt hoc quod Epiphanius notauit, nonnulla Apostolis causa fuerit, cur pauciores initio episcopos crearint: ita aliæ, ni fallor, causæ fuerunt, cur statim in omnibus Ecclesijs episcopos constituendos esse non putarint, quas posteà commemorabimus, vbi Ambrosij & Hieronymi testimonia penitus nobis perpensa fuerint.

Ambrosius nonnihil ab Epiphanio prima fronte dissentire videtur, quòd Presbyteros & Episcopos ab Apostolis relictos Ecclesijs existimet: ac Presbyteros quidem ab ipsis Apostolis, alijsque Ecclesiarum quasi architectis, ordine quodam, secundùm merita cuiusque dispositos fuisse; data lege, vt decedente primario Presbytero (qui locum episcopi tenebat, reliquisque omnibus superior erat) secundus ordine ei succederet, & episcopalem honorem obtineret. Cum autem aliqui eorum non modò expectationi de se habitæ pares non existerent, sed Ecclesiæ scandalum procurarent

rarent, hanc ordine *succedendi* rationem mutatam ait, Episcopósque præeunte Presbyterorum iudicio & consensu electos, quò indignis aditus ad eum locum præcluderetur. Cui quidem Ambrosij narrationi facilè assentirer, si ostendisset, quando & per quos mutatio ista facta fuisset. *Prospiciente Concilio* factum ait, *ne ordo, sed meritum Episcopum crearet*. At quo, obsecro, aut vbi? Si Apostolorum Concilium aliquod intelligat, (sunt enim verba ad quodcunque paria;) nullum grauius pro Episcopis testimonium dici potest, quàm quod contra eos ex Ambrosio asseritur. Sin aliud quoduis post Apostolorum ætatem; quâ authoritate Apostolicam regendi formam mutare, aut totum terrarum orbem decretis suis astringere potuit? Sed de his posteà; interim Hieronymi testimonium sub examen reuocetur.

Tria sunt quæ Hieronymus in illis, quæ præmisi, verbis asserit. Primum, antequam studia in religione orta essent, *Episcopos & Presbyteros eosdem; Ecclesias communi presbyterorum consilio gubernatas: & Ecclesiæ curam æqualiter inter eos diuisam fuisse*. Deinde ad tollenda schismata Pastorum & Presbyterorum *dissidijs indies nascentia, toto orbe decretum esse, vt vnus de Presbyteris* in qualibet Ecclesia *superponeretur ceteris*, ad eumque posteà *omnem Ecclesiæ curam pertinuisse*. Tertiò, *Ecclesiæ potiùs consuetudine, quàm Dominicæ veritatis dispositione, Episcopos Presbyteris maiores & præpositos fuisse, quum in communi Ecclesiam regere deberent*.

Hæc Hieronymi verba, pro temporis ratione, ad quod referantur, vel admodum vera, vel manifestò falsa esse possunt. Si eò referas, vt viuentibus iam tum Apostolis, Episcopi ijdem omninò cum Presbyteris fuerint, nec quicquam plus iuris ijs in Ecclesia habuerint; Hieronymum non modò cum Scripturis, sed & secum, & cum vniuerso priscorum Patrum cœtu, Ecclesijsque Apostolicis, quæ à Christo ad hunc vsque diem fuerunt, aduersa fronte pugnantem constituis; omnes enim in contraria parte versantur. Quòd si ita intelligas, vt Apostoli aliquamdiù æqualem Presbyteris potestatem tribuerint, & in communi Ecclesias guber-

nare

nare permiserint, (ipsis scilicet ad clauum sedentibus, & quoad præsto essent, summam rerum vbique moderantibus) donec factionibus & dissidijs gubernantium (vt in tanta multitudine ferè fit) Ecclesiæ vnitas diuideretur; atque hac occasione coacti Apostoli nouam regendi rationem inirent, & vnanimi Ecclesiarum omnium consensu (vt quæ vel ipsæ plerumque contentionibus laborabant, vel aliorum periculo sibi metuebant) quamlibet Ecclesiam vni solummodò Pastori crederent, relicto hoc Ecclesiæ in perpetuum exemplo; nihil aptius, vel amplius à Hieronymo ne optarem quidem dici. Nunc igitur ad caput causæ venio. Christianus lector diligenter hîc animaduertat, vter nostrûm certiores & locupletiores testes produxerit, & secundum eum ferat iudicium.

Hieronymus multis Scripturis liquidò probat, Presbyterum & Episcopum fuisse nomina personis ijsdem communia. Paulus accitos à se Ephesinæ Ecclesiæ Presbyteros sic affatus est: [a] *Attendite vobis ipsis, & toti gregi, in quo constituit vos Spiritus sanctus ἐπισκόπους, Episcopos, vt pascatis Ecclesiam Christi.* Idem in epistola ad Philippenses inscripta, ait: [b] *Omnibus Sanctis qui sunt Philippis vnà cum Episcopis & Diaconis.* Similiter ad Titum: [c] *Propterea reliqui te in Creta, vt Presbyteros in qualibet ciuitate constituas, si quis inculpatus sit; oportet enim Episcopum inculpatum esse.* Petrus etiam ad Iudęos dispersos scribens, ait: [d] *Presbyteros qui inter vos sunt, precor ego Compresbyter, pascite gregem Dei qui penes vos est, ἐπισκοποῦντες, inspectionem agentes; non coactè, sed libenter.*

a Act. 20.
b Philip. 1.
c Tit. 1.
d 1. Pet. 5.

His locis omnes Presbyteri, qui gregem pascebant, ijdem Episcopi appellantur: fateor, nihil enim apertiùs. Quid tum indè? *Ergò*, officia tunc temporis eadem erant. Imò, *Ergò* nomina tunc communia erant. Alioqui quid de hoc argumento vobis videtur? Petrus se [e] *συμπρεσβύτερον*, Compresbyterum appellat; nunquid igitur idem Apostolorum & Presbyterorum officium? De Iuda in Actis Apostolorum Petrus ait: [f] *τὴν ἐπισκοπὴν αὐτοῦ, Episcopatum ipsius accipiat alter*: nihil ergo interest inter Apostolum & Episcopum? Tu si vnum admiseris, ego alterum. Nomina promiscua possunt esse, licet

e 1. Pet. 5.
f Act. 1.

cet officia sint diuersa. *Nulli tunc in Ecclesia Ephesina, aut inter dispersos Iudæos, Episcopi erant, nisi qui Presbyteri essent, vtq; in vna Ecclesia sæpenumerò multi.*] Distingue tempora,& recõciliabis Scripturas.Fuit,teste Hieronymo,tempus,quũ *Ecclesiæ communi Presbyterorum consilio gubernarentur.* Illo tempore Paulus hanc ad Presbyteros Ephesinos orationem habuit. Illo, Petrus ad Presbyteros Iudæorum Epistolam scripsit. Posteà, gliscentibus Doctorum & Pastorum dissidijs, Apostoli aliam gubernandi formam constituerunt, electo vno aliquo singulari fide & doctrina prædito, qui ad clauum Ecclesiæ cuiuslibet sederet,& Pastoris loco gregi præesset; cæteris in Euangelij prædicatione ei adiunctis, & in consilij partem tantùm vocatis. *Illud si probaueris aliquid mihi dicis.*] Nisi id ego certioribus multò, quàm tu laicos Presbyteros, argumentis demonstrauero, valeant per me Episcopi vnà cum Presbyteris vestris. *Nunquid verò rationibus è Scripturarum sacrario depromptis docebis?*]Eo modo docebo,vt tu ne hiscere quidem contra possis, nisi & verbo & Ecclesiæ Dei repugnare volueris. *At quid demùm illud erit?*] Nempè, Apostolos, dum viuerent, vnum cuilibet Ecclesiæ Pastorem præfeciſſe; ac proindè mutationem illam, quam Hieronymus innuit, à communi & æquali Presbyterorum potestate ad particularem & præcipuam Ecclesiarum per Episcopos moderationem, viuentibus ac videntibus Apostolis factam, ijsque authoribus sancitam fuisse. Quoad enim Apostoli in viuis existerent, nemini, nisi eorum authoritate, disciplinæ Ecclesiasticæ formam ab ipsis præscriptam mutare licuit. *Si ab Apostolis vnquam decretum fuisset, in eorum scriptis alicubi extaret; quod nusquàm tamen appæret. Præterea, si ab ijs originem accepisset, meritò institutionis diuinæ nomen haberet; at hoc Hieronymus expressè negat.*] Doctrina Apostolorum ex eorum scriptis certò constat; successores verò minimè. Quomodò enim literis mandarent, quos successores sibi post mortem essent habituri? Annon vniuersa Christi Ecclesia satis idonea huius rei testis videtur? Si non Ecclesijs credamus ab ipsis Apostolis fundatis, & edoctis, nec discipulis qui & vnà vixerunt, & in locum eorum proximè successerunt; quis sapiens

vestris

vestris incertissimis suspicionibus, & leuissimis coniecturis, de rebus mille quingentis annis ante vos natos gestis, fidem adhibuerit? Sed tamen ne Scripturas defugere videamur, nisi hæ etiam à nobis steterint, viceritis. Antequàm verò pedem in hac re altiùs ponam, adferam aliquot rationum momenta cur Apostoli omnibus Ecclesijs ab ipsis plantatis Episcopos statim non præfecerint.

Rationes, cur Apostoli initio Euangelij Ecclesias Episcoporum tutelæ non cõmiserint, has tres animaduerti. Primò quia imponendi manus & excommunicandi grauiore aliquo scelere adstrictos supremam sibi potestatem retinuerunt; veluti, quos Christus ipse Episcopos & inspectores Ecclesiæ suæ summa cum authoritate constituerat. Tametsi enim ad pascendum, ducendum, custodiendumque gregem Presbyteros sibi adiutores asciuissent; maiora tamen Ecclesiæ negotia, cuiusmodi fuerunt, dona Spiritus sancti tribuere, Satanæque tradere, quoad in illis mundi partibus adessent, ipsi soli administrabant. Secunda est eadem, quam Epiphanius priùs notauit, quòd licèt multos prædicandi laude præstantes viros illa prima Euangelij ætas ferret, nemini tamen eorum maximam hanc & grauissimam in Ecclesijs prouinciam credere voluerunt Apostoli, nisi quorum fidem, grauitatem, & prudentiam perinde atque ingenium & doctrinam perspectam haberent. Tertiò, ne Discipulorum suorum honori potiùs, quam infidelium conuersioni studere viderentur, quid multorum gubernatorum æqualitas secum adferret, Ecclesias primo experiri passi sunt; donec omnium rerum perturbatio & confusio hinc oriretur. Vnde factum est vt Apostoli aliquò discessuri quosdam spectatæ fidei Pastores in singulis locis, cogente necessitate, constituerent; Ecclesijs eos vltrò recipientibus, vt quæ cum periculo suo didicissent, quantas turbas, quot hæreses & schismata Doctorum prauitas & discordia peperissent; quodque restinguendis ijs incendijs confusa Presbyterorum dominatio & æqualis potestas nullo modo sufficere posset. *At harum rerum nullam in Scripturis apparent vestigia.*] Si Patres solummodò hæc dicerent, plura tamen pro Episcopis, quàm vos pro laicis

cis Presbyteris attulimus; verùm è Scripturis etiam harum rerum authoritatem accipietis. Non enim cuiquam vel mediocriter in ijs versato nouum est, Apostolos in collocandis primarum Ecclesiarum fundamentis sibi potestatem imponendi manus, & tradendi Satanæ, quam Patres Episcopalē appellant, retinuisse. Hanc enim saluo Apostolatu amittere non poterant. Vobis igitur ex Scripturis probandū est potestatem eam cuiusq; loci Presbyteris esse concessam, alioquin firma manet & stabilis nostra assertio, quòd sibi tantùm retinuerint. Habuisse enim Apostolis certò cōstat; delegasse verò cuiusq; Ecclesiæ Presbyteris probari non potest. Imò, Patres negāt Apostolos alijs quā episcopis potestatē hanc tribuisse, vel veriùs pernegant; quorum documenta, vtut eludere conemini, plus roboris & neruorum habent, quàm vos putatis.

Multi Ephesi Presbyteri fuerunt præter Timotheū; multi Cretæ pręter Titū: Paulus tamen alterū Ephesi, *ad imponendū manus*, alterū Cretæ, *ad constituendū* oppidatim Presbyteros reliquit. Si sine his par facultas vtriusq; loci Presbyteris fuisset, frustrà Paulus, & vt facerent iussisset, & modū etiam pręscripsisset. Cæterùm hæc illis tributa potestas Patrū iudicio satis demonstrat, presbyteros sine his nihil potuisse. At hi Euangelistæ, inquis, non Episcopi erant. Esto; ergo neque Ephesi, neq; Cretæ quisquā erat, qui manus iure posset imponere, cùm tamē Presbyteros vtraque satis multos haberet: ex quo efficitur potestatē hanc non Presbyteris cōmunem, sed Apostolis, eorumque legatis peculiarem fuisse. *At Paulus hanc facultatem Presbyterio tribuit, quando Timotheum ab eo impositionem manuum accepisse scribit.*] A me superiùs est ostensū, quoquo modo verbū illud accipiatis, nihil eiusmodi indè effici. Si Presbyteri gradum illic significet, quem Timotheus eo tempore adeptus est (vt Hieronymo placet:) à vestra ratione nihil alienius. Sin pro cœtu eorum, qui ad ordinandum Timotheum congregati erant, pluſquam Presbyteri fuerunt, si Chrysostomo creditis; alioqui manus ad Episcopum eum ordinandum imponere non potuerunt. Quòd si Chrysostomus vobis errare videatur, qui locum hunc aliter atque vos exposuerit; dabitis tamen Paulo veniam, vt se in ordinatione Timothei Presbyterio interfuisse

eiúque manus impoſuiſſe narret. Sed de his quia ſuperiùs à me dictum eſt, ad ea lubens vos remitto; nunc tantùm admonendi eſtis, nihil eiuſmodi hoc loco elici poſſe.

Idem propemodum de tradendi Satanæ poteſtate dicendum, quam penes ſolos Apoſtolos fuiſſe certum eſt. [h] *Si quis non obedierit ſermoni noſtro, hunc per Epiſtolam* (inquit Paulus) *notate, & nè commercium cum eo habetote.* Vt quid eum Paulo per Epiſtolam notarent, niſi pœnam in eiuſmodi delinquentes ſibi reſeruaſſet? [i] *Vultis, vt virga veniam ad vos, an cum ſpiritu lenitatis?* [k] *Si rurſus venero, non parcam (his) qui antè peccarunt, nec reſipuerunt.* Hinc, opinor, ſatis apparet maiora delicta Apoſtolicæ cenſuræ reſeruata, non Presbyterorum iudicio ſubiecta fuiſſe. [e] *Apoſtoli habentes hanc poteſtatem non faciunt, quò minus Preſbyteris etiam communis fuerit. Paulus enim non modò iubet Eccleſiam Corinthiacam inceſtuoſum illum excommunicare, ſed quòd anteà non feciſſent, acriter obiurgaret.*] Paulus non ideò reprehendit eos, quòd ſceleratum illum Satanæ non tradidiſſent; ſed quia non [l] *luxiſſent, vt tolleretur è medio ipſorum.* Si eodem tempore illum Paulo notaſſent, cum de alijs rebus ad eum ſcripſiſſent, vt pœnam tanto ſceleri debitam imponeret, officio ſuo functi fuiſſent. Factiones inter ſe enutriebant, & donorum præſtantia alij in alios intumeſcebant; ſed tam deteſtandum ſcelus in conſpectu fidelium pariter ac infidelium perpetrari, nemo eorum ingemiſcebat, nemo vel per literas ſaltem Apoſtolo ſignificabat, quò à ſacra ipſorum communione excluderetur. Hoc in ijs reprehendit Paulus, hoc conqueritur, vltrà requirit nihil. [m] *Epiſtola eum* (Paulo) *notare*, & commercio ipſius abſtinere debuerant, donec Apoſtolus, quid de eo fieri vellet, decreto ſuo declaraſſet. *Nequicquam verò hæc. Apoſtoli enim, nec erant Epiſcopi, nec eſſe poterant.*] Apoſtolos non modo eſſe potuiſſe, ſed fuiſſe etiam Epiſcopos, Patres vno ore conſentiunt. Cyprianus; [n] *Apoſtolos, id eſt, Epiſcopos, Dominus elegit.* [o] *Apoſtoli, Epiſcopi ſunt*, inquit Ambroſius. Idem Epiphanius; *Romæ fuerunt primi Petrus & Paulus, Apoſtoli ydem ac Epiſcopi.* His adde Chryſoſtomum: [p] *Iacobus Epiſcopi officium Hieroſolymis habuit.* [q] *Iacobus* (teſte Euſebio)

h 2.Theſſ 3.
i 1.Cor.4.
k 2.Cor.12.& 13.
l 1.Cor.5.
m 2.Theſſ.3.
m Cypr.lib 3. cap 9.
o Ambr. in 4.Epheſ.
p Chryſoſt.ho 3 in Act. Apoſt.
q Euſeb.lib.3. cap.5.

primus post ascensionem Seruatoris episcopalem sedem (Hierosolymorum) sortitus est. Hieronymus, qui multa contra dignitatem Episcopalem disputare putatur, ita scribit: [r] *Petrus post Episcopatum Antiochiensis Ecclesiæ Cathedram Sacerdotalem Romæ tenuit.* Et [s] *Iacobus post Passionem Domini statim ab Apostolis Hierosolymorum Episcopus ordinatus est.* Theodoretus: [t] *Apertè ergò docuit (Paulus) Episcopalem dispensationem (Epaphrodito) fuisse creditam, cum haberet appellationem Apostoli.* Quid plura? Superiùs admonui Petrum ipsum quodam loco Apostolatum [u] Episcopatus nomine designasse. Et meritò, si enim ἐπισκοπεῖν gregem Domini inspicere denotet; quibus hoc nomen meliùs conuenit, quàm Apostolis? *At plus quàm Episcopi erant.*] Plus etiam quàm Presbyteri; & tamen non ignarus dicendi Petrus erat, cum se συμπρεσβύτερον nominaret. *Episcopi vnius loci sunt, Apostoli multorum.*] Episcopi vni Ecclesiæ affixi sunt, non ex vi nominis, sed ex institutione Spiritus sancti, qui Apostolos multorum locorum inspectores constituit, Pastores verò vnius tantùm. Quanquàm qui multarum vrbium curator & inspector est, singularum etiam sit, necesse est. Quamobrem Apostoli Episcopi erant, & plusquam Episcopi, exemplo Iohannis, [x] *Qui plus quàm Propheta erat;* [y] *Propheta tamen.* [*Num confundis officia haec?*] Imò distinguo magis, cum omnem Apostolum, Prophetam, Episcopum, Presbyterum fuisse, non omnem Presbyterum, Episcopum, aut Prophetam Apostolum fuisse contendam. [z] *Omnes Christi ministri, pastores gregis, & dispensatores mysteriorum* ipsius erant: Apostoli autem maiori gratiarum mensura, sublimiori vocatione, & præstantiori Spiritus sancti virtute ac potentia. Et quoquo modo se nomina habuerint, negari non potest, quin potestatem hanc imponendi manus, & tradendi Satanæ, Apostoli sibi aliquamdiù retinuerint, eamque postea Episcopis crediderint. Quamdiu enim Apostoli præsentes essent, aut non longè abessent ab ijs locis, vbi Ecclesias fundassent, Episcopis nihil opus erat; Apostolis vel præsentia sua, vel per literas, aut nuncios, prout vsus erat, omnia earum negotia procurantibus. Vbi verò regionibus illis perpetuò abituri

r Hieron. de Scrip. Eccles. in Pet.
s Idem in Iacobo.
t Theod. in Philip c. 1.
u Act. 1.
x Matth. 11.
y Matth 21.
z 1. Cor 4.

abituri essent, securitati necessitatiq́ue Ecclesiarum illarum prospicere volentes, primarios quosdam viros cum Episcopali authoritate substituerunt, qui Ecclesias ab ipsis fundatas eorum vice gubernarent.

Secunda ratio, cur Ecclesiæ initio Episcopis vbique commissæ non fuerint, est ea quam Epiphanius commemorat, & Paulus multis locis attingit.[a] *Spero me Timotheum breui missurum vobis. Neminem enim habeo pari animo præditum, qui germanè res vestras curaturus sit. Nam omnes, quæ sua ipsorum sunt, quærunt: non quæ Iesu Christi.* Et ad Timotheum; [b] *Nosti hoc, quòd auersati fuerint me omnes qui sunt in Asia.* [c] *In prima mea defensione nemo mihi adfuit, sed omnes me deseruerunt. Demas dereliquit me, amplexus præsens sæculum.* Quamobrem Epiphanius nõ immeritò opinatus est, ideò Episcopos initio in omnibus locis constitutos non fuisse, quia viri spectatæ fidei & amantes veritatis vbique statim non existerent.

a Philip. 2.
b 2. Tim. 4.
c 2. Tim. 4.

Tertia ratio huiusmodi videtur. Presbyteris, qui in verbo laborarent, & proferendis Ecclesiæ terminis incumberẽt, statim opus fuisse, toto terrarum orbe in messem proposito: Episcoporum verò, moderandæ Doctorum multitudini, & inspiciendis Pastoribus iuxta ac gregi, quamdiu Apostoli (quibus hæc curæ erant) in locis illis, aut finitimis diuersabantur, tantam necessitatem non fuisse. Ac proinde sapientiam diuinam, hanc gubernandi formam, nisi eius necessitate multis anteà documentis perspecta, Ecclesiæ imponere noluisse. Hoc pacto cum Israelitis olim Dominus egit. Non enim statim atque Ægypto egressi sunt, 70. Seniores Moysi adscripsit, sed tam diu hoc consilium distulit, donec Moyse negotiorum mole laborante, & multitudine moram iudiciorum ægrè ferente, Iethro qui & Iudicem laboribus defatigatum, & populum dilationibus grauatum persenserat, aliam ijs rationem suaserat; quam Moyses, approbante populo, annuente Deo, executioni postea mandauit. Eodẽ modo Christus Ecclesiam suam, viuentibus Apostolis, periculo suo scire voluit, quid præfectorum multitudo & æqualitas vbique efficeret; & cum absentibus illis eueniret, vt

quot duces, tot discipuli, quot rectores, tot æmuli, Ecclesiæ pacem violarent, & euerterent, Apostoli (*decernente*, vt Hieronymus ait, *terrarum orbe*, hoc est, laudante & optante vniuersa fidelium multitudine) vices in Ecclesia suas, non Presbyteris communiter, sed præcipuè, & præ alijs discipulis suis committere coacti sunt, quos postea Episcopos nominarunt. His velut successoribus suis, summam imponendi manus moderandiq́ue claues potestatem reliquerunt, eorūq́ue fidei & industriæ tam Pastorum quàm populi inspectionem demandarunt; non exclusis tamen Presbyteris, qui opera & consilio pascendo ducendoq́ue gregi adessent. *Ita tu quidem*; Hieronymus *verò, non Dominicæ veritatis dispositione, sed decreto magis & consuetudine Ecclesiæ, Episcopos Presbyteris prælatos scribit.*] Hieronymus toto orbe decretum ait, vt vnus reliquis præponeretur; à quibus autem sit decretum, hoc loco prætermittit. Quod si probare potero tam ex Scripturis, quàm ex Hieronymo ipso, reliquisq́ue Patribus mutationem hanc Apostolorū ætate introductam, ab ipsis cognitam & confirmatam fuisse, Apostolicam planè ordinationem fuisse euicero. *Eadem ratione & diuina erit, quod negat* Hieronymus.] *Quid per Dominicæ veritatis dispositionem* Hieronymus sibi velit, postea videro: nunc ordine procedendum, ne & mihi ipse officiam, & lectori. Interim ita ex Hieronymo rationem concudo. Quando studijs factionibusq́ue Presbyterorum Ecclesiæ diuexari cœperunt vnius maiori potestati eorum moderatio commissa est: at hæc viuentibus Apostolis inualuerunt: ergo viuentibus ijs Episcoporum prima institutio fuit. *Corinthi quidem contentiones & partium studia fuerunt ex æmulatione magnorum nominum, à quibus baptizati erant*, quæ à Hieronymo *huc congeruntur: at magis communes capitalesq́, esse factiones oportuit, quæ nouam administrandæ Ecclesiæ rationem toto orbe introducerent.*] Non Corinthi solùm, sed in omnibus ferè Ecclesijs Apostolorum adhuc ætate fuerunt. Ad Corinthios enim ait; [d] *Quum conuenitis in Ecclesia, audio dissidia inter vos esse: & aliqua ex parte credo. Oportet enim etiam hæreses inter vos esse, vt qui probati sunt inter vos, manifesti fiant.* Quòd dicit, oportere

d 1. Cor. 11.

hæreses

hæreſes eſſe, vt dignoſcantur boni à malis, non Corinthi ſolùm innuit, ſed vbique, id quod euenit etiam. Similiter ad Romanos; [e] *Precor* (inquit) *vt obſeruetis diſſidiorum & ſcandalorum authores, contra doctrinam, quam edocti eſtis; & declinetis ab iis.* Apud Galatas erant [f] *qui Euangelium Chriſti peruertere, & in aliud transferre volebant, faſcinantes eos, ne obſequerentur veritati.* Ad Philippenſes ait, [g] *Cauete à canibus, cauete ab operarijs malis. Multi enim incedunt, quos ſæpè dixi vobis, nunc autem & flens dico, hoſtes eſſe crucis Chriſti: quorum finis eſt exitium, quorum Deus eſt venter, & gloria cum confuſione ipſorum, qui terreſtria curant.* Apud Coloſſenſes nonnulli Eccleſias [h] *traditionibus onerarant, nec ipſum caput tenentes, in ea, quæ non viderunt, ſeſe ingeſſerant, & carnis ſuæ ſenſu ſuperbientes,* ficta humilitate, & *Angelorum cultu* incautis hominibus impoſuerant. Theſſalonicæ, [i] quidam mortuorum reſurrectionem impugnarant: *alij* [k] *reuelationibus*, fictiſque ſermonibus populi animum *conturbarant*, mentitis tanquàm ab Apoſtolis literis, *diem illum Chriſti inſtare.* Vbique euenit id quod Eccleſijs Paulus prædixit; [l] *Noui*, inquit, *quòd poſt diſceſſum meum lupi graues ad vos ingreſſuri ſint, non parcentes gregi. Imò, ex vobis ipſis exurgent homines peruerſa loquentes, quo Diſcipulos ad ſe trahant.* Neque verò Gentibus ſolùm periculum hinc erat, ſed Iudæis ipſis. Ita enim Petrus: [m] *Erunt etiam falſi inter vos Doctores, qui ſubintroducent Hæreſes exitiales, etiam Dominum, qui illos mercatus eſt, abnegantes; & multi perditionem eorum ſequentur; & per auaritiam fictis ſermonibus vos venundabunt.* Huc accedit Iohannes. [n] *Etiam nunc multi facti ſunt Antichriſti:* [o] *multi pſeudoprophetæ atque impoſtores exierunt in mundum.*

e Rom.16.
f Galat.1.&.3.
g Philip.3.
h Coloſ.2.
i 1.Theſ.4.
k 2.Theſ.2.
l Act.20.
m 2.Pet.2.
n 1.Iohan.2.64.
o Epi.Ioh.2.

Vt hos impoſtores anteuerteret, coactus eſt Paulus, dum in remotis ageret, ſubſtitutos quoſdam vicaria poteſtate ad Eccleſias maxime periclitantes mittere, qui curandis morbis, & medendis vulneribus, quæ peſtes illæ inflixiſſent, toto corpore (quod aiunt) animoque incumberent. Ita Epheſi; cum quidam Doctores cœpiſſent, [p] *quæ non intelligerent, affirmare*, nempè [q] *prophanas & aniles fabulas*, [r] *quorum ſermo vt gangræna depaſcebat*: [ſ] *qui irrepentes in domos, captiuas ducebant*

p 1.Tim.1.
q 1.Tim.4.
r 2.Tim.2.
ſ 2.Tim.3.

cebant mulierculas, peccatis onustas, & varijs actas cupiditatibus: alij etiam [t] *prurientes aures habentes, iuxta concupiscentias suas coacernarent sibi ipsis Doctores, & à veritate quidem aures auertentes, ad fabulas conuerterentur*; Timotheum Paulus eôdem misit, [u] *vt profanam eorum vaniloquentiam cohiberet, &* [x] *denuntiaret ijs, ne diuersam docerent doctrinam; vt* [y] *manus idoneis ordinandis imponeret; vt* [z] *accusationes aduersus* improbos & nefarios *Presbyteros reciperet, &* [a] *peccantes eos coram argueret;* [b] *vt viduas iuniores & lasciuientes recusaret; vt* [c] *laborantes in doctrina præmio afficeret*; Denique, vt totius Ecclesiæ, & omnium ipsius membrorum curam ageret, tam Doctorũ ac Presbyterorum, quam Diaconorum, viduarum, atque auditorum. Neque tantum edocuit eum, quomodo [d] *in domo Dei* tanquam *Oeconomus se gereret*; sed [e] *coram Deo & electis eius Angelis obtestatus est, vt hæc obseruaret sine acceptione personarum, & in neutram partem declinaret* Similiter Cretæ, [f] *cum multi vaniloqui, & mentium seductores,* [g] *totas domos subuerterent*, & Ecclesiam [h] *Iudaicis fabulis & mandatis hominum onerarent*, relictus est Titus, *qui ista* [i] *corrigeret, &* [k] *ora eorum obturaret qui docerent quæ non oportuit, turpis compendij causa;* [l] *qui stultas quæstiones & contentiones legales cohiberet;* [m] *hæreticos post vnam aut alteram admonitionẽ reiiceret;* [n] *& cum omni imperio argueret; ita vt nemo eum contemnere auderet.* Postremò, qui probos ac fideles [o] *Presbyteros & Episcopos in qualibet Ciuitate constitueret, qui exhortari doctrina sana, & contradicentes conuincere possent.* Atq; hìc primò literis Paulus consignauit, Substitutos se, vbicunq; opus fuerat, cum Episcopali potestate & honore collocasse. *Hæc exempla nihil habent vobiscum commune. Primò enim nihil horum fecerunt, nisi cum consilio & consensu Presbyterij; quod Episcopi vestri nequaquam. Secundo, Euangelistæ erant, non Episcopi, atque ea ratione fieri potuit, vt magis speciale mandatum ab Apostolo acceperint.*] Fortè, quæ vestra est eruditio, hos etiam Cretæ, atque Ephesi relictos affirmabitis, vt Ecclesiam, perinde, vt cæteri Presbyteri, suo ordine ac vice gubernarent. Cæterùm nisi his fabulis desinatis, non causæ solum, sed nominis etiam vestri iacturam facietis. Timotheus, credo, Ephesi relictus

t 2. Tim. 4.
u 2. Tim. 2.
x 1. Tim. 1.
y 1. Tim 5.
z Ver. 20.
a Ver. 11.
b Ver. 17.
c 1. Tim 3.
d 1. Tim. 3.
e 1. Tim. 5.
f 1. Tit. 10.
g Ver. 11.
h Ver. 14.
i Ver 5.
k Ver. 11.
l Tit 3 v. 9.
m Ver. 10.
n Tit. 2. v. 15.
o Tit. 1. v. 9.

relictus est, vt Presbyterium conuocaret, suffragia rogaret, & nihil nisi ex sententia maioris partis ageret. Quis vero huiusmodi cõmentis tã alienis, & à verbis Apostoli tantopere discrepantibus fidem adhibuerit, nisi qui Paulo ipsi aduersus laicum Presbyterium differenti minùs crediderit? Quod ad nos attinet; Catholicos Patres sequuti, verba prout se nobis offerunt, accipimus; nec dubitamus quin Paulus probè cognouerit, ad quem de harum rerum procuratione scribere deberet, nec Timotheum pro Presbyterio sumpsisse. Si Timotheo nihil aliud agendum erat, nisi vt Presbyteros, quid de his omnibus articulatim videretur, consuleret, quàm temere Paulus omisso toto Presbyterorum Concilio, huic vni præcepta hæc incorruptè & integrè custodienda sub diuini iudicij comminatione denunciauit?

Etenim hoc modo singula ipsius mandata coarctare, seu potius frustrari oportet & eludere. Cum omni imperio *præcipito*; Accusationem aduersus Presbyterum, nisi sub duobus aut tribus testibus, *ne recipito*; Peccantes *redarguito*; Hæreticum post vnam aut alteram admonitionem *reijcito*; Iuniores viduas *recusato*; Inanes contentiones, & inutiles quæstiones *cohibeto*; Presbyteros in qualibet ciuitate *constituito*: Nemini temerè *manus imponito*; hoc est (vti vos interpretamini) Presbyterium conuocato, & eorum sententias, sic, an secus esse velint, iubeant, rogato. Eodem modo vbi ait: *Obtestor te coram Deo, & Domino nostro Iesu Christo, & electis eius Angelis, vt hæc inuiolate obserues*; ex vestro sensu supplendum est: Si Presbyterium ita præscripserit, aut hijs consenserit. Verùm, opinor, huiusmodi ineptijs stare vos pudet, & ad alteram potiùs responsionis vestræ partem confugietis, eos quâ Euangelistas, non Episcopos, hanc potestatem accepisse. *Idem etiam præmonuimus, Euangelistas scilicet, non Episcopos fuisse.*] Imo, Euangelistas potius & Episcopos. Quamprimum enim certis affixi sedibus cum potestate & authoritate quam dixi, Apostolorum comites esse desierant, quid aliud quam episcopi esse poterant? Apostolis præsentibus quidem assistebant, absentium vero vices supplebant, ecclesiasque ab ipsis relictas in eodem statu conseruabant. Iam ve-

rò si Apostoli potestatis istius ratione, cum in alicubus locis permanerent, Episcopi essent; multo magis Euangelistę. Deinde, si cura similis & eadem authoritas semper necessariæ, & proinde perpetuæ in Ecclesia sint: manifestum est, eos non vt Euangelistas, qui multis abhinc seculis nulli fuerunt, sed vt Episcopos hęc fecisse, qui etiam nunc manent, & perpetuis in Ecclesia tęporibus manere debent. Etenim si potestas & primatus iste ab ipsis ad successores ipsorum deuenerit, luce clarius cernitur Episcopale prorsus munus fuisse; cum nulla pars Euangelistarum officij ad posteros transmissa fuerit. *Quin Episcopos dici aut haberi nullo modo ferre possumus.*] Laudo equidem consilium vestrum. Nam si Episcopalis potestas ab Apostolis ad ipsos eorumque successores dimanauerit, nullo negotio concludemus, Episcopos ab Apostolis initium habuisse. Quinetiam (quod pace vestra dixerim) ab antiquissimis Ecclesiæ historijs Episcopi nominantur, & Pauli ad eos præcepta tot Episcopalis officij sunt documenta. Timotheus (vt narrat Eusebius) [o] ἐπισκοπῆς τοῦ in historijs scribitur *primus fuisse, qui Ephesinæ paræciæ, sicut &* Titus *Cretensium Ecclesiarum, Episcopatum sortitus est.* Hieronymus (quo authore maximè vtimini, nullos Apostolorum temporibus Episcopos fuisse, nisi æquali potestate cum Presbyteris prędito) ita refert: [p] Timotheus *Ephesiorum Episcopus à beato Paulo ordinatus est:* & Titus *Episcopus Cretæ, in eadem, & in circumiacentibus Insulis prædicauit Euangelium Christi:* Ambrosius: (Paulus) [q] Timotheum *iam creatum Episcopum per Epistolam instituit quomodo deberet Ecclesiam ordinare.* Similiter de altero: Titum *Apostolus consecrauit Episcopum, & ideò commonet eum vt sit sollicitus in Ecclesiastica ordinatione.* Chrysostomus: [r] Paulus *ad* Timotheum *scribens, ait, Ministerium tuum imple, cum tamen ille Episcopus esset; quod constat ex verbis illis ad eundem scriptis, Manus cito nemini imposueris.* Et rursus: *Quæ data est tibi cum impositione manuum Presbyterij: Presbyteri vero Episcopum non ordinasset.* Et edisserens quemadmodum Euangelistæ Episcopi fieri poterant, ait; [s] *Quid est cur* Paulus Tito *ac* Timotheo *tantùm ex omni Discipulorum numero scribit, cum* Silas, & Lucas *probati quoque & mirabiles*

o Euseb. lib 3. cap. 4.

p Hieron. de Eccles. scriptoribus.

q Ambros. in præfat. 1. epi ad Timoth c. 3. & ad Tit.

r Chrysost. in Epist. ad Philip. hom. 1.

s Chrysost. in præfat in 1. Tim.

mirabili virtute præditi fuerint? Scilicet, quòd his iam Ecclesiæ gubernacula curámque tradiderat: illos verò secum adhuc circumducebat. Epiphanius. [t] *Docet diuinus Apostoli sermo, quis sit Episcopus, & quis Presbyter, cum dicit ad* Timotheum *qui erat Episcopus, Presbyterum ne obiurges, sed exhortare velut patrem. Quid negotij esset Episcopo, vt Presbyterum non obiurgaret, si non super Presbyterum potestatem haberet? Quemadmodum etiam rursus dicit: Aduersus Presbyterum ne citò admiseris accusationem, nisi coram duobus aut tribus testibus.* Theodoretus: [u] Titus *egregius erat* Pauli *Discipulus: Cretæ verò ordinatus à* Paulo *Episcopus, & ipsi commissum erat vt inferiores ordinaret Episcopos.* Vincentius Lirinensis *in quædam* Pauli *ad* Timotheum verba: [x] ô Timothee (inquit) *hoc est, ô Sacerdos, ô Doctor, si te diuinum munus idoneum fecerit ingenio, exercitatione, doctrina, esto* Beseleel (hoc est, nobilis artifex) *spiritualis tabernaculi.* Augustinus Pastores omnes illis Pauli verbis ad Titum erudiens, ait: *An frustra dictum est seruo Dei eminenti in membris summi Pastoris, Circa omnes teipsum bonorum operum præbe exemplum?* Gregorius, [z] Paulus *prælatum gregi discipulum admonet, dicens, Attende Lectioni dum venio.* Primasius. [a] Timotheus *gratiam prophetiæ habuit cum ordinatione Episcopatus: & per impositionem manum mearum* (inquit Paulus) *id est, benedictionem quam in Episcopatu per impositionem manus eius acceperat.* *Oecumenius* verbis Paulinis suam interponens expositionem ait; [b] *Ne neglexeris, quod in te donum est.*] *hoc est, Doctrinam aut Episcopi munus. (Nam gratia Dei erat, quòd Iuuenis meruisset Pastor fieri) Quod datum est tibi per Prophetiam.*] *Iussu namque Spiritus sancti facti sunt Episcopi, & non passim. Cum impositione manuum authoritate Presbyterij.*] *Presbyteros dicit Episcopos, neque enim Presbyteri Episcopum ordinabant.* [c] *Sedulius. Iste* Timotheus *Episcopus fuit in Epheso, vt in libro Historiarum dicitur.* Idem alibi, [d] *Per impositionem manuum.*] *Id est, iuxta ordinationem tuam in Episcopatum.* Porro quis ex omni antiquorum Patrum choro non confitetur cum Tertulliano, vtrasque has Pauli Epistolas ad Timotheum ac Titum [e] *de Ecclesiastico statu compositas fuisse?* aut non cum Chrysostomo, Ambrosio

t Epiphan. Hæres 75.

u Theodoret apud Oecu. in in præfat. Epi. ad Titum.

x Vinc. contra Hæret. c. 27.

y Aug. de Pastoribus c. 4.

z Greg. in Pasto. par. 2. cap. 11.

a Primas. ad Tim. cap. 4.

b Cap 9. Oecum. in. 1. Tim. 2

c Sedulius in 1. Tim. cap. 1.

d Idem 2. Tim. cap. 1.

e Tertul. cõtra Marcio. l. 5. cap. vlt.

Ambrosio, Oecumenio, verba & præcepta ad eos scripta
f Chrys. hom. 10. in 1. ad Tim. f *tanquam omnibus Episcopis dicta*, intelligit? Vos negatis Euangelistas Episcopos esse potuisse; contrà, tota Christi Ecclesia asserit; & quicquid Paulus illis præcipit, omnibus Episcopis & Pastoribus mandari affirmat. In his verò maximè luculenta Hieronymi confessio est. Qui igitur dubitare potuit Episcoporum institutionem verè Apostolicam, hoc est, dictante diuini Spiritus sapientia, ab ipsis Apostolis fuisse sancitam?

Iohannem in Apocalypsi sua audite, & docebit vos, mandatum ei ab ipso Dei Filio fuisse, vt
g Apoc. 1. 2. 3. g *septem Stellis ac Angelis* Ecclesiarum quæ in Asia erant, hoc est, septem summis Pastoribus & Episcopis scriberet. Vnde mihi meridiana luce clariùs videtur, hanc gubernandæ Ecclesiæ formam, non solùm Apostolorum temporibus ratam & solennem fuisse, sed ab ipso Dei Filio, sacro suo ore confirmatam. Neque enim vereor, ne cum Origene hæc ad cœlestes Angelos traducatis,
h Orig. hom. 13. in Lucam. h *& per singulas Ecclesias binos Episcopos esse* dicatis, *alterum visibilem, alterum invisibilem*. Eruditè Augustinus errorem hunc iampridem extinxit.
i Aug. ep. 162. i *Si (Dominus verba hæc) de Angelo superiorum cœlorum, & non de Præpositis Ecclesiæ vellet intelligi, non consequenter diceret: sed habeo aduersum te quòd charitatem tuam primam reliquisti: Memor esto itaque vnde excideris, & age pœnitentiam. Hoc de superioribus Angelis dici non potest, qui perpetuam retinent charitatem, vnde qui defecerunt & lapsi sunt, Diabolus est & Angeli eius. Quamobrem diuina voce laudatur sub Angeli nomine Præpositus Ecclesiæ*. Et
k Aug. hom. 2 in Apocalyp. alibi: k *Angeli Ecclesiarum non sunt alij intelligendi, nisi rectores Ecclesiarum ac Præpositi*. Si Iohanne viuente ac vidente, septem illæ Ecclesiæ à septem summis Pastoribus, siue Episcopis gubernatæ sint, necesse est communem & æqualem Presbyterorum præfecturam iam tum fuisse immutatam. Si Christus eos Stellarum atque Angelorum Ecclesiæ nominibus insignierit, ergo non ab hominibus post mortem Apostolorum, instituti sunt. *Hieronymus tamen, Episcoporum dominationem non Dominicæ veritatis dispositione, sed Ecclesiæ consuetudine introductam ait.*] Hieronymum quidem testem

pro-

profertis, non quia tanti eum faciatis, sed quòd arreptis ab eo fragmentis quibusdam proposito vestro inseruire videatur: aliàs, quid ille aiat, aut neget, nullius apud vos est momenti. Eodem enim loco, qui aduersus Episcopos à vobis notatur, ita ait; Initio quidem regentibus Presbyteris, [l] *Ecclesiæ cura æqualiter inter plures diuidebatur*. Hic vos, nullum eiusmodi tempus fuisse regeritis, imò extremæ dementiæ esse, si quis ita putaret. [m] *Neque enim ille cum diceret Ecclesias initio fuisse communi Presbyterorum consilio gubernatas, ita desipuisse existimandus est, vt somniaret neminem ex Presbyteris illi cœtui præfuisse.* Hieronymus affirmat Ecclesiæ curam æqualiter inter plures diuisam fuisse: vobis verò somniare ac desipere videtur, si quis ita existimauerit; ecce qualem ei tribuitis mercedem, quòd secundùm Presbyterium vestrum testimonium dixerit.

l Hieron. in 1. Tit.

m Ad tract. de gra. minist. Euang. cap. 23.

Deinceps, ait Hieronymus, Ortis inter Presbyteros dissidijs toto orbe decretum esse, [n] *vt omnis Ecclesiæ cura ad vnum pertineret*. Hic vno ore reclamatis. Ita enim fit vt laici Seniores nullam, ex quo Episcopi cœperunt, in rebus Ecclesiæ authoritatem habuerint. Idcirco quæ à Hieronymo illic dicuntur omnia ne vobis quidem veris similia videntur; tantùm quæ in fine habet, mordicùs tenetis, è quibus, vel minimè quidem, vel malè intellectis, probare contenditis, Episcopale regimen Ecclesiæ non diuinæ institutioni, sed humanæ inuentioni esse tribuendum. Sed cum vos dictorum eius, quem in hac causa testem aduocastis, duas partes abiudicetis, nos tertiam iure recusare possemus; tantam tamen Hieronymo iniuriam non faciemus, vt ipsum sibi contradicere, & Episcoporum hanc in Presbyteris potestatem Apostolicam esse ordinationem, vno spiritu eum asserere & negare pronunciemus.

n Hieron. in 1. Tit.

Quamobrem illa Hieronymi verba, *magis Ecclesiæ consuetudine, quàm Dominicæ veritatis dispositione Episcopos Presbyteris maiores fuisse*, duplicem possunt sensum habere. Primùm, vt per *Dominicæ veritatis dispositionem*, præceptum Christi ore institutum intelligat; & per *Ecclesiæ consuetudinem*, morem ab ipsis Apostolis perpetuo vsu in Ecclesia propaga-

p Vide Tertul de coro mil. Cypr. contra Stephan. Concil. Carthag. de bapt hęr. et q Auguſt. contra Donat. l. 4. cap. 24.

pagatum. p *Veritas* enim apud antiquos Patres pro veritate ſcripta non rarò accipitur; q *Conſuetudo* autem pro re per manus ab Apoſtolis tradita, quam alio nomine traditionem appellant. Vnde licèt nullum Chriſti mandatum pro ea gubernandi forma in Scripturis occurrat; Apoſtolicam tamen eſſe ordinationem perpetuus Eccleſiæ vſus euincit.

r Hieron in 1. cap. ep. ad Tit

Altera horum verborum intelligentia huiuſmodi eſſe poteſt; Initio Presbyteros communi cura & conſilio Eccleſiam ſub Apoſtolis ad tempus gubernaſſe, r *paulatim verò* (conſtitutis Epiſcopis) *ad vnum omnem ſollicitudinem eſſe delatam.* Hinc factum, vt tractu temporis Presbyteris (ea Ambroſij querela eſt) à conſilijs prorſùs amotis, Epiſcopi Eccleſiæ adminiſtrationem ſoli vſurpauerint. Hæc Presbyterorum ſubiectio, & Epiſcoporum Presbyteris excluſis præfectura, non Chriſti aut Apoſtolorum inſtitutione aliqua, ſed temporis decurſu introducta eſt. Primum enim Presbyteri vt in ſollicitudinis, ita in honoris partem vocati erant. Atque hunc germanum eſſe verborum illius ſenſum, ex ijs quæ ſequuntur, facilè liquet. Nam Epiſcoporum in Presbyteros poteſtatem ad Dominicę diſpoſitionis veritatem reuocans: s *Nouerint*, inquit, *in communi debere Eccleſiam regere, imitantes Moſem, qui cum haberet in poteſtate ſolus præeſſe populo Iſrael, ſeptuaginta elegit, cum quibus populum iudicaret.* Quod eos facere oportebat, id Dominicæ diſpoſitionis veritas erat. At ij Moſem imitari debebant. Quid? vt omnes æqualiter gubernarent? minimè; ſed vt cum ſoli præeſſe poſſent, exemplo Moſis, alijs honorem ſuum communicarent. Neque enim Moſes ſumma poteſtate ſe abdicauit, ſed ſibi ſeptuaginta Seniores eiuſmodi muneris ſocios adiunxit. Hæc, inquit Hieronymus, dominicæ diſpoſitionis veritas erat; licet contraria conſuetudine (quæ non vnà cum Epiſcopis, ſed temporis ſpatio *paulatim* inualuit) omnem Eccleſiæ curam, præteritis & neglectis Presbyteris, Epiſcopi ſibi vſurpaſſent. Siquidem t *nec baptizare ſine Epiſcopi licentia, nec prædicare præſente eo poterant*; quam ſubiectionem, vtut tum Eccleſiæ conſuetudine fulcitam, non ſecundùm dominicæ diſpoſitionis veritatem eſſe ait.

(Ibidem.

t Hieron aduerſ. Lucifer. & ad Nepot.

Hanc

Hanc esse Hieronymi hoc in loco sententiam ipse alibi plenius ostendit, [u] *Vt sciamus* (inquit) *traditiones Apostolicas sumptas de veteri Testamento; quod Aaron & filij eius, atque Leuitæ in Templo fuerunt, hoc sibi Episcopi, Presbyteri & Diaconi vendicent in Ecclesia*. Summum Sacerdotem filijs suis superiorem fuisse, non patrio solùm iure, sed prærogatiua Sacerdotali, primò circa Arcam, deinde etiam in Templo, nemo (opinor) negauerit. Quemadmodum autem in Templo inter Sacerdotes: ita in Ecclesia Christi (inquit Hieronymus) inter Episcopos & Presbyteros Apostoli discrimen constituerunt. Locum hunc accuratè perpendite, dein dicite, si non Apostolico præcepto & traditione Episcopos Presbyteris maiores esse fateatur? Quòd si ita est, addamus quæ Beza verè & ingenuè in hac parte scribit, vt argumentum omnibus suis numeris perfectum habeamus. [x] *Certè, si ab ipsis Apostolis esset profecta (hæc mutatio) non vererer illam, vt cæteras Apostolicas ordinationes, diuinæ in solidum dispositioni tribuere.* At Apostolicam esse ordinationem Hieronymi ipsius confessione constat; ergo non dubitanter à vobis diuinæ dispositioni tribuenda est. Atque hactenus de Hieronymo. Nunc de Ambrosio videamus, (quem disciplinæ istius sectatores authorem & ducem habere sibi videntur) quid in alterutram partem dixerit.

u Hierony. ad Euagrium.

x Ad tract. de grad. Minist. cap. 23.

Vnum est, de quo Ambrosius tantùm coniecturam facere, nihil certi tamen afferre videtur, quod disciplinæ istius studiosi auidè arripiunt, & tanquã vestimentum nauticũ ad suos sensus facilè trahunt, cùm tamen eodẽ in loco quatuor sint alia multò certiora, & reliquis Patribus consentanea, quæ ex suæ disciplinæ principijs velut falsa, & planè nullius momenti prorsus reijciunt. In ea quidem opinione (nullo tamen Scripturarum aut historiarum indicio) est Ambrosius, Episcopos ex Presbyteris iuxta ordinem aliquamdiu constitutos in Ecclesia fuisse, sic vt recedente primo, sequens in locum illius succederet. Hunc morem posteà cum electionibus commutatum; sed quando, aut per quos, nec dicit, nec nouit. Ab hac Ambrosij suspicione hæc tria fundamenta ducuntur, sed quæ ab ipsius tum verbis, tum sensu omnia longissimè abhorrent. Primùm, principatum hunc mobilem

fuisse,& singulis Presbyteris ordine communem.Deinde,vt quisque Præsidis vicem obtinuit,quem pro tempore Episcopum, siue Inspectorem appellant, ita loco & honore, non gradu,à reliquis discrepasse. Tertiò,has illius partes fuisse, vt cæteros sua authoritate conuocaret, conuentus eorum moderaretur, & in communi deliberanda proponeret; cuius suffragiũ nihilo reliquis esset præstãtius,sed quod plures decreuissent,secundum eos sententiam ferret. Hic nimirùm Episcopus est, quem ex Ambrosij verbis sibi fabricarunt; hunc velut diuinæ ordinationis specimen, perpetuum in Ecclesia esse volunt. Hæc germana quidem descriptio est Maioris & Senatorum Ciuitatis, aut Præfecti & Decurionum oppiduli cuiusdam apud nos; Episcopi verò (qualem habuit aut habere debuit Christi Ecclesia) nequaquam: amouete verò hæc non Theologorum iudicia, sed languentium & ægrorum somnia, quæ nulla nituntur, non dicam veritate, sed ne probabilitate quidem. Quæ enim Scripturæ, vel quis Patrum volubilem & gregarium hunc Episcopatum nobis describit.

Patres,dicetis,humanis traditionibus imbuti erant;& institutio diuina iam indè ab Apostolorũ temporibus in omnibus ecclesijs & ab omnibus neglecta personis,vsq; ad hanc nostrã ætatẽ concidit,& euanuit. Audio vos ita affirmantes, & nisi oculis etiã scribentes legissẽ,obdormire eos omninò putarẽ, qui adeò magnificè de se somniant. Quandoquidẽ verò hæc literis mandata, & in vulgus sparsa sint, vt ab omnibus legantur, argumenta etiam, quibus ista doceant, lubens audirem. Ambrosius aiunt, nobis author est, qui omnem Presbyterum asserit vertente vice Episcopum fuisse. Ambrosij sententiam planè contrariam video, cùm ait; [y] *Non omnem Presbyterum Episcopum fuisse*, sed eum solummodò, qui primus inter Presbyteros erat. *Imò, qui ordine primus erat; quo recedente, sequens in locum eius succedebat.*] Vt quisque ordine primus erat,ita promoueri ad Episcopatum poterat.Iam verò series hæc & ordo personarum,vel secundum ætatem, vel secundum dona ac merita cuiusque,disponebatur. Vtro modo Presbyteri collocati sunt? nescis. Ne Ambrosius quidem nouit.

y Ambr.in 1. Tim.cap.3.

nouit. Existimat ille (id quod verum est) ordinem quendam sedendi in Ecclesia aliisque conuentibus illis in vsu fuisse: vtrum verò *secundum merita* ab Apostolis digniores essent præpositi; an temporis prærogatiuam retinerent, aut sortibus, ad euitandam ambitionem & contentionem, se committerent, nec potuit Ambrosius suo, nec quisquam mortalium nostro seculo scire potest. *Primus tamen erat Episcopus, ac proinde ordine, non gradu cæteris præstabat.*] Quæ hæc dementia est, vt apertis verbis Paulo repugnetis, qui non obscurè scribit, Deum in Ecclesia constituisse,[z] *Primùm, Apostolos, deinde Prophetas, tertiò Doctores?* Num existimas hos diuersos esse gradus? *Quidni?*] Annon hi omnes, vbicunque docebant, in Presbyterio erant? *Certe?*] Ergo Presbyteri non ordine solùm, sed gradu inter se differebant. *Non de Apostolis, Euangelistis, aut Prophetis agimus, cum Presbyteros ordine tantùm, non gradu differre dicamus; sed de Pastoribus procurationem locorum illorum habentibus, in quibus agebant.*] Non quæritur de quibus vos loquamini, sed de quibus Ambrosius verba fecerit; non vestra sed illius verba iam expenduntur: is autem Presbyteris eos planè annumerat: quod Timothei exemplo confirmatur. Quem enim vos Euangelistam dicitis, Ambrosius Presbyterum asserit, & Episcopum tamen ait fuisse, quia ante se alterum non haberet. Quod si Ambrosius nominatim de eo mentionem non fecisset, non inficiaberis (opinor) Apostolos, Prophetas, & Euangelistas, vbicunque adessent [a] in Presbyteris fuisse. Iam vestra sit optio, vtrum hos omnes Presbyteros fuisse negabitis: [b] Petro contrarium affirmante; an in ordine *Presbyterorum diuersos gradus* Ecclesiasticorum munerum fuisse dicetis, vt hoc modo distinctio vestra *Gradus* & *Ordinis* ab Ambrosij sensu longè remota videatur. Is enim hoc nomine, vel *Meriti*, vel *Temporis ordinem* intelligit; quorum vtrumque diuersos Ecclesiasticorum officiorum gradus admittit. *Si minùs Ambrosius, nos tamen affirmamus.*] Quidlibet affirmare vobis facilè concedimus; sed ita tamen vt minimè credamus, nisi fidem etiam feceritis. Verùm nihil est causæ, cur ad Ambrosium hanc distinctionem referatis, qua de ne

z 1.Cor.12.

a Ephes 4.& 1.Tim.3.

b 1.Pet.5.

som-

fuisse,& singulis Presbyteris ordine communem.Deinde,vt quisque Præsidis vicem obtinuit,quem pro tempore Episcopum, siue Inspectorem appellant, ita loco & honore, non gradu,à reliquis discrepasse. Tertiò,has illius partes fuisse, vt cæteros sua authoritate conuocaret, conuentus eorum moderaretur, & in communi deliberanda proponeret; cuius suffragiũ nihilo reliquis esset præstãtius,sed quod plures decreuissent,secundum eos sententiam ferret. Hic nimirùm Episcopus est, quem ex Ambrosij verbis sibi fabricarunt; hunc velut diuinæ ordinationis specimen, perpetuum in Ecclesia esse volunt. Hæc germana quidem descriptio est Maioris & Senatorum Ciuitatis, aut Præfecti & Decurionum oppiduli cuiusdam apud nos; Episcopi verò (qualem habuit aut habere debuit Christi Ecclesia) nequaquam: amouete verò hæc non Theologorum iudicia, sed languentium & ægrorum somnia, quæ nulla nituntur, non dicam veritate, sed ne probabilitate quidem. Quæ enim Scripturæ, vel quis Patrum volubilem & gregarium hunc Episcopatum nobis describit.

Patres,dicetis,humanis traditionibus imbuti erant;& institutio diuina iam indè ab Apostolorũ temporibus in omnibus ecclesijs & ab omnibus neglecta personis,vsq; ad hanc nostrã ætatẽ concidit,& euanuit. Audio vos ita affirmantes, & nisi oculis etiã scribentes legissẽ,obdormire eos omninò putarẽ, qui adeò magnificè de se somniant. Quandoquidẽ verò hæc literis mandata, & in vulgus sparsa sint, vt ab omnibus legantur, argumenta etiam, quibus ista doceant, lubens audirem. Ambrosius aiunt, nobis author est, qui omnem Presbyterum asserit vertente vice Episcopum fuisse. Ambrosij sententiam planè contrariam video, cùm ait; [y] *Non omnem Presbyterum Episcopum fuisse*, sed eum solummodò, qui primus inter Presbyteros erat. *Imò, qui ordine primus erat; quo recedente, sequens in locum eius succedebat.*] Vt quisque ordine primus erat,ita promoueri ad Episcopatum poterat.Iam verò series hæc & ordo personarum,vel secundum ætatem, vel secundum dona ac merita cuiusque,disponebatur. Vtro modo Presbyteri collocati sunt? nescis. Ne Ambrosius quidem nouit.

y Ambr.in 1. Tim.cap.3.

nouit. Existimat ille (id quod verum est) ordinem quendam sedendi in Ecclesia alijsque conuentibus illis in vsu fuisse: vtrum verò *secundum merita* ab Apostolis digniores essent præpositi; an temporis prærogatiuam retinerent, aut sortibus, ad euitandam ambitionem & contentionem, se committerent, nec potuit Ambrosius suo, nec quisquam mortalium nostro seculo scire potest. *Primus tamen erat Episcopus, ac proindè ordine, non gradu cæteris præstabat.*] Quæ hæc dementia est, vt apertis verbis Paulo repugnetis, qui non obscurè scribit, Deum in Ecclesia constituisse,[z] *Primùm, Apostolus, deinde Prophetas, tertiò Doctores?* Num existimas hos diuersos esse gradus? *Quid ni?*] Annon hi omnes, vbicunque docebant, in Presbyterio erant? *Certe?*] Ergo Presbyteri non ordine solùm, sed gradu inter se differebant. *Non de Apostolis, Euangelistis, aut Prophetis agimus, cum Presbyteros ordine tantùm, non gradu differre dicamus; sed de Pastoribus procurationem locorum illorum habentibus, in quibus agebant.*] Non quæritur de quibus vos loquamini, sed de quibus Ambrosius verba fecerit; non vestra sed illius verba iam expenduntur: is autem Presbyteris eos planè annumerat: quod Timothei exemplo confirmatur. Quem enim vos Euangelistam dicitis, Ambrosius Presbyterum asserit, & Episcopum tamen ait fuisse, quia ante se alterum non haberet. Quod si Ambrosius nominatim de eo mentionem non fecisset, non inficiaberis (opinor) Apostolos, Prophetas, & Euangelistas, vbicunque adessent[a] in Presbyteris fuisse. Iam vestra sit optio, vtrum hos omnes Presbyteros fuisse negabitis:[b] Petro contrarium affirmante; an in ordine *Presbyterorum diuersos gradus* Ecclesiasticorum munerum fuisse dicetis, vt hoc modo distinctio vestra *Gradus* & *Ordinis* ab Ambrosij sensu longè remota videatur. Is enim hoc nomine, vel *Meriti*, vel *Temporis ordinem* intelligit; quorum vtrumque diuersos Ecclesiasticorum officiorum gradus admittit. *Si minùs Ambrosius, nos tamen affirmamus.*] Quidlibet affirmare vobis facilè concedimus; sed ita tamen vt minimè credamus, nisi fidem etiam feceritis. Verùm nihil est causæ, cur ad Ambrosium hanc distinctionem referatis, qua de ne

z 1.Cor.12.

a Ephes 4.& 1.Tim.3.

b 1.Pet.5.

som-

ſomniauit ille quidem vnquam: vbi opportunum erit, argumentis, quantum poſſitis & velitis, diſtinctionem veſtram licebit confirmare; intereà vos animaduertere velim, vnicam diſciplinæ veſtræ arcem & præſidium in ſolis Ambroſij coniecturis eſſe poſitam, quæ nulla ratione fulciri poſſunt. Dicite enim ſicubi legiſtis Epiſcopos iuxta temporis & ætatis rationem electos fuiſſe? Num Timotheus tanquam ordine primus Epheſi ſucceſſit; an potiùs quia Paulus fidem & probitatem ipſius præ cæteris cognitam & ſpectatam habuit, deſignatus eſt Epiſcopus? ſcriptis deinde ad eum literis, quomodò ſe in Eccleſia Dei gereret, & quibus manus imponeret, num ex ordine quo in Eccleſia conſtituti ſunt, an ex præſcripto ipſius Presbyteros eligere mandauit? Prima certè Scripturarum præcepta de creatione Epiſcoporum ac Presbyterorum tradita, delectum non ordinem præſtituunt obſeruandum. Ante ea, nec Ambroſius, nec quiſquam omnium probare poteſt, Epiſcopos non delectu ſed ordine fuiſſe collocatos. Iam etſi maximè illud demonſtrare poſſetis, (quod vos non poſſe mihi certum eſt;) tamen mutatio iſta ab ordine ad electionē, atteſtante Paulo ad Titum & Timotheum, manifeſtum habet diuini Spiritus mandatum. Quamobrem hanc veſtram diſciplinam, de Epiſcopis ordine ſufficiendis, cum generali illo Apoſtoli præcepto, de idoneis potiſſimùm in Epiſcopos eligendis euidenter pugnare cernitis, quod etiam huc vſque religioſiſſimè in Eccleſia Chriſti obſeruatum, & Scripturarum authoritate perſpicua firmatum fuit.

Sed obſecro vos, nunquid hanc Ambroſij coniecturam recipitis, quam aduerſus Epiſcopos velut commune Presbyterorum perfugium, & munitiſſimum diſciplinæ veſtræ caſtellum defenditis? Annon primi fidem ei detrahitis, & in quo teſtimonium ipſius aduocatis, in eo etiam ipſi refellitis? Nam vt magnus partium veſtrarum patronus, ac coryphæus (& meo quidem iudicio veriſſimè) notat: [c] *Aliud eſt Electionis mandatum, quod immotum non tantùm in Diaconis, ſed etiam in ſacris functionibus omnibus ſeruatum oportet; aliud electionis modus.* Ergò Chriſti ſine dubio per Apoſtolum mandatum

[c] Reſpon Bezæ ad tract. de miniſt. Euang. grad.

eſt

est (alioqui enim immotum non esset) vt ad omnes sacras functiones non ordine, sed electione perueniretur. Quod si de superiori tempore loquatur Ambrosius, quandò illud fuerit, nemini liquet; vt non temerè affirmem, hanc Ambrosij opinionem nullo Scripturarum exemplo testatam, nullo Ecclesiæ aut ætatis cuiuslibet vsu fundatam, sed ab ipso excogitatam, quòd ignoraret qui in qualibet Ecclesia Episcopi fuissent, ante hæc Pauli ad Titum & Timotheum præcepta, de dignioribus in Episcopos & Presbyteros eligendis.

Ac ne quis vestrum fortè stomachetur, quòd dicam Ambrosium incertis quibusdam opinionibus niti, quid de his ipsius coniecturis eodem in loco vobis videtur? [d] *Primùm omnes docebant, omnes baptizabant. Inter initia omnibus concessum est, & Euangelizare, & baptizare, & Scripturas in Ecclesia explanare. Nunc neque Diaconi prædicant in populo, neque Clerici vel Laici baptizant.* Num initio omnes, etiam laicos, prædicasse aut baptizasse existimatis? Scio vos non credere. Nam decreta vestra planè aduersantur. Ambrosius tamen valdè affirmat, & ad eam rem exemplum Petri producit, qui Cornelium vnà cum familia ipsius alijsque apud eum congregatis, ab ijs quos secum duxerat, baptizari fecit, quos, quia [e] *fratres* appellantur, concludit laicos fuisse, & Cornelium, iubente & inspectante Petro cum omni domo baptizasse. Quàm infirma autem hæc assumptio sit, facilè vobis liquere potest; eodem tamen loco asseruntur verba illa à vobis superiùs adducta, & ex eadem animi persuasione pendent; nempe, quòd inter initia Ecclesiæ permixta omnia & confusa essent, exigente personarum paucitate, ac temporum necessitate; vt parùm referret quis Presbyter, quivè Episcopus esset. Quòd si vobis statutum sit Ambrosij authoritate pugnare, non quidem defugiam. Nihil enim aliud dicit, quàm primo presbytero (qui nomen & locum Episcopi tenebat) recedente, proximum ei successisse. Quòd autem certis vicibus, puta hebdomada, vel mense, præsiderent, quodq; Episcopus ordinandi potestate à Presbytero nihil differret, quæ vos diuinæ ordinationi tribuere soletis; si quicquam horum ex Ambrosio probetur, victos nos vltrà fatebimur.

d Ambr. in 4. ad Ephes.

e Act. 10. 24.

Quid? quòd ijsdem in locis quæ vos aduersus Episcopos, profertis, Ambrosius quatuor concluſiones habet disciplinæ veſtræ perinde contrarias, ac tenebræ ſunt luci, aut media nox Soli meridiano. In *Prima*, laicos Presbyteros omninò excludit: [f] *Preſbyteri & Epiſcopi* (inquit) *vna ordinatio eſt*; *vterque enim Sacerdos eſt*. Neuter igitur laicus. In *Secunda* ait, Timotheum Euangeliſtam, cùm [g] *Preſbyterum* tum *Epiſcopum à Paulo creatum*: quorum vtrumque à veſtris placitis diuerſum eſt, vt aut Euangeliſtæ Epiſcopi eſſent, aut Paulus Epiſcopos quandoque conſecraret. In *Tertia* negat: [h] *Fas eſſe aut licere vt inferior maiorem* (hoc eſt, Preſbyter Epiſcopum) *ordinaret*; cui conſequens eſt *Preſbyteros manus* Epiſcopo imponere non debere, vt Chryſoſtomus etiã author eſt. Poſtremò, vbi electionem Epiſcopi aut Paſtoris ad populum diuino iure ſpectare contenditis; Ambroſius non populi, non laicorum Presbyterorum, ſed [i] *multorum Sacerdotum iudicio* committendam ait.

f Ambroſ. 1. Tim. cap. 3.

g Idem Eph. cap. 4.

h Idem 2. Tim cap. 3.

i Idem in 4. Epheſ.

Videtis antiquos illos Patres Hieronymum & Ambroſiũ, quorum nomina non pro laicis ſolùm Presbyteris obtenduntur, ſed vt Epiſcopos & Presbyteros æquales, imò eoſdẽ planè, Apoſtolorum ætate fuiſſe conuincant, à diſciplinæ veſtræ ſenſu prorſus abhorrere. Nomina erant cõmunia, officia verò diuerſa, ac ne tum quidem cum vocabula eſſent promiſcua, Presbyteris licebat manus Miniſtris imponere. Selectis quibuſdam ſummis viris hæc poteſtas erat demandata, qui reliquorum, ſcilicet tam Paſtorum, quàm populi curam & inſpectionem haberent, & Apoſtolorum loco ſuccederent, vt ſequenti capite planiùs demonſtrabitur.

CAP.

CAP. XIII.

Quosdam Apostolorum ætate, & deinceps, ordinandi potestate, & iure successionis singulari, cæteris eminuisse Presbyteris, & in maioribus Ciuitatibus ad conseruandam Ecclesiæ vnitatem præpositos fuisse, quos Patres antè, & nos eorum exemplum sequuti, Episcopos appellamus.

ANtequam Episcoporum vocationem Apostolicam esse ordinationem demonstrem, facit vocabuli ipsis homonymia, & rerum multarum communitas ad Episcopos & Presbyteros æqualiter se habentium, vt notas quasdam & proprietates Episcopalis muneris & officij præfiniam, quibus tũ in Scripturis, tum Concilijs ac Patribus à reliquis Presbyteris separentur, nec vnquàm cum ijs confundantur. Multæ quidem eorum, Canonum præscriptione, & Ecclesiæ consuetudine, prærogatiuæ erant: vt pœnitentium reconciliatio, baptizatorum confirmatio, manuumque ijs impositio, Ecclesiarum dedicatio, cum similibus. Hæc autem (vt rectè Hieronymus)[a] *Ad honorem Sacerdotij potiùs quàm legis necessitatem pertinebant.* Quæ Episcopis peculiaria, & non communicanda Presbyteris erant, huiusmodi sunt; *succedendi priuilegium, & ordinandi prærogatiua.* Hæc Scripturæ, hæc Patres solis Episcopis tribuunt, Presbyteris adimunt. In omni maiori Ecclesia Ciuitateque Presbyteri multi, Episcopus tantùm vnus esse poterat. Premente necessitate, Presbyteri pœnitentibus & infantibus manus imponere, minimè tamen Episcopos & Ministros verbi ac Sacramentorum ordinare solebant.

[a] Hieron ad uer. Lucifer. rian.

Neq; verò hæ tenues quædam differentiæ, aut à me nuper excusæ censendæ sunt. In his externa Ecclesiæ vnitas ac salus vertitur. Vt enim ad euitanda schismata Episcopi primùm instituti sunt; ita ad vnitatem Ecclesiæ conseruandam vnicum cuiusq; gregis Pastorem Scripturæ apprimè laudauerunt. Vtque ab Episcopis cuiusque Ecclesiæ pendet vnitas, quia vnus tantũ vnius loci esse poterat; ita eiusdem sta-

bilis & perpetua permanſio ab ijſdem etiam propagatur, ordinando eos qui & viuentibus ipſis auxilio eſſe, ac morientibus, demum ſuccedere poſſint.

Integer extat Cypriani libellus, quo probare contendit, cuiuſque Eccleſiæ vnitatem Paſtoris ipſius vnitate inniti; ad quem plura legere volentem remito; vt etiam ad tertiam eiuſdem epiſtolam primi libri de eadem re, ad Cornelium inſcriptam. Summa autem huc recidit. [b] *Quis* (inquit) *ſic eſt ſceleratus & perfidus, quis ſic furore diſcordiæ vesanus, vt aut credat ſtindi poſſe, aut audeat ſcindere vnitatem Dei, veſtem Domini, Eccleſiam Chriſti? Monet ipſe in Euangelio ſuo, & docet, dicit: Et erit vnus grex, & vnus paſtor. Et eſſe poſſe in vno loco aliquis exiſtimat aut multos Paſtores, aut plures greges?* In præfata epiſtola, non de Pontifice Romano (vt illi perperam interpretantur) ſed de ſe ait: [c] *Neque enim aliunde hæreſes obortæ ſunt, aut nata ſunt ſchiſmata, quàm inde, quòd Sacerdoti Dei non obtemperatur, nec vnus in Eccleſia ad tempus Sacerdos, & ad tempus index vice Chriſti cogitatur. Cui ſi ſecundùm magiſteria diuina obtemperaret fraternitas vniuerſa, nemo aduerſus Sacerdotum collegiũ quidquã moueret; nemo poſt diuinũ iudiciũ, poſt populi ſuffragium, poſt Coepiſcoporum conſenſum, iudicem ſe iam non Epiſcopi, ſed Dei faceret.* Tantundem Hieronymus. [d] *Etiam muta animalia & ferarum greges ductores ſequuntur ſuos. In apibus Principes ſunt. Grues vnam ſequuntur ordine literatè. Imperator vnus, Iudex vnus prouinciæ: Roma, vt condita eſt, duos fratres ſimul habere reges non potuit. In Rebeccæ vtero Eſau & Iacob bella geſſerunt. Singuli Eccleſiarum Epiſcopi, ſinguli Archipreſbyteri, ſinguli Diaconi, & omnis ordo Eccleſiaſticus ſuis rectoribus nititur. In naui vnus gubernator: in domo vnus Dominus: in quamuis grandi exercitu vnius ſignum expectatur.* Quid? quòd [e] *Eccleſiæ ſalus in ſummi Sacerdotis dignitate pendet: cui ſi non exors quædam & ab hominibus eminens detur poteſtas, tot in Eccleſiis efficientur ſchiſmata, quot Sacerdotes. Inde venit, vt ſine Epiſcopi iuſſione, neque Preſbyter, neque Diaconus ius habeant baptizandi.*

b Cyprian. de vnitate Eccleſ.

c Cypr. lib. 1. ep. 3.

d Hieron. ad Ruſtic Mona.

e Idem. ad uer. Lucifer.

Vnius Paſtoris vbique moderatio Eccleſiæ pacem alit, diſſidia tollit, qua de cauſa inſtituti primùm Epiſcopi ſunt.

Hinc

Hinc communis illa omnium Conciliorum ac Patrum consensio, non nisi vnum in qualibet ciuitate Episcopum esse potuisse, vbi Presbyteri tamen plures essent.

Cornelius, Episcopus & Martyr, longè ante Nicenum Concilium Fabio Episcopo Antiocheno Nouatianæ hæresis originem explicans, ita ait: [f] *Vindex ille Euangelij ignorauit vnum esse debere in Catholica Ecclesia Episcopum, in qua non nescit Presbyteros esse quadraginta sex.* In Concilio Niceno decretum est: [g] *Ne in vna ciuitate duo sint Episcopi.* Chrysostomus ad illam Pauli salutationem, *Episcopis & Diaconis qui Philippis sunt*, quæstionem mouet: [h] *Quid hoc? an vnius ciuitatis multi erant Episcopi?* Et respondet, *Nequaquam; sed Presbyteros isto nomine appellauit. Tum enim nomina adhuc erant communia, atque ipse etiam Episcopus vocabatur Diaconus. Procedente verò tempore, proprium cuique distributũ est nomen, vt hic quidem Episcopus, ille verò Presbyter appelletur.* Theodoretus. [i] *Ne fieri quidem poterat, vt multi Episcopi essent vnius Ciuitatis Pastores: quo fit vt essent scilicet Presbyteri, quos nominauit Episcopos.* Oecumenius ijsdem ferè verbis. [k] *Non quod in vna ciuitate multi essent Episcopi, sed Episcopos vocat Presbyteros, tunc enim nominibus adhuc communicabant.* Latini Patres in eadem sunt sententia. Optatus, [l] *Schismaticus & peccator est, qui contra singularem Cathedram alteram collocat.* Hieronymus, [m] *Hic Episcopos presbyteros intelligimus: non enim in vna vrbe plures episcopi esse potuissent.* Ambrosius hæc non refert ad Episcopos qui Philippis erant, sed ad eos qui vnà cum Paulo & Timotheo versabantur. [n] *Cum Episcopis* (inquit) *hoc est (qui) cum Paulo & Timotheo, qui vtique Episcopi erant. Nam si Episcopis scriberet, ad personas eorum scriberet; & loci ipsius Episcopo scribendum erat, non duobus vel tribus, sicut & ad Titum & Timotheum.* Nam vt alibi ait: [o] *Aliquantos esse presbyteros oportet, vt bini sint per Ecclesias, & vnus in ciuitate Episcopus.*

f Euseb. lib. 6. cap. 43.

g Ruffi. Eccles. hist. lib. 1. cap. 6.

h Chrys. hom. 1. ad Philip.

i Theodor. 1 ad Philip.

k Oecum. in 1. cap. ad Phil.

l Optat. contra Parmen. lib. 2.

m Hieron. 1. ad Philip.

n Ambr. eodē

o Ambr. in 3. cap. 1. Tim.

Certissima igitur distinguendi inter Episcopos & Presbyteros regula est, quòd Presbyteri in qualibet ciuitate multi essent, Episcopus vnus tantùm; nisi alius se vi ingeret, & schisma in Ecclesia excitaret (quicum communicare

tamen nefas erat;) aut extrema ætate vel morbo laboranti coadiutor assignatus esset; quo casu, præsente primo, alterius authoritas nulla erat. Atque hæc singularis Pastoris vbique moderatio, ab Apostolis eorumque discipulis in celeberrimis totius orbis Ecclesijs ad nos perpetua successione deuenit, hodieque obtinet; nisi vbi abominatio, aut desolatio (hæresim dico aut tyrannidem) impedimento ei fuerint: cuius rei adeò plena sunt Historiarum ac Patrum monumenta, vt demirer quenquam esse vel mediocriter doctum, qui neget Episcoporum institutionem esse Apostolicam. Si quidem successio eorum Apostolica sit, vocationem eorum similiter Apostolicam esse necesse est; quòd autem Apostolis & Euangelistis in Ecclesijs ac Cathedris suis successerint, si qua fides Christianis hominibus, aut Ecclesijs adhibenda sit, argumentis omni luce clarioribus demonstrari potest.

Alterum Episcopalis potestatis signum est, manuum Presbyteris & Episcopis impositio. Vt enim Pastores aliquibus opus habebant, qui in partem oneris & laboris venirent, qui Presbyteri fuerunt; ita alij non minùs necessarij erant, qui eorum loco successuri essent, quos Episcopos appellarunt. Quæ quidem ordinandi Presbyteros & Episcopos potestas, principio ab Apostolis ad Episcopos deuenit, atque inde mille quingentis annis penes eos solos remansit, nec ad Presbyteros dimanauit. *Philippus* [s] *Samariæ prædicauit* quidem ac *baptizauit*; dona tamen Spiritus sancti, quibus Pastores & Doctores ad ministerium Ecclesiasticum idoneos efficeret, per manuum impositionem conferre non potuit. Apostolorum hæc propria potestas erat, qui Hierosolymis Samariam ob eandem causam profecti sunt. Simile quid à Paulo & Barnaba factum legimus, qui Ecclesias à se fundatas inuisebant, & in singulis, prout opus erat, [p] Presbyteros constituebant. Paulus [q] *huius rei gratia* Titum Cretæ reliquit; & Timotheus Ephesum missus est, vt Ministris ordinandis [r] *Manus imponeret*; cum tamen Ecclesia illa Presbyteros multò ante haberet. Hieronymus vbi Presbyterorum partes latissimè extendit, & pares iure diuino Episcopis facit,

[s] Act.8.
[p] Act.14.
[q] Tit.1.
[r] 1.Tim.5.

cit, hoc vnum tamen his minimè putat licere. [s] *Quid facit, excepta ordinatione, Episcopus, quod Presbyter non faciat?* Non dicit, quid facit Episcopus, quod Presbyter nõ facia:? (multa enim motibus institutisq; Ecclesiæ prohibita Presbyteris erant, quæ iure diuino ijs facere licebat:) sed ad Dei ipsius ordinationem prouocat, hoc est, *ad diuinam institutionem* (vt idem Commentarijs in Titum appellat) atque ex ea quidem apertè fatetur, Presbyteris nullam eiusmodi potestatem fuisse. Ad Apostolos enim, & eos qui Apostolis non generatim in Ecclesia, sed speciatim in Cathedra succedebant, ordinandi munus pertinuit.

[s] Hieron. ad Euagrium.

Hinc Chrysostomus aduersus disciplinam vestram expressè infert, ex illis verbis Pauli ad Timotheum, [t] *Ne negligito donum quod in te est, quod datum est tibi cum impositione manuum Presbyterij*, per Presbyterium Episcopos, non Presbyteros significari, adiecta etiam ratione, [u] ὐ γὰρ δὴ πρεσβυτέροις τὸν ἐπίσκοπον ἐχειροτόνουν: *neque enim Presbyteri (Apostolorum ætate) manus Episcopo imponebant*. Imò vero, [x] οὐκ ἂν δὲ ἐπίσκοπον ἐχειροτόνησαν, *manus Episcopo imponere non poterant*. Non à sua ad Apostolorum ætatem concludit, vt quia illo tempore, quo vixit Chrysostomus, prohibitum erat, ideò Pauli ætate minimè liceret; hoc frigidum nimis & insulsum fuisset: sed argumentum ita contexit; qui Presbyteri, viuente Apostolo, manus Episcopo imponere non poterant; *ergo* verba illa non de Presbyteris, quibus hoc negatum erat, sed de Episcopis accipienda sunt, qui soli iuxta regulas Apostolicas ordines conferre possunt. Eandem repetit atque vrget sententiam, vbi rationem affert, cur Paulus in Epistola ad Timotheum, descripto Episcoporum officio, nullam Presbyterorũ mentionem fecerit, sed ad Diaconos statim transiret:

[t] 1. Tim. 4.

[u] Chrysost. hom. 13. in 1. Tim. 4.

[x] Idem hom. 1. in Ep. ad Philip.

[y] ὅτι ὐ πολὺ τὸ μέσον, καὶ γὰρ κἀκείνοις διδασκαλίαν εἰσὶν ἀναδεδεγμένοι. καὶ προεδρίαν τῆς ἐκκλησίας. τὴν γὰρ χειροτονίαν μόνην αὐτῶν ἀναβεβήκασι, καὶ τοῦτο μόνον δοκοῦσι πλεονεκτεῖν τοὺς πρεσβυτέρους. *Quia (inter Episcopos & Presbyteros) non multum interest. Nam & illis in Ecclesia docere & regere permissum erat, & quæ de Episcopis dixit, ea etiam Presbyteris congruunt. Sola ordinatione (Episcopi) superiores sunt; atque hoc tantùm plus quàm*

[y] Chrysost. hom. 11. in 1. Tim cap. 3.

z Theodor. in 1.Tim.c 4.

Presbyteri habere videntur. Theodoretus.[z] *Prebyterium hîc* (Paulus) *eos vocat, qui Apostolicam gratiam accepissent.* Theodoreti enim iudicio Episcopi tum temporis dicebantur [a] Apostoli, Presbyteri verò Episcopi. Oecumenius: [b] *Manus cito nemini imponito*; περὶ χειροτονιῶν διαλαμβάνει, ἐπισκόπῳ γὰρ ἔγραφε: *de manuum impositione agit* (Paulus;) *Episcopo enim scripsit.*

a Idem in c. 1.ad Philip

b Oecum. in 1.Tim.c.5.

Eandem Ambrosius rationem prætermissorum à Paulo Presbyterorum assignat; eandem etiam inter Episcopos & Presbyteros differentiã facit, quam Chrysostomus ante denotauit. Timotheus, [c] *quia alterũ ante se non habebat, Episcopus erat, vnde & quemadmodum Episcopum ordinet, ostendit. Neque enim fas erat, aut licebat, vt inferior ordinaret maiorem. Nemo enim tribuit, quod non accepit*; Timotheum Episcopum fuisse non Ambrosij solius testimonio, sed reliquorum Patrum clara confessione, priùs est à me demonstratum: quo sensu eum [d] συνεργὸν *cooperarium ipsius in Euangelio* Paulus appellat, & in [e] multis Epistolis nomen illius vnà inscribit, vtostenderet eum non modò in consortium Ministerij ascitum, sed in partem honoris à se vocatum, & electum, qui ad confirmandam Ecclesiam Ephesi maneret, cum in hunc modum ad eum scriberet. Itaque authoritatem hanc non ordine, aut ætate nactus est; neque enim Presbyter erat Ephesinus, sed illic cum Episcopali potestate relictus, quam per manuum impositionem multò ante à Paulo acceperat. Sed vtut est, siue à Paulo, siue aliunde authoritatem hanc sortitus esset, pro Episcopo eum Ambrosius habuit, atq; ea re Presbyteris superiorem; cum ordinandi Episcopos potestatem haberet, quam Presbyteris negatam fuisse apparet; verbis ad hoc exquisitissimis vsus est. [f] *Neque fas erat* (hoc est, religioni consentaneum, fas enim ad religionem spectat, vt ius ad homines) *neque licebat, vt inferior ordinaret maiorem*, puta, *Presbyter Episcopum.* [*De Episcopis ordinandis viderint alij, quibus Episcopi curæ sint: nos inutiles prorsus existimamus. De Presbyteris verò, hoc est, Ministris verbi ac Sacramentorum, luculenta admodũ quarti Concilij Carthaginensis constitutio extat, his verbis*, ¶ *Presbyter cum ordinatur, Episcopo eum benedi-*

c Ambros. in 1.Tim.cap.3.

d Rom 16.1. 1.Thess.5.

e 2.Cor.1. 1 Thes.1. 2.Thes 2.

f Ambros.in 1.Tim.c.3.

g Concil. Carthag.4. can.3.

cente

cente, & manum super caput eius tenente; etiam omnes Presbyteri, qui præsentes sunt, manus suas iuxta manum Episcopi super caput illius teneant. Ad creandos ergo Presbyteros Presbyteri satis sunt: hi enim ad Ecclesiastica quæcunque munera obeunda sufficiunt; vt Episcopis nihil opus sit.] Non hoc dicit Conciliũ, quòd Presbyteri sine Episcopo Presbyteros ordinare potuerint, verba ipsa diligentiùs attendite. Presbyteri, qui præsentes erant, manus suas super caput ordinandi iuxta manum Episcopi tenere, non autem, remoto eo, manus cuiquam imponere poterant. Iam verò, quo consilio manus imposuerint; vtrum ad ordinandum pariter cum Episcopo; an vt sacram hanc atque publicam actionem communibus votis precibusque promouerent, id solùm in quæstione versatur. Si ordinandi potestatem simul cum Episcopo, ac etiam citra, tribuimus, Patres quos antea testes adduximus (adduximus autem bene multos) manifesti erroris coarguemus. Hi enim vno ore negant. Imò, Hieronymus ipse, (qui cum Presbyter esset, nec memoriam eius rei amittere potuit, nec quicquam quod ad eos pertineret, prætermittere voluit) hoc ipsum planè ignorauit. Episcopis enim ordinationem attribuit, Presbyteris adimit; vnde licet manus iuxta manum Episcopi tenerent, non tamen perindè, vt Episcopus, ordinabant. *Qui scis, vtrum ad hunc an ad illum finem manus vnà cum Episcopo imposuerint, cum Actio vtrisque communis fuerit, nec diuersum eorum propositum notetur?*] Nisi Concilia & Patres inter se committere velitis, hanc manuum cum Episcopo impositionem, ad consensum potiùs, quàm ad consecrationem referre oportebit. Ita enim summa omnium consensio erit. Sin minus, non aliorum modò Conciliorum ac Patrum fundamenta conuellitis, sed huius etiam Synodi fidem infringitis. Nihil enim aliud Presbyteris tribuit, quàm vt manus vnà cum Episcopo imponere, non vt sine eo quenquam ordinare possint. *Multa iure Canonum Presbyteris prohibita erant, quæ per Scripturas tamen facere licebat. Demonstrandum igitur Episcopos diuino iure à Presbyteris differre, antequam diuersos gradus esse concedamus.*] Si iure diuino Presbyteris æquè ac Episcopis ordinandi potestas deferatur,

vtut

vtut hominum instituto, aut aliquo ritu ab eadem exciderint, seu potiùs excluſi fuerint, gradu tamen pares Episcopis sunt, sed honore tantùm inferiores: quod si potestas ea iure diuino Episcopis concessa, Presbyteris verò negata sit, licèt omnes neruos intendatis, nunquam tamen efficietis, quin diuersos Ministerij gradus constituant. Ac Episcopis quidem datam hanc potestatem fuisse, nemini verba Pauli ad Timotheum & Titum legenti, pariterque intelligenti, in obscuro esse potest.[h] *Manus citò nemini imponas.*[i] *Huius rei gratia, reliqui te in Creta, vt presbyteros oppidatim constitueres.* Iam probandum vobis è Scripturis est, parem ordinandi facultatem Presbyteris tributam esse; alioqui, quomodo non diuersos gradus efficiant, qui iure diuino diuersas potestates actionesque habeant? *Argumenta nostra meridiana luce clariora sunt.*] [k] *Ne negligito donum quod datum est tibi, cum impositione manuum presbyterij.* [*Atque hoc ius presbyteris integrum & intactum multis seculis in Ecclesia mansisse Carthaginensis Concilij authoritate probauimus.*] Tot modis (vt sæpiùs admonui) huic vestræ verborũ Pauli intelligẽtiæ occurritur, vt nihil inde pro vobis concludi possit. Hieronymus enim vno modo interpretatur, Chrysostomus alio, Paulus etiam ipse tertio. Si nec cum Hieronymo, Ambrosio, Primasio, Presbyterium pro officio in Timotheum collato accipere, quorum sententiæ Caluinus etiam accedit; nec cum Chrysostomo, Theodoreto, reliquisque Græcis, ad Episcopos quidem referre placuerit, cum Presbyteris, eorum iudicio, ordinandi Episcopum potestas non fuerit; illud tamen omittendum non est, Paulum huic actioni non interfuisse solùm, verùm præfuisse, & Timotheo *manus imposuisse*; & proindè sine Apostolis, aut eorum locum obtinentibus, quales Timotheus & Titus fuerunt, Presbyterijs vestris nemini manus imponere licebat. Annon hoc ex eodem Concilio manifestò apparet? Primùm enim Episcopus solus benedicere, & manus ei imponere debet; tum verò Presbyteri qui præsentes sunt, velut ordinationi consentientes, manus suas iuxta manum Episcopi tenent. Absque eo Presbyteri nunquam, quod legimus, benedixerunt, aut manus

h 1.Tim.5.
i Tit.1.
k 1.Tim.4.

nus ordinandis impoſuerunt. Et nè à me hæc nullo teſte aut arbitro, vt hodiè multis mos eſt, dici putetis; hæc exempla cum animis veſtris diligenter perpendite, deinde de his ſententiam vobis non indignam proferte.

Concilium Hiſpalenſe audito Epiſcopum quendam in ordinandis Presbyteris & Diaconis, *quia oculorum dolore laboraret, manus tantùm ſuper eos poſuiſſe, & vt Preſbyter* conſecrationis verba legeret, ac *benediceret ordinandis*, toleraſſe; totam ordinationem, vt non ritè peractam, his verbis reuocauit.[l] *Propter tantam præſumptionis audaciam poterat indicio præſenti damnari, ſi non fuiſſet morte præuentus; ſed ne ſibi licentiam talis vltra vſurpatio faciat, decreuimus, vt qui ab eo non conſecrationis titulum ſed ignominiæ elogium perceperunt, à gradu Sacerdotalis vel Leuitici ordinis, quem peruersè adepti ſunt, depoſiti æquo iudicio abijciantur. Tales enim meritò iudicati ſunt remouendi, quia prauè inuenti ſunt conſtituti.* Hic Epiſcopus non interfuit ſolùm, ſed manus etiam illis impoſuit, & cum propter oculorum dolorem ipſe legere non poſſet, Presbyterum illis benedicere, hoc eſt, conſecrationis verba pronunciare permiſit; hoc tamen ipſum Synodus, *extremæ audaciæ & vſurpationis contra Eccleſiaſticum ordinem*, damnauit; atque ita ordinatos, vt non legitimè conſtitutos, de ſacro ordine mouendos cenſuit. Quid ergo dicturos putas, ſi hodiè vixiſſent, & Presbyteros non abſentibus ſolùm, ſed repugnantibus etiam Epiſcopis manus imponendi, benedicendi, ordinandiq́ue poteſtatem impia temeritate ſibi vendicantes audiſſent, & vidiſſent.

l Concil. Hiſpalen. can. 5.

Colluthius[m] Eccleſiæ cuiuſdam in Alexandria Presbyter ab Epiſcopo ſuo temerè deſciſcens, Presbyteros quoſdam, Presbyter cum eſſet, ordinauit. Ea de cauſa, [n] *in generali Concilio apud Hoſium reliquóſque Epiſcopos appellatus, iuſſus eſt ſe pro Preſbytero, ſicut anteà, gerere, & quotquot ab eo ordinati erant, ad priorem ſtatum retracti ſunt.* Euenit poſteà vt Iſchyras quidam ex ordinatione Colluthi Presbyter, vti ferebat, Macarium de vi ſibi illata ad ſacram menſam miniſtranti, & calicem Domini in manu tenenti, reum perageret. Centum plus minùs Epiſcopi ad Synodum in Aegypto indictam occurrunt,

m Epiph hæreſ. 69.

n Athanaſ. Apolog 2. in lit. Presb. Marit. ad Cunos & Philagr.

currunt,& vt Iſchyram mendacij coarguerent; obijciunt Iſchyræ,Presbyterum eum non fuiſſe,& ob eam rem non potuiſſe ei diuina tractanti à Macario vim inferri. Ipſorum verba in medio ponam. *Quo pacto igitur Presbyter Iſchyras? aut quo tandem authore conſtitutus? Numquid ſcilicet à Colluthо? id enim reſtat. Atqui Colluthum in gradu Presbyterij mortuum, omnemq́, eius manuũ impoſitionem reſciſſam, omneſq́, ab eo conſtitutos, in laicorum ordinem redactos eſſe, & ſub nomine laicorum ad Synaxim admiſſos, adeò apud omnes conſtat, vt nemo ea de re dubitandum putet.* Concludunt igitur Iſchyram, vtpote à Collutho ordinatum, Presbyterum non fuiſſe, quia Colluthus Presbyter, non Epiſcopus erat,totaq́ue ipſius ordinatio reſciſſa, omneſq́ue ab eo conſtituti pro laici habiti, nec alio nomine ad Eccleſiam admiſſi fuerant: Hæcq́ue adeò certa & clara fuerunt,vt nihil eſſet quod dubitationem aliquam afferret. Operæ pretium erit locum ipſum diligenter inſpicere; declarat enim cuiuſmodi totius veteris Eccleſiæ de hac quæſtione iudicium fuerit; nempe quòd Presbyteri alios ordinare non poſſent; & ab ijs conſtituti,non alio quàm laicorum numero ſunt habendi.

Maximus qui Gregorio Nazianzeno, quoad Conſtantinopoli vixit, perfamiliaris erat, cuius beneficio etiam [o] *in Clerum aſcitus, & cum Presbyteris* illius ciuitatis *conſtitutus eſt*, compertum habens Gregorium Miletij Antiochiæ Epiſcopi, aliorumq́ue opera Nazianzo Conſtantinopolim,abſque authoritate plenæ Synodi, contra Canonum præſcripta,tranſlatum eſſe,cum Petro Alexandrino egit,vt quoſdam Aegypti Epiſcopos mitteret, qui ipſum Conſtantinopolis Epiſcopum conſecrarent. Poſteà, re in ſecundo generali Concilio agitata, Synodus non modò Maximum ipſum ab Epiſcopatu deiecit, ſed quotquot ab eo manuum impoſitionem acceperant, quocunque gradu conſtitutos,dimouit; hac ratione permota, quia non Epiſcopum eum, ſed Presbyterum,adeoq́ue nulla ordinandi poteſtate præditum fuiſſe iudicabat. Decreti ipſius verba ſubijciam. [p] *De Maximo Cynico, & eius inordinata conſtitutione, quæ Conſtantinopoli facta eſt, (placuit) Maximum Epiſcopum nec fuiſſe, nec eſſe, nec eos qui*

o Greg. in vita Nazianz.

p Concil. Conſtant. 1. cap. 4.

qui ab ipso in quolibet gradu Cleri sunt ordinati; omnibus, quæ circa ipsum, vel ab ipso gesta sunt, irritis esse iussis. Si Presbyteri ordines conferre potuissent, Maximus iure optimo à Gregorio in eo gradu constitutus fuit, ac proinde Synodus sine causa ordinatos ab eo deposuisset. Verùm, hoc posito fundamento, eum Episcopum legitimè factum non fuisse, quibuscunque manus imposuerat, sacri muneris expertes esse iudicauit. Itaque manuum impositionem Episcoporum tantùm propriam fuisse confirmatur primæ Ecclesiæ vniuersali authoritate, qua Presbyteri Presbyteros ordinare prohibentur, nedum Episcopis manus imponere. *Hanc eorum sententiam fatemur esse, Presbyteros sine Episcopo manus imponere non debuisse, cum Episcopo autem potuisse, ac feciſſe etiam, Carthaginensis Concilij decreto probauimus. Itaque nec Presbyteri sine Episcopis, nec Episcopi siue Presbyteris, hoc est, neutri sine alteris facere potuerunt.*] Benè se habet, quòd hoc vnum à vobis tandem aliquando expressimus, sine Episcopo nullam Presbyterorum esse ordinationem. Quid ergo? Num Episcopi Ecclesiæ necessarij sunt? num ijdem planè cum Presbyteris, an diuersum ab illis gradum constituunt? *In ordinando quidem vterque ordo necessarius, nec alter sine altero quicquam efficit.*] Etiam ex hac statione depellendi estis. In Concilio enim, quod modò pro vobis adduxistis, neque numerus vllus Presbyterorum definitur, nec præsentia eorum necessariò requiritur; tantùm præcipitur, vt siqui præsentes sint, per manuum suarum impositionem Episcopi facto assensum præbeant. Episcopus nec eorum nomine, nec eorum periculo manus imponit, si quid minùs ritè ab eo factum fuerit; sed vt solus, ei quem ordinat, benedicit, & diuino ministerio consecrat; ita solus periclitatur, si contra Canonum præscripta quid commiserit. Concilium Hispalense ita definit: [q] *Episcopus Sacerdotibus ac Ministris solus dare honorem potest, solus auferre non potest.* Neque enim tanta Presbyterorum copia, quantam putatis, Episcopis semper in promptu erat. In maioribus quidem Ecclesijs plures fuerunt, in minoribus vnus, vel ad summum duo, aliquando etiam nullus; eo tamen non obstante, Episcopi manus sine illis imponere non

q Concil. Hispalen. can. 6.

non desierunt.

Multis in locis, referente Ambrosio, [r] *bini per Ecclesiam Presbyteri erant*, alicubi etiam vnus. Cum in tertia Carthaginensi Synodo communi consilio decretum esset, licere Metropolitano Presbyteros è qualibet Diœcesi assumptos, etiam repugnante eo, sub quo anteà constituti erant, illis Ecclesijs Episcopos præficere, quæ eos postulauerant; [s] Posthumianus Episcopus ita occurrebat. *Si (Episcopus) vnum tantùm Presbyterum habuerit, nunquid debet ei vnus iste auferri?* *Cui Aurelius (Carthaginensis) respondit; Episcopus vnus esse potest, per quem dignatione diuina Presbyteri multi constitui possunt; vnus autem Episcopus difficilè inuenitur constituendus. Quapropter si necessarium Episcopatui quis habet Presbyterum, & vnum, vt dixisti frater, habuerit, etiam ipsum ad promotionem dare debebit. Posthumianus retulit: Ergo si habet alius abundantes Clericos, debet mihi alia plebs subuenire.* Aurelius concludit: *Sanè quomodò Ecclesiæ alterius tu subueneris, persuadebitur illi, qui plures habet Clericos, vt vnum tibi ordinandum largiatur.* In hac oratione tria mihi explicata videntur. Primùm Episcopos sæpè vnum tantùm Presbyterum habuisse, qui ex causa etiam aliò transferri poterat. Secundò, Episcopum, nullo ei Presbytero relicto, plures, si vellet, ordinare potuisse, si quos dignos & idoneos apud se haberet. Tertiò, non habenti de suo, aliundè ordinandos suppeditari debere, pro numero eorum quos amiserat. *Episcopus igitur, etsi nullum omninò Presbyterum haberet, qui ordinationem cum eo celebraret,* solus tamen vel ex suorum numero, vel aliunde accitos, modò dignos, ordinare poterat.

Præterea, si quid in ordinandis Ministris contra Leges Ecclesiasticas delinqueretur, Episcopo, qui manus imponebat, non Presbyteris pœna constituta erat. Iam si Presbyteris cum Episcopo communis ordinandi potestas fuisset, quo iure, præteritis illis, in Episcopum tantùm animaduerteretur? Vèrùm, quia Episcopus solus ordinabat, Presbyteri factum ipsius, cui refragando obsistere non poterant, assistendo tantùm comprobabant: Canones qui soli Episcopo hanc curam demandarant, ab eodem etiam pœnas repetebant, si quid

[r] Ambros. 1. Tim. c. 3.

[s] Concil. Carthag. 3. can 45 & Africam. can. 56.

quid minùs rectè factum fuisset. Hinc fit vt leges omnes tam Ecclesiasticæ quàm Ciuiles, quæ aduersus corruptelas in ordinandis Presbyteris & Diaconis ferantur, singulari numero tanquàm de vno loquantur, non in plurali tanquàm de multis; vt vnum aliquem in his rebus præcipuum Actorem fuisse denotent, cui reliqui velut testes accederent.

De Clericis Paulianistarum ad Ecclesiam redeuntibus, si quidem integris & incorruptis moribus essent, Concilium Nicenum ita decreuit, [t] χειροτονεῖσθαι ὑπὸ τοῦ καθολικῆς ἐκκλησίας ἐπισκόπου: *ordinentur ab Episcopo Catholicæ Ecclesiæ.* Concilium Antiochenum: [u] *Vnusquisq; Episcopus in sua parœcia potestatem habeat ordinandi Presbyteros & Diaconos.* Chalcedonense, [x] *Si quis Episcoporum accepta pecunia ordinauerit, siue Episcopum, siue Presbyterum, siue Diaconum, aut quemcunque alium qui connumeratur inter Clericos, si quidem conuictus fuerit, gradus sui periculum subeat.* Idem rursus [y] *Neminem nec Presbyterum, nec Diaconum, nec quemlibet in ordinatione constitui* ἀπολελυμένως, hoc est, *absolutè (vel certo loco non affixum) ordinari debere. Eorum autem, qui (ita) ordinantur, decreuit sancta Synodus vacuam habere manus impositionem, & nullum tale factum valere ad iniuriam* τοῦ χειροτονήσαντος, *eius qui ordinauit eum.* [z] *Si, de Pauliniano* (inquit Hieronymus *aduersus errores Iohannis Hierosolymitani*) *tibi sermo est, vides eum Episcopo suo esse subiectum, versari Cypro, ad visitationem nostram interdùm venire, non vt tuum, sed vt alienum, eius videlicet (Episcopi) à quo ordinatus est.* Postremò Imperator, [a] *Sed neque Clericum* (inquit) *cuiuscunque gradus permittimus dare aliquid ei à quo ordinaretur.* Idem in genere obseruare licet; si qua legum imperialium de ordinandis Episcopis, Presbyteris & Diaconis negligeretur, nulla in Presbyteros, qui Episcopo operam dabant, pœna constituta est, sed in eum [b] *qui ordinat, aut qui ordinationem imponit*, cum penes eum fuerit imponendo, vel retinendo manus, vtrum actionem deserere, an perficere velit.

t Conc. Nicen. can. 19.
u Concil. Antioch. can. 9.
x Conc. Chal. can. 2.
y Idem can 9
z Hieron. ad Pannach. aduers. error. Ioh Hierosolymit
a Nouel. constit. 123. ca. 16
b Nouel constit. 6.

Quamobrem nulla certè iusta causa nostri sæculi Scriptoribus fuisse videtur, cur hanc Epiphanij narrationem conuellerent, cum aduersus Aërium rationibus contendit, Presbyterum

byterum parem Episcopo non fuisse. Episcoporum enim ordo [c] *Patres Ecclesiæ generat*; Presbyterorum verò sors πατρῶν μὴ δυναμένη γεννᾶν, *vtpotè Patrũ generationi impar, per Lauacri regenerationem filios Ecclesiæ generat, non tamen Patres aut Doctores, ac proindè fieri non potest vt Presbyter, qui imponendi manus potestatem non habeat*, par Episcopo & æqualis existat. Quid in his verbis affirmat Epiphanius, quod non Athanasius, Hieronymus, Chrysostomus, & Ambrosius idem tradidere? aut quid aliud dicit, quàm quod Primitiua Ecclesia in Concilijs suis Oecumenicis pariter ac prouincialibus aduersus Colluthum, Maximum alioſque decreuit; & iam inde ab Apostolorum temporibus inuiolatè obseruauit? Si ab Epiphanij sententia recedamus, qua asseritur Episcoporum propriam fuisse manuum impositionem, vniuersę Christi Ecclesiæ fidem derogamus, quæ in explicandis Scripturarum sensibus eandem semper sententiam tenuit, & perpetua omnium temporum & locorum praxi hanc interpretationem suam confirmauit. Ordinandi enim potestate Christianum orbem Episcopos à Presbyteris separasse; Conciliorum, Patrum, Historiarum omnium monumenta locupletissimi nobis testes sunt.

[c] Epipha. hęr. 75. aduers. Aerium.

Quemadmodùm verò manuũ impositione, ita successionis iure singulari ab Apostolicis vsque temporibus Episcopi semper à Presbyteris discreti fuerunt. Quod quidem omnibus ijs, qui non veritatem voluntati suę mancipatam esse velint, certissimo argumento potest esse, primam Episcoporum supra Presbyteros institutionem verè fuisse Apostolicam. Erudite illud à Tertulliano notatur: [d] *Constabit id esse ab Apostolis traditum, quod apud Ecclesias Apostolorum fuerit sacrosanctum.* Et ab Augustino, [e] *Quod vniuersa tenet Ecclesia, nec Concilijs institutum, sed semper retentum est, non nisi authoritate Apostolica traditum rectissimè creditur.* Iam verò in Ecclesijs ab Apostolis eorumque cooperarijs ad fidem conuersis, aliquem à reliquis Presbyteris diuisum, & in Episcopali sede collocatum fuisse, etiam antequàm Concilia de his statuere cœpissent; & deindè ab Apostolorum quidem temporibus ad hanc nostram ætatem eundem morem inualuisse, per-

[d] Tertull. aduers. Marc. lib 4.

[e] August. de Bapt. contra Don. l. 4. c. 24.

perpetua Episcoporum successio, non in illis solùm, sed eorum exemplo in alijs omnibus totiùs orbis Ecclesijs, plenè solidéque demonstrabit. Nam si Apostoli suis ipsorum manibus Episcopos constituerunt; si recedentes, aut è vita migrantes, Episcopos successores sibi reliquerunt, si discipuli ac comites Apostolorum hunc morem aduersus schismata semper retinuerunt, ac posteris etiam tradiderunt; quis tam pertinax opinionum suarum amator est, qui non vltrò confiteatur primam Episcoporum institutionem, si non mandatam & impositam Ecclesiæ, per manus tamen ab Apostolis traditam fuisse, & ad pacem vnitatemque Ecclesiæ tuendam exemplo fidelibus commendatam? Proindè Ecclesiæ consuetudo (quam refert Augustinus) vt Episcopi Presbyteris maiores essent; & decretum illud (cuius meminit Hieronymus) toto orbe celebratum, cum ab Apostolis profecta, & eorum authoritate munita sint, post mille quingentos annos retractanda non sunt, nisi plus Apostolis in Ecclesia gubernanda videre & sapere nos posse existimemus.

Eusebius, qui primus omnium (post Egesippum & Clementem, qui interciderunt) Ecclesiastica monumenta accuratissimè perscrutatus est, & quæ vtilia iudicauit, perscripsit, Episcoporum successiones in quatuor summis totius orbis Ecclesijs, Hierosolymitana, Antiochena, Romana, & Alexandrina, ab Apostolorum ætate ad sua tempora ordine deduxit. In quibus, tanquam in speculo, intueri licet, cuiusmodi succedendi modum in reliquis Ecclesijs Episcopi tenuerint, & quæ eorum origo fuerit. Itaque primò, velut indice facta, eos ex ordine percensebo, ab Apostolis eorumq; discipulis ad magnum Nicenum Concilium, circiter trecentos viginti annos, à Christo incarnato, deindè plenius perquisitigabo, vndè prima eorum institutio emanauerit.

In Ecclesia

Hierosolymitana.	Antiochiana.	Romana.	Alexandrina.
Iacobus Apost.	*Petrus Apost.*	*Petrus & Paul.*	*Marcus Euan.*
Simeon.	*Euodius.*	*Linus.*	*Anianus.*
Iustus.	*Ignatius.*	*Anacletus.*	*Abilius.*

Hierosolymitana.	Antiochiana.	Romana.	Alexandrina.
Zacheus.	Heros.	Clemens.	Cerdo.
Tobias.	Cornelius.	Euaristus.	Primus.
Beniamin.	Eros.	Alexander.	Iustus.
Iohannes.	Theophilus.	Sixtus.	Eumenes.
Mathias.	Maximinus.	Telesphorus.	Marcus.
Philippus.	Serapion.	Higinus.	Celadion.
Senneca.	Asclepiades.	Pius.	Agrippas.
Iustus.	Philetos.	Anicetus.	Iulianus.
Leui.	Zebinus.	Soter.	Demetrius.
Ephrem.	Babilas.	Eleutherius.	Heraclas.
Iosephus.	Fabius.	Victor.	Dionysius.
Iudas.	Demetrius.	Zepherinus.	Maximus.
Marcus.	Paulus Samos.	Calixtus.	Theonas.
Cassianus.	Domnus.	Urbanus.	Petrus.
Publius.	Timeus.	Pontianus.	Achilles.
Maximus.	Cyrillus.	Anterus.	Alexander.
Iulianus.	Tyrannus.	Fabianus.	Athanasius.
Caius.	Vitalius.	Cornelius.	Petrus.
Symmachus.	Philagonius.	Lucius.	Timotheus.
Caius.	Eustathius.	Stephanus.	Theophilus.
Iulianus.	Paulinus &	Xistus. Dionys.	Cyrillus.
Capito.	Miletius.	Felix.	
Maximus.	Flauianus.	Eutichianus.	
Antonius.	Porphirius.	Caius.	
Valens.	Alexander.	Marcellinus.	
Dolichianus.	Iohannes.	Marcellus.	
Narcissus.		Eusebius.	
Dius.		Meltiades.	
Germanion.		Sylvester.	
Gordius.		Marcus.	
Narcissus iterum.		Iulius.	
Alexander.		Liberius.	
Mazabanes.		Damasus.	
Hymenæus.		Siricius.	
Zanibdas.		Anastasius.	
Hermon.			

Macarius

Hieroſolymitan. Antiochiana. Romana. Alexandrina.
Macarius.
Maximus.
Cyrillus.
Iohannes,
Iuuenalis.

Hos Epiſcoporum Catalogos per quatuor illas primarias Eccleſias, ad ſui temporis initia pertexit Euſebius; deſinens in Hermonem [f] Hieroſolymitanũ, Tyrannum Antiochenum, Marcellinum Romanum, & Petrum Alexandrinum. Reliqui ex alijs deprompti ſunt; vt in ſede Alexandrina, [g] Achilles, Alexander, [h] Athanaſius, & [i] Petrus ex Socrate. [k] Vitalius, Philagonius, & [l] Euſtathius, Antiocheni Epiſcopi, vt etiam Macarius Hieroſolymitanus, ex Theodoreto. In Romana, Marcellus, & deinceps ex [m] Optato & [n] Auguſtino. Quatuor iſtarum Eccleſiarum Epiſcopi, qui in Concilio Niceno interfuerunt, vt ex eorum ſubſcriptionibus conſtat, hi fuerunt. Pro Eccleſia Romana Sylueſter (Sozomenus tamen Iulium nominat) per Vitum & Vitellium Presbyteros ſuos; pro Alexandrina, Alexander; pro Hieroſolymitana, Macarius; & Euſtathius pro Antiochena. Nunc de ſucceſſionum iſtarum origine videamus; quibus authoribus primùm cœperunt.

f Euſeb. l. 7. cap. 31.
g Socrat. lib. 1. c. 5.
h Eod. c. 15.
i Lib. 4. c. 20.
k Theodo. l. 4. cap 3.
l Eod cap. 7
m Opt. contra. Parmen. lib. 2.
n Auguſtin. Epiſtola 165.

Iacobum Apoſtolum primum Hieroſolymæ Epiſcopum fuiſſe, Clemens, Egeſippus, Euſebius, Hieronymus, Chryſoſtomus, Epiphanius, Ambroſius, Auguſtinus, graui ſſimi nobis teſtes ſunt. Clemens, ſexto Hypotypoſεων (referente Euſebio[o]) ita ſcribit. [o] Petrus, Iacobus, & Iohannes, *poſt aſſumptionẽ Seruatoris, quamuis ab ipſo quoque Domino alijs eſſent prælati, gloriam tamen hanc ſibi ipſis non vendicarunt, ſed* Iacobum *Iuſtum* Hieroſolymorum *Epiſcopum conſtituerunt.* Euſebius, [p] *Sedem* Iacobi *Apoſtoli, qui primus ab ipſo Seruatore, & Apoſtolis* Hieroſolymitanæ *Eccleſiæ Epiſcopatum accepit, quẽ & diuinæ Scripturæ fratrem Chriſti nominari tradunt, ad hoc vſque temporis ſeruatam, fratres iſtic qui ſucceſſione ordinaria ſubſequuti ſunt, omnibus manifeſtè commonſtrant.* Hieronymus: [q] Iacobus, *qui appellatur frater Domini, cognomento Iuſtus,*

o Euſeb. lib. 2 cap. 1.
p Idem. lib. 7. cap. 18.
q Hieron. de Script. Eccleſ. in Iacob.

post passionem Domini statim ab Apostolis Hierosolymorum Episcopus ordinatus, vnam tantùm scripsit Epistolam, quæ de septem Catholicis est. Egesippus vicinus Apostolorum temporibus in quinto Commentariorum libro de Iacobo narrans, ait, [r] *Suscepit Ecclesiam Hierosolymæ post Apostolos frater Domini Iacobus, cognomento Iustus.* Chrysostomus, in hæc verba Actorum decimo quinto, [s] *Postquam autem conticuissent, respondit* Iacobus, &ait, *Hic erat Episcopus Ecclesiæ Hierosolymitanæ.* Ephiphanius, [t] *Iacobus frater Domini cognominatus, primus Episcopus in Hierosolimis* (erat.) Ambrosius, [u] *Iacobum vidit (Paulus) Hierosolymæ, quia illic erat constitutus ab Apostolis Episcopus.* Augustinus [x] *Ecclesiam Hierosolymitanam primus Iacobus Apostolus Episcopatu suo rexit.* A Iacobo ad Macarium, qui in Concilio Niceno præsens erat, quadraginta Hierosolymorum Episcopi numerantur, ordine sibi succedentes, & in eadem Cathedra pro tempore sedentes, quam Iacobus, cum Ecclesiæ illius primatum obtineret, primus occupauit. Quorum series & successio ex vetustioribus quidem Scriptoribus collecta, qui nunc temporis iniuria perierunt, apud [y] Eusebium & [z] Epiphanium hodiè extat.

r Idem in eodem.

s Chrys. hom. 33. in 15. Act.

t Epiphan. l. 2. tom. 2. hæres. 66.

u Ambros. in 1. cap. Galat.

x Aug. contra Cresc. lib. 2. cap. 37.

y Euseb. l. 4. c. 5. l. 5. c. 12.

z Epiphanius hæres. 66.

Successio Episcoporum in Ecclesia Alexandrina & Antiochena, vt ab antiquissimis grauissimisque authoribus accepimus, Apostolorum memoria initium habuit. Euodius primus Antiochiæ Petro recedenti in Episcopatu successit. De quo Ignatius qui proximè eum subsecutus est, ad Ecclesiam illic in hunc scripsit modum: [a] *Mementote Euodij beatissimi Pastoris vestri, ὃς πρῶτος ἐνεχειρίσθη παρὰ τῶν ἀποστόλων τὴν ὑμετέραν προεδρίαν, qui primus ab Apostolis præsidentiam nostram (siue regimen nostri) accepit.* Idem Eusebius, [b] *Inter eos qui Antiochiæ Ecclesiam gubernarunt, primus Euodius, inter Ignatius fuisse cognoscitur, qui non solùm* [c] *cum Apostolis ipsis multum versatus est,* sed Christum etiam in carne vidit, cum post resurrectionem suam Petro & reliquis discipulis apparuit. Verba ipsius Ignatij, referente Hieronymo, hæc sunt. [d] *Ego verò & post resurrectionem in carne eum vidi, & quando venit ad Petrum & ad eos qui cum Petro erant, & dixit*

a Ignat. Epi. ad Antioch.

b Euseb. lib. 3. ca. 19.

c Socrat. lib. 6. cap. 8.

d Hieron. in Ignat. Euseb. l. 3. cap. 33.

dixit illis, Palpate & videte; [e] *quoniam spiritus non habet ossa & carnem, sicut me videtis habere.* De eodem etiam Origenes: [f] Ignatium *dico, Episcopum Antiochiæ post* Petrum *secundum.* Hieronymus *eum* [g] *tertium à* Petro *Apostolo Antiochiæ Episcopum numerat*, Petro primo loco posito, cui secundo loco Ignatius successit. Ita enim Eusebius, [h] Ignatius *quoque ad hodiernum usque diem apud quamplurimos celebris* τῆς κατ' ἀντιόχειαν Πέτρου διαδοχῆς δεύτερος τὴν ἐπισκοπὴν κεκληρωμένος, *alter in successione post* Petrum *Antiochiæ Episcopatum sortitus est.* De his tribus sedibus, Antiochena, Alexandrina, & Romana, ita Gregorius; (Petrus) [i] *sublimauit sedem in qua etiam quiescere & præsentem vitam finire dignatus est, ipse decorauit sedem in qua Euangelistam discipulum misit. Ipse firmauit sedem in qua septem annis quamuis discessurus sedit. Vnius atque vna est sedes, cui ex authoritate diuina tres nunc Episcopi præsident.*

e Ignat. Epist. ad Smyrn.

f Origen. hom. 6. in Lucam.

g Hieron. de script. Eccles. in Ignat.

h Euseb. lib. 3. cap. 32.

i Greg. lib. 6. Epistola. 37.

De primo Alexandriæ Episcopo, Hieronymus & Eusebius Gregorio *assentiuntur*; [k] Marcus *interpres* Petri *Apostoli & Alexandrinæ Ecclesiæ primus Episcopus*: qui sexto ante Petrum anno decedens, Aniano (teste Eusebio) sedem reliquit. [l] Nerone *octauum regni annum agente primus post* Marcum *Apostolum & Euangelistam* Anianus *Alexandrinæ Ecclesiæ administrationem suscepit, vir pius & per omnia celebris:* Quemadmodùm autem Antiochiæ Euodium, qui constitutus ab Apostolis Episcopus est; ita Alexandriæ Marcum (si Hieronymo credimus) successionis authorem habuerunt. [m] *Alexandriæ, à* Marco *Euangelista vsque ad* Heraclam & Dionysium *Episcopos, Presbyteri semper vnum ex se electum in excelsiori gradu collocatum Episcopum nominabant.*

k Hieron. præfat. & in Comment. sup. Matth.

l Euseb. lib. 2. cap. 24.

m Hieron. ad Euagrium.

De successione Episcoporum in Ecclesia Romana, non obscurum Irenæi testimonium est. [n] *Fundantes igitur & instruentes beati Apostoli Ecclesiam,* Lino *Episcopatum administrandæ Ecclesiæ tradiderunt. Succedit ei* Anacletus: *post eum tertio loco ab Apostolis Episcopatum sortitur* Clemēs, *qui & vidit ipsos Apostolos, & contulit cum eis; huic autem* Clemēti *succedit* Euaristus, & Euaristo Alexander, *ac deinceps sextus ab Apostolis constitutus est* Sixtus, *& ab hoc* Theleſphorus, *ac de-*

n Iren. lib. 3. cap. 3.

inceps Higinus, *post* Pius, *post quem* Anicetus: *cum autem successisset* Aniceto Soter, *nunc duodecimo loco Episcopatum ab Apostolis habet* Eleutherius. Hunc *Optatus* sequitur; o *Negare non potes scire te, in vrbe Roma* Petro *primo Cathedram Episcopalem collocatam, &c: Ergo Cathedra vnica sedit prior* Petrus, *cui successit* Linus, Lino *successit* Clemens, Clementi Anacletus, &c: atque ita plus viginti ordine enumeratis ad Syluestrum tempore magni Concilij Niceni, & deinceps quinque alijs vsque ad Siricium, *qui hodie* (inquit) *noster est socius*. Cui Augustinus etiam accedit. p *Si ordo Episcoporum sibi succedentium considerandus est, quantò certiùs & verè salubriter ab ipso* Petro *numeramus?* Petro *enim successit* Linus, Lino Clemens, Clementi Anacletus, Anacleto Euaristus, Euaristo Alexander, Alexandro Sixtus, Sixto Telesphorus, Telesphoro Iguus, Igino Anicetus, Aniceto Pius, Pio Soter, Soteri Eleutherius, Eleutherio Victor; atque his alios etiam quinque & viginti adnumerat vsque ad Anastasium qui Siricio successit.

o Optat. l. 2. contra Parm.

p August. in Epist. 165.

Neque hæ solùm quatuor Ecclesiæ successiones suas ad Apostolos authores referunt, sed reliquæ per orbem terrarum dispersæ ab Apostolis & Apostolicis viris similem Episcoporum propagationem habuerunt. Irenæus Romanæ Ecclesiæ exemplum aduocat; q *Quoniam valdè longum esset in tali volumine omnium Ecclesiarum successiones enumerare*. Alioqui dilucidè ait, r *Agnitio vera, est Apostolorum doctrina, & antiquus Ecclesiæ status in vniuerso mundo secundum successiones Episcoporum, quibus illi eam, quæ in vnoquoque loco est, Ecclesiam tradiderunt*. Cui Tertullianus adstipulatur, atque eo etiam, velut gladio quodam, sui temporis hæreticos iugulat. s *Edant origines Ecclesiarum suarum, euoluant ordinem Episcoporum suorum, ita per successiones ab initio decurrentem, vt primus ille Episcopus aliquem ex Apostolis, aut Apostolicis viris habuerit authorem & antecessorem. Hoc modo Ecclesiæ Apostolicæ census suos deferunt; Sicut Smyrneorum Ecclesia habens* Polycarpum *ab* Iohanne *conlocatum refert, sicut Romanorum* Clementem *à* Petro *ordinatum edit, proindè vtique & cætera exhibent, quos ab Apostolis in Episcopatum constitutos Apostolici seminis*

q Iren. l. 3. ca. 3

r idem l. 4. cap. 63.

s Tertul. præscr. aduers. Haret.

seminis traduces habeant. His Augustinum addamus: [t] *Radix Christianæ societatis per sedes Apostolorum & successiones Episcoporum, certa per orbem propagatione diffunditur*. t Aug. epi 42.

Infinitus essem, si singulas Ecclesias percenserem, quæ Apostolos eorumque consortes Episcoporum suorum authores habuerunt; quorum nomina ipsa, vt alia fortasse multa, post tot annorum centurias vel inobscurauit obliuio, vel deleuit vetustas. [u] *Impossibile nobis est*, inquit Eusebius, *vt ex nomine cunctos recenseamus, qui & quando in prima post Apostolos successione, in Ecclesiis per orbem sparsis Pastores & Euangelistæ fuerint*. Sed tamen quæ supersunt hodiè vetustatis exempla certissimam nobis de tota hac controuersia fidem faciunt, nempe Episcopos tam Presbyteris, quàm populo ab ipsis Apostolis præfectos fuisse, atque ab eis ius *imponendi manus* accepisse, quod Presbyteris quidem minimè licebat. u Euseb. lib. 3. cap. 34.

De Timotheo, Tito, Lino, Clemente, Dionysio, quorum in sacris Scripturis mentio fit, Eusebius ita refert: [x] *Timotheus sanè primus Ephesinæ parœciæ, sicut & Titus Cretensium Ecclesiarum Episcopatum sortitus scribitur. Linus verò quem sibi Romæ adfuisse* (Paulus) *in posteriore ad Timotheum memorat, primus post Petrum Romanæ Ecclesiæ Episcopatum adeptus est, sed & Clemens, qui tertius est Romanæ Ecclesiæ Episcopus constitutus, Pauli cooperarius & commilito fuisse ipsius testimonio probatur. Ad hæc & Dionysium Areopagitam, quem Lucas in Actis post Pauli concionem ad Athenienses in Areopago habitam, primùm Ecclesiæ Athenienſium Episcopum fuisse, alius quidam ex veteribus Dionysius parœciæ Corinthiorum Pastor scribit*. x Euseb. lib. 3 cap. 4.

De Caio, Archippo, Onesimo, Polycarpo, aliisque, similia apud antiquos Scriptores testimonia habentur. Origenes: [y] *Fertur traditione maiorum, quòd hic Caius* (de quo Paulus cap. 16. epist. ad Rom.) *Episcopus fuerit Thessalonicensis Ecclesiæ*. In hæc verba Pauli ad Colossenses; [z] *Dicite Archippo, vide ministerium quod accepisti in Domino, vt impleas illud*, Ambrosius ita notat: [a] *Præpositum ipsorum per eosipsos commonet, vt sit sollicitus de salute ipsorum. Et quia plebis solius causa scribitur Epistola, ideò non ad Rectorem ipsorum destinata est, sed ad* y Orig. lib. 10. cap. 16. Rom. z Coloss. 4. a Ambr. in 4. cap. ad Coloss.

Ecclesiam. Postquàm enim Epaphras illos imbuit, hic suscepit gubernandum eorum Ecclesiam. [b] *Ignatius* (inquit Eusebius) *cum Smyrnæ esset, vbi Polycarpus erat, vnam Ephesinæ Ecclesiæ epistolam scripsit, facta Onesimi Pastoris eius mentione.* De Polycarpo etiam idem ait: [c] *Mansit ad id temporis in Asia Polycarpus Apostolorum discipulus, qui Smyrnensis Ecclesiæ Episcopatum ab illis acceperat, qui Dominum ipsum viderant, ministriq; ipsius fuerant.* Idem affirmat Irenæus. [d] *Et Polycarpus non solùm ab Apostolis edoctus, & conversatus cum multis ex eis, qui Dominum nostrum viderint, sed etiam ab Apostolis in Asia, in ea quæ est Smyrnis Ecclesia constitutus Episcopus, quem & nos vidimus in prima nostra ætate, hic docuit semper quæ ab Apostolis didicerat, quæ & Ecclesiæ tradidit.*

[b] Euseb. lib. 3 cap. 32.

[c] Ibidem.

[d] Iren. cap 3. lib 3.

Si qua fides scriptoribus aut Ecclesijs Christianis adhibenda sit, grauissimos certè antiquissimosque vtriusque generis testes habemus liquidò nobis confirmantes, Apostolos, vbi opportunum illis videretur, vnum aliquem de discipulis consortibus suis Episcopum & Pastorem in singulis Ecclesijs constituisse, & hanc ipsam Episcoporum successionem ab Apostolis descendentem eodem tempore in Ecclesijs Apostolicis obtinuisse, cùm ista scriberent. Neque enim fama hæc & auditione tantùm acceperunt, sed viua voce, ab ipsis Apostolorum discipulis, quibuscum vixerunt, quorumque successores in plerisque Ecclesijs oculis viderunt. Irenæus in prima ætate Polycarpi auditor, ita testatur: [e] *Habemus annumerare eos, qui ab Apostolis instituti sunt Episcopi in Ecclesijs, & successores eorum vsque ad nos. Si recondita mysteria sciissent Apostoli, quæ seorsim & latenter ab reliquis perfectos docebant, his vel maximè tradrent ea, quibus etiam ipsas Ecclesias committebant. Valdè enim perfectos & irreprehensibiles in omnibus eos esse volebant, quos & successores relinquebant, suum ipsorum locum magisterij tradentes.* Egesippus æqualis temporum illorum, Irenæo tamen aliquantò senior, Romam sub Aniceto profiscens, cum [f] *primo Corinthiorum Episcopo aliquot, complurib.* contulisse, & *eandem apud omnes doctrinam inuenisse*, se ait; ἐν ἑκάστῃ δὲ διαδοχῇ καὶ ἐν ἑκάστῃ πόλει οὕτως ἔχει ὡς ὁ νόμος κηρύττει καὶ οἱ προφῆται, καὶ ὁ Κύριος: *In singulis* (inquit) *suc-*

[e] Iren lib. 3. cap 3.

[f] Egesip. apud Euseb. l. 4 c. 21

successionibus, ac singulis ciuitatibus ita habet, sicut Lex & Prophetæ, & Dominus prædicant. Et permansit Ecclesia Corinthiorum in recta doctrina ad primum vsque Corinthiorum Episcopum. Et enarrans quo pacto Ecclesia Hierosolymitana hæresibus diuexari cœperit, ait; [g] *Postquàm Iacobus Iustus* (qui & Apostolus, & primus Hierosolymæ Episcopus erat) *eadem ratione, qua & Dominus ipse, Martyrium pertulit, Auunculus eius Simon Cleopæ constitutus est Episcopus, quem omnes ob id prætulerunt; quòd alter esset Domini consobrinus. Ita ob eam causam Ecclesiam illam virginem vocabant, nondum enim vanis fuerat corrupta doctrinis. Thebulis verò quia Episcopus constitutus non erat, corrumpere illam cœpit.* Dionysius Egesippo ætate coniunctus, & alter post primum Corinthiorum Episcopus, in epistola quadam ad Athenienses, [h] *Dionysij Areopagitæ meminit, quòd ab Apostolo Paulo ad fidem conuersus, primus eorum parœciæ Episcopatum susceperit, & Publij* (alterius eorum Episcopi) *quod Martyrium illorum temporum persecutionibus sit passus; & Quadrati* (Apostolorum etiam discipuli) *Publij in Episcopatu successoris, quòd ipsius studio congregati, & fidei excitationem sint consecuti.* Clemens Alexandrinus, qui proximo seculo Iohannem Apostolum insecutus est, ex superiorum temporum monumentis enarrat, [i] *Iohannem, cum ex insula Patmo Ephesum reuersus esset, ad vicina gentium loca rogatum abijsse, vt partim constitueret Episcopos, partim Clerum ex his quos Spiritus sanctus indicasset, sorte deligeret.* Atque tum etiam Episcopus ἐπὶ πᾶσι καθεστως, *super cunctos* (tam Clerum quàm populum) *constitutus erat.* Refert Methodius Petrum Apostolum [k] Euchario, *vni de 70. discipulis*, vnà cum Valerio & Materno mandata dedisse, vt Euangelium in Germania & Gallia annunciarent; Eucharium autem Treuerim peruenientem, & ibi plantata Ecclesia, 23. annos *ciuitatis illius Episcopatum tenuisse*, qui decedens, [l] *Treuericæ Ecclesiæ culmen Valerio dereliquit.* [m] *Valerius, quum quindecim annis præsideret post Eucharium, Materno curam Pastoralem dimisit: post Maternum qui 40 annis Treueri prædicationis regimen tenuit, quidam Auspicius* (ibidem) *resedit. Deinde, insignes per legitimas successiones, & sanctitate & gratia pollentes,*

g Ibid.

h Euseb. lib. 4. cap. 22.

i Euseb. lib. 3. cap. 23.

k Marian. Scot. an. Christ. 72. 74 86. 100

l Ibid. anno Dom 74.

m An. Dō. 86. anno Dō. 109

pollentes, extiterunt Serenus, Fœlix, Manſuetus, Clemens, Moſes, Martinus, Anaſtaſius, Andreas, Ruſticus, Fabricius, & Fortunatus, atque Caſſianus, nec non & Marcus, caterique quàm plurimi.

n Euſeb. lib. 5. cap. 5.

o Idem. Tit. 5 cap. 22.

Circa Irenæi tempora, qui [n] Pothyno nonagenario & Martyrium paſſo, in Lugdunenſis Eccleſiæ Epiſcopatu ſucceſſit, [o] Thraſeum Smyrnæ, poſt Polycarpum, Epiſcopum; Apollinarium Hierapolis, poſt Papiam Iohannis etiam diſcipulum; Banchillum Corinthiorum poſt Primum & Dionyſium; Polycratem Epheſiorum, qui cognatis ſuis in epiſcopali ſede ſucceſſit; Theophilum denique Cæſarienſem magni nominis & authoritatis in Eccleſia, pleroſque etiam ipſorum grauiſſimos fuiſſe ſcriptores inuenimus. De ſuis temporibus Tertullianus ait: [p] *Percurre Eccleſias Apoſtolicas, apud quas ipſæ adhuc cathedræ Apoſtolorum ſuis locis præſidentur; Proximè eſt tibi Achaia? habes Corinthum. Si non longè à Macedonia, habes Philippos, habes Theſſalonicenſes. Si potes in Aſiam tendere, habes Epheſum. Si autem Italiæ adiaces, habes Romam.* Cypriani ætate Theoctiſtum, & ſecundùm eum Domnum, poſt Theoctenum & Agapium Cæſariæ Epiſcopos legimus. Laodiceæ [q] Heliodorus Thelimydri ſucceſſit. Heliodoro Socrates, Euſebius, Anatolius, Stephanus & Theodotus. Tyrus Marinum Epiſcopum habuit, ante quem Alexander & Caſſius fuerunt, poſt verò Tiramnion & Paulinus. Et ne in ſingulis recenſendis immenſus ſim, Epiſcoporum ſucceſſiones in his alijſque Eccleſijs ab ipſis Apoſtolorum temporibus, non modò ad Concilium Nicenum, ſed ad mille poſt Chriſtum natum annos durarunt; in multis etiam hodiè manent. Cum enim Iohannes Euangeliſta ad Paſtores ſcripſerit ſeptem Eccleſiarum quæ in Aſia erant, nempè Epheſinæ, Smyrnenſis, Pergamenſis, Thyatiræ, Sardicenſis, Philadelphiæ, & Laodiceæ; eorum ſucceſſores, parem cum primis illis dignitatem authoritatemque retinentes in Concilio Niceno affuerunt, & nominibus ſuis decreta ipſius confirmarunt, [r] Menophantes Epheſinus, Eutychius Smyrnenſis, Serras Thyatiræ, Artemidorus Sardicenſis, Cyrion Philadelphiæ, Theodotus Laodiceæ, vnà cum Epiſcopis Athe-

p Tert. præſcr. aduerſ. hæret.

q Euſeb. lib. 7 cap. 4.

r Vide ſubſcri. Concil. Nice.

narum,

narum, Theſſalonicæ, Hierapolis, aliarumque Eccleſiarum, quæ Apoſtolos Epiſcoporum ſuorum authores habuerunt. In 4. 5. & 6. generali Concilio, quod anno à Chriſti incarnatione 676. celebratum eſt, earundem Eccleſiarum Epiſcopi nomina etiam ſubſcripſerunt, atque ita in multis Chriſtiani orbis partibus, ab Apoſtolorum memoria ad hanc noſtram ætatem, Epiſcoporum continuata ſucceſſio permanſit. Exceptis igitur illis regionibus, à quibus fides Chriſti iamdiu exulauit, nullum ante hæc noſtra tempora per totum orbem occurrit exemplum, aliam adminiſtrandæ Eccleſiæ rationem fuiſſe, quàm per Epiſcopos ordine ſuccedentes, & in Preſbyteros iuxtà ac populum poteſtatem habentes. *Ad hæc omnia nobis facilis eſt & expedita reſponſio. Primùm, antiquos illos primæ Eccleſiæ Epiſcopos, quos ordine ſuccedentes recenſuiſti (teſte Hieronymo) eoſdem omninò cum Preſbyteris fuiſſe: quo poſito, vera eſſe quæ è Patribus Scriptoribuſq; Eccleſiaſticis huc adducuntur, fatemur omnia. Secundo, vbi diſcrimen aliquod inter Epiſcopos & Preſbyteros conſtituunt, quod nonnunquam faciunt; Epiſcoporum nomine Paſtores & Miniſtros quoſcunq; verbi ac Sacramentorum intelligunt; Preſbyterorum verò, laicos illos Seniores, quos Eccleſiæ reſtitutos vehementer optamus. Tertio, etſi maximè probare poſſetis Epiſcopos reliquis præfuiſſe Miniſtris, prærogatiua tamen illa nihil aliud erat, quàm poteſtas conuocandi cæteros, cauſaſq; conuocationis in medium proponendi, ſuffragia denique rogandi, ſine quibus nihil tum Epiſcopis ex arbitrio ſuo licebat agere.* Sentio quàm prompta & parata vobis quidlibet affirmandi ſit celeritas, ſi modò dictis veſtris fides vltrò adhibeatur; quòd ſi argumentis certare, & vel vnum eorum, quæ temerè aſſumitis, certis rationibus confirmare velitis, plus operis ac ſtudij impendetis, quàm forſitan putatis. Si cauſa apud infimi ordinis iudicem quemcunque de leuiſſimis huius vitæ controuerſijs agenda eſſet, minimè vobis ſine teſte crederet; & in grauiſſimis religionis negotijs, in quibus totius Eccleſiæ ſalus & concordia vertitur, nullo teſte, nullo exemplo fidem vobis adhiberi poſtulatis? Si tanta certè veſtra eſt inſcitia, vt id ab alijs expectetis, non tamen eorum tanta eſt dementia, vt temerè vobis credendum putent.

putent. Quarè, vt paucis, de responsione vestra, quid sentiam, & quod res est, dicam, disciplinæ vestræ simillima videtur. Neutra enim probari, neutra constare potest, neutra denique secum consentit.

Vt ostenderem Episcoporum vocationem à Presbyterorum munere diuersam fuisse, firmas (vti ego arbitror) rationes adduxi: primùm quià Episcopi manus imponebant, quod Presbyteris Ecclesiæ iudicio nefas erat. Secundò quià Presbyteri in qualibet Ecclesia iuxtà loci necessitatem plures esse poterant; Episcopus tantùm vnus Apostolorum loco succedebat. Hinc concludo, discrimen manifestum inter Episcopos eosque Presbyteros qui in verbo & Sacramentis coniunctim laborabant, ab vltimo Ecclesiæ initio ad hoc vsque tempus fuisse. Hic vos, aut Episcopos eosdem cum Presbyteris fuisse; aut si qua inter eos differentia fuerit, eam ad laicos Presbyteros, non ad alios, pertinuisse. Vbi non modò falsa sunt quæ respondetis, sed planè contraria. Perindè enim est ac si diceretis, Presbyteros fuisse Episcopos, & non fuisse Episcopos, fuisse laicos & non fuisse laicos; Nam si Episcopi erant, laici non erant; si verò laici, non etiam Episcopi. Vtrum horum dicatis (vtrumque enim licet) vestra sit electio. *Per Episcopos Apostolorum loco succedentes cuiusque Ecclesiæ Pastores accipimus, per Presbyteros verò laicos Seniores, qui in communi cum Episcopo Ecclesiam gubernarunt.*] Si certam nobis ex Scripturis aut Patribus de laicis Senioribus fidem feciſſetis, esset saltem quod huic vestro errori pretendere possetis; verùm excussis opinionum vestrarum fundamentis iam antè demonstraui, nullos in prima purissimaque Ecclesia Presbyteros, nisi verbi ac Sacramentorum Ministros, fuisse. Quòd si molestum sit respicere ad ea, quæ superiùs explicaui, audite tamen quid in magno Africano Concilio decretum sit, cui præter Augustinum, 216. Episcopi interfuerunt: [f] *In præterito Concilio* (inquit Aurelius) *ita placuit, vt gradus isti tres conscriptione quadam castitatis per consecrationes annexi, Episcopos inquam, Presbyteros, & Diaconos,* ὡς πρέπει ὁσίοις ἐπισκόποις καὶ ἱερεῦσι Θεοῦ, καὶ λευίταις, καὶ ὑπηρέταις θείοις καθιερώμασι, *vt concedat sacrosanctos antistites & Dei Sacerdotes,*

[f] Con. Africanum, 4.

cerdotes, nec non & Leuitas, & qui sacramentis diuinis inseruiunt in omnibus continentes sint. Ab vniuersis Episcopis dictum est, Omnibus placet, vt ab omnibus, qui altari inseruiunt, pudicitia custodiatur. Presbyteri ergò vtpotè in sacris ordinibus constituti, Deique Sacerdotes altari Dei seruiebant, & sacramenta administrabant. Idem in Imperialibus Constitutionibus testatum inuenio: [t] *Reuerendissimis autem Presbyteris aut Diaconis, conuenti fuerint pro pecuniaria causa falsum perhibuisse testimonium, sufficiat pro verberibus, tribus annis separari à sacro Ministerio: pro criminalibus autem causis: si falsum testimoniũ dixerint, Clero nudatos legitimis subdi pœnis præcipimus.* Presbyteri igitur, iuxta leges Imperiales & *Clerici erant, & in sacro ministerio constituti.* Hieronymus etiam acerrimus disciplinæ vestræ (vti dicitis) patronus, ait; [u] *Hæc vt ostenderemus apud veteres eosdem fuisse Presbyteros quos & Episcopos.* Idem rursus: [x] *Episcopi, Presbyteri & Diaconi debent magnoperè prouidere, vt cunctum populum cui præsident, conuersatione & sermone præcedant. Quia vehementer Ecclesiam Christi destruit, meliores esse laicos quàm Clericos.* His addatur Augustinus, [y] *Quicunque aut Episcopus, aut Presbyter, aut laicus, ostendit quo pacto vita acquiratur æterna, is meritò Angelus Dei nuncupatur.* Si Episcopi igitur laici non erant, eadem ratione nec Presbyteri. Proindè laicos istos Seniores ad vltimas terras ablegandos censeo, vt qui Christiano orbi ante hæc nostra tempora, nec cogniti vnquam, nec auditi fuerunt.

t Nouel. constit. 123. c. 20.

u Hier. in 1. cap. ad Tit.

x Idem in 2. cap ad Tit.

y Aug. hom. 2. in Apoc.

Iam verò de Presbyteris, Clericis illis quidem verbiq; ministris, ex Scripturis & historijs liquidò confirmauimus, plures in vna eademque Ecclesia fuisse; vnum verò summum Pastorem Apostolorum loco succedentem, penes quem manus imponendi potestas residebat. Atque omnes illos Apostolorum successores Ecclesia Christi duobus his Episcopalis potestatis insignibus, *Successione* videlicet & *Ordinatione*, semper à reliquis Presbyteris diuisit, & Episcoporum nomine appellauit. Quod quidem exemplis non aliundè deriuatis, sed ab ipsis Apostolis descendentibus planum facimus. In omnibus enim Apostolicis Ecclesijs in quibus Presbyteri multi assistebant, Episcopus tamen vnus tantùm in sede Apostolo-

poſtolica ſuccedebat. Alexandriæ à Marco Euangeliſta, & primo Eccleſiæ illius Epiſcopo, ſucceſſio hæc initium habuit, quo mortuo (Petro & Paulo adhuc ſuperſtitibus) Anianus per Presbyteros illic *electus eſt, & in excelſiori gradu collocatus*, quem Epiſcopum etiam nuncupârunt. Hæc enim ipſa Hieronymi verba ſunt: [z] *Alexandriæ à Marco Euangeliſta Preſbyteri ſemper vnum ex ſe electum, in excelſiori gradu collocatum Epiſcopum nominabant.* Idem toto orbe conſtitutum ait: [a] *Poſtquàm vnuſquiſque eos, quos baptizauerat, ſuos eſſe putabat, non Chriſti: in toto orbe decretum eſt, vt vnus de Preſbyteris electus ſuperponeretur cæteris, ad quem omnis Eccleſiæ cura pertineret.* Non dicit in qualibet Eccleſia vnum tantùm fuiſſe Presbyterum, qui Epiſcopus dictus ſit; ſed vnum de Presbyteris (qui multi erant) *electum* vbique per orbem Chriſtianum, cæteris, hoc eſt, *non populo ſolùm, ſed Preſbyteris ipſis* (illis inquam, quibus verbi & Sacramentorum diſpenſatio concredita fuit; depulſis eo modo veſtris iſtis cõmentitijs & laicis Senioribus) fuiſſe præpoſitum.

z Hieron ad Euagrium.

a Idē in 1. ep. ad Titum.

Quarè quòd Epiſcopos Apoſtolorum loco ſuccedentes eoſdem cum cuiuſque parœciæ Presbyteris dicatis, ludus planè iocuſque eſt. Hieronymum conſulite, Eccleſias Apoſtolicas reſpicite, Hiſtorias antiquitatis teſtes reuoluite; in nullo horum contrarium non inuenietis. Vt Alexandriæ, ita Antiochiæ, ab ipſa Apoſtolorum ætate Presbyteri multi ad verbi prædicationem incubuerunt; ſucceſſio tamen in vno tantùm propagata eſt. Ignatius alter ab Euodio Antiochiæ Epiſcopus, quem Apoſtoli ſuis manibus conſecrarunt, cum vinctus Romam pertractus eſſet, ad Eccleſiam Antiochenam his verbis ſcribit; [b] *Populus pareat Preſbyteris & Diaconis.* Et rurſus: [c] *Preſbyteri paſcite gregem qui inter vos eſt, donec Deus deſignauerit* τὸν μέλλοντα ἄρχειν ὑμῶν, *eum qui principatum in vobis habiturus ſit*; eodem modo ad reliquas Eccleſias ſcribit, Trallenſem, Magneſianã, Tarſenſem, Philippenſem, Philadelphenſem, Smyrnenſem, & Epheſinam; facta Epiſcoporum, Presbyterorum, & Diaconorum mentione, qui eorum curam ſuſtinebant, nominatim verò Polycarpi Smyrnenſis Epiſcopi, Oneſimi Epheſini, Demæ Magneſiani,

b Ignat Epiſt. ad Antioc.

c Idem.

ni,

ni. Vitalis Philippensis, & Polybij Trallensis, quos omnes seorsim ab Ecclesiarum illarum Presbyteris commemorat. Quid plura? Nullam mihi credite, toto orbe maioris notæ Ecclesiam inuenietis, in qua non vno eodemque tempore, & Episcopus & Presbyteri fuerint. Sub Pothyno Episcopo Lugdunensi, [d] Irenæus Presbyter ministrauit; Antiochiæ Geminus sub Zebeno, & Malchion sub Paulo Samosateno, Diodorus, [e] Heliodorus, Theodorus, Isaacus, Mochinus, alijque ferè infiniti, sub eiusdem sedis Episcopis floruerunt. Similiter Alexandriæ Pantenus, Clemens, & Origenes Presbyteri sub Serapione, Asclepiade, & Demetrio fuerunt. Ita Dionysius sub Heracla, & Pierius sub Theona vixerunt. Idem [f] Dionysius Alexandrinæ Ecclesiæ Episcopatum adeptus, sub se Maximum, Dioscorum, Demetrium, Lucium, Faustinum, & Aquilam Presbyteros habuit. In Ecclesia Carthaginensi, [g] Tertullianus, & Cecilius numerantur. Sub [h] Valerio Hipponensi, Augustinus Presbyter militauit, sub Augustino etiam [i] Eradius, qui eidem successit, alijque non pauci. Chrysostomus Presbyter sub Fabiano primùm Antiochiæ floruit, post Constantinopolis Episcopus factus est. De Vigilantio Hispaniæ Presbytero Hieronymus ait; [k] *Miror sanctum Episcopum, in cuius parochia Presbyter esse dicitur, non virga Apostolica, virgaq; ferrea constringere vas inutile.* De Hieronymo etiam Presbytero, Augustinus. [l] *Quanquàm secundum honorum vocabula, quæ iam Ecclesiæ vsus obtinuit, Episcopatus Presbyterio maior sit, tamen in multis rebus Augustinus Hieronymo minor est.* Quid dicam de [m] Cæsarienſis, [n] Ediſſeæ, [o] Massilienſis, Viennensis, Mediolanensis, aliarumq; Ecclesiarum Presbyteris? Si in exemplis ambitiosus esse velim, infinita ferè huiusmodi proferre possem. Sed non committam vt in re manifesta testibus vtar non necessarijs; quocunque oculos conuertimus, siue ad Concilia, siue ad historias Ecclesiasticas, vbique reperiemus, Presbyteros cuiusq; Ciuitatis ab Episcopo distinctos, eique subiectos fuisse. Quid? quod nemini Presbyterorum ab Ecclesia in qua constitutus erat, nisi cum Episcopi sui consensu recedere licebat, nec in aliam Ecclesiam recipi aut admitti poterat, sine licentia

d Hieron. de Script. Eccles.
e Gennad. de viris illustr.
f Euseb. lib. 7. cap 10.
g Hieron de script. Eccle.
h August. Epistola. 148.
i Idem Epist. 110.
k Hieron. aduers. Vigil. ad Riparium.
l Aug Ep. 19.
m Basil. ep. 4. & Greg. lib. 30
n Conc. Chal. Act. 10.
o Gennad. de viris illustr.

licentia Episcopi, sub quo antea Presbyter fuisset, vt appareret ex Concilijs Niceno, can.15. & 16. Antiocheno, can.3. Chalcedonensi, can.8. Africano, can.55. nec per Canones quisquã ad Episcopatũ promoueri poterat, nisi primò Presbyter fuisset, atque ita [p] *per singulos gradus ad culmẽ Episcopatus ascenderet*. Ex quibus omnibus alijsque infinitis certissimum est, in qualibet ciuitate præter & subter Episcopum, Presbyteros aliosque Clericos fuisse; ac proindè vbicunque Diaconi, Presbyteri & Episcopi, vnà recensentur, Presbyteros ab Episcopis diuisos, & in inferiori gradu positos fuisse, ordo ipse demonstrat. *Antiquitùs autem, vt Hieronymus author est, Presbyteri & Episcopi idem fuerunt.*] Nomina quidem primò communia fuerant, quamdiù Episcopalis honor & potestas penes Apostolos & Euangelistas erat: postquam verò ad alios potestas hæc transferri cœpit, Episcopi nomen illis attributum est. Ita enim Theodoretus: [q] *Eosdem olim vocabant Episcopos & Presbyteros; eos autem qui nunc vocantur Episcopi, nominabant Apostolos. Procedente verò tempore nomen quidem Apostolatus reliquerunt ijs qui verè erant Apostoli; Episcopatus autem appellationem imposuerunt ijs, qui olim vocabantur Apostoli. Ita Philippensium Apostolus erat Epaphroditus.* Et Ambrosius: [r] *Apostoli sunt Episcopi. Post Episcopum plus esse intelligitur, qui prophetare dicitur, qui ordo nunc potest esse Presbyterij.* Hieronymus in hæc verba Dauidis, *Pro patribus tuis erunt tibi filij*, ait, [s] *Fuerunt (ô Ecclesia) Apostoli patres; quia ipsi te genuerunt. Nunc autem quia illi recesserunt è mundo, habes pro his Episcopos filios, qui à te creati sunt. Sunt enim & hi Patres tui, quia ab ipsis regeris.* In eundem locum Augustinus etiam: [t] *Genuerunt te Apostoli, ipsi patres (sunt) ergo illorum abscessu deserta est Ecclesia? Absit. Pro patribus tuis nati sunt tibi filij. Patres missi sunt Apostoli, pro Apostolis filij nati sunt tibi, constituti sunt Episcopi. Ipsa Ecclesia patres illos appellat, ipsa illos genuit, & ipsa illos constituit in sedibus Patrum.*

Tametsi illud vobis concederemus, differentiam olim inter Presbyteros & Episcopos, tam in ordinandi quàm in succedendi prærogatiua constitutam fuisse, distinctionem tamen istam Ecclesiæ potius consuetudine, quàm diuina dispositione receptam fuisse; tam Augu-

p Concil. Sard can.13.

q Theodoret. 1.Tim.cap.3.

r Ambr.4.cap Ephes.

s Hieron.in Psal.44.

t August.in Psal.44.

Augustinus quàm Hieronymus in his ipsis locis palàm confitentur. Non enim aiunt, Christus & Apostoli ipsius, sed Ecclesia Episcopos in Apostolorum sedibus collocarit.] Quod Augustinus & Hieronymus scribunt, Ecclesiam *Episcopos creare, & Apostolorum sedibus constituere*, non ita intelligendum est, quasi Ecclesia, mutata Apostolici regiminis forma, nouam hanc & recentem per Episcopos excogitarit. Absit, vt Ecclesiam Christi ab Apostolorum disciplina vltrò discessisse, suaque placita diuinæ ordinationi prætulisse dicamus; vtut enim nouitij quidam scriptores tantum Ecclesiæ crimen inurere, ipsosque Apostolorum consortes & discipulos voluntariæ defectionis arguere non dubitent, Augustinus tamen & Hieronymus longè alio fuerant animo. Quid enim aiunt? Quod licet Apostoli è vita excesserint, qui meritò Ecclesiæ Patres habiti sunt, veluti à Christo, intercedente nemine, vocati, qui Ecclesiam quodammodo verbi semine procrearent, Ecclesia tamen deserta non sit, vt quæ à Christo potestatem accepit, eorum loco constituendi sibi filios, qui sunt Episcopi: [u] *Non te putes desertam*, (Ecclesiam alloquitur) *quia non vides Petrum, quia non vides Paulum, quia non vides illos per quos nata es. De prole tua tibi creuit paternitas, pro patribus tuis nati sunt tibi filij, Constitues eos Principes super omnem terram.* Non dicit eos tanquam peregrinos & adulterinos in Apostolorum hæreditatem inuasisse, sed velut germanos filios & legitimos hæredes, Patrum loco iure successisse, licèt non perindè vt Apostoli ab ipso Deo sine quouis medio vocati sint. Quòd si in Augustini iudicio acquiescere velimus, subsequentia Spiritus sancti verba pro Episcopis exponit, vt Ecclesia Præpositos toto orbe constituat. In eundem locum Hieronymus ait: [x] *Constituit Christus Sanctos suos super omnes populos. In nomine enim Dei dilatatum est Euangelium in omnibus finibus mundi, in quibus Principes Ecclesiæ, id est, Episcopi constituti sunt.*

u Augustin. in Psal. 44.

x Hieron in Psal. 44.

Verùm quia sub Augustini & Hieronymi nominibus opinionem vestram vulgò vendicatis, videte, quemadmodum hac in re sint affecti erga eos, qui Presbyteros & Episcopos iure diuino æquales esse debere contendant. Hieronymus

mus his Iohannis Hierosolymitani verbis ex ipsius literis recitatis : [y] *Nihil interest inter Presbyterum & Episcopum, &c.* ita occurrit : *Hoc satis imperitè in portu, vt dicitur, naufragium :* hoc est, in ipso limine error manifestus. Idem Marcellam aduersus fanaticas Montanistarum superstitiones præmuniens explicat, quibus in rebus à Catholica dissiderent Ecclesia, [z] *Apud nos* (inquit) *Apostolorum locum Episcopi tenent ; apud eos Episcopus tertius est, atque ita in tertium, id est, penè vltimum locum Episcopi deuoluuntur.* Addito etiam de his reliquisque Montani dogmatibus suo iudicio, ait : [a] *Hæc sunt quæ cauillatione non indigent, perfidiam eorum exposuisse, superasse est.* Beatus Augustinus hæreses enumerans, ita de Aerio refert : [b] *Aeriani ab Aerio quodam sunt nominati, qui cum esset Presbyter, doluisse fertur, quòd Episcopus non potuit ordinari, & in Arrianorum hæresim lapsus, propria quoque dogmata addidisse nonnulla* (nempe inter alia) *Presbyterum ab Episcopo nulla differentia discerni debere. Hieronymus itaque naufragium ; Augustinus hæresim in Aerianis fuisse putat,* quòd dixerint, Presbyteros ab Episcopis nulla differentia discerni debere. *Augustinus Epiphanij in eo narrationem secutus ; Aerij rationes minùs accuratè perpendebat.*] Quod ad personas attinet, quid quisque hæreticorum asseruisset, in eo fortassè Augustinus Epiphanij aut Philastrij fidem sequi potuerit, qui de ijsdem rebus anteà scripsissent ; vtrum verò opiniones eorum Ecclesiæ doctrinæ repugnarent, qua iudicij grauitate & ingenij acumine fuit, ex proprio sensu dijudicare poterat. Alioqui enim excusationem non habet, si contrà quàm credat, ac certò teneat, alieno, non suo, iudicio erroris notam inurat veritati. Quamobrem non adeò desipuisse Augustinus existimandus est, vt falsa Epiphanij narratione in re nota imponi sibi voluerit. In eadem opinione cum Epiphanio & Philastrio fuit, & Aerij dogma, vt à doctrina & consuetudine Ecclesiæ alienum & abhorrens meritò damnauit. Quod illius iudicium, Epiphanij in hac parte sententiam confirmat, has Aerij positiones, non Catholicæ fidei consentaneas, vt hodiè nonnulli satis acritèr contendunt, sed erroris & arrogantiæ plenas fuisse. Scio Epiphanium paulò

y Hieron. ad Pamm aduers. error. Iohan. Hierosoly.

z Idem ad Marcel. aduer Mont. tom. 2. fol. 128.

a Ibid.

b August. de hæres. hær. 53.

paulò vehementiorem hîc videri, & in perſtringendo Aerij errore, verbis vti durioribus, veluti, [c] ἀφροσύνης ἔμπλεων, ἱριστχελίας, πλάνης, καὶ πάσιν ἀμυφὰν τῦ παρασαλευομένυ ἐκ τῦ διαβόλυ: *Stultitiæ pleno, nugis, errore, & lapſu grauiſſimo ſeducti à Diabolo.* Auguſtinus verò ipſum cum ſectatoribus ſuis in falſorum Doctorum album refert, quòd non modò in Arrianam hæreſim incidiſſet, ſed ſua quædam dogmata aduerſus *ſtatos ieiuniorum dies, Paſchatis celebrationem, nominum defunctorum*, ad menſam Domini, *recitationem, & Epiſcoporum ac Preſbyterorum diſtinctionem*, adieciſſet; quæ omnia ab vniuerſa Chriſti Eccleſia religioſiſſimè obſeruata, nemo, niſi Aerius eiuſque aſſeclæ, impugnare vnquam attentauerat. *Num Aerium iure ab Epiphanio reprehenſum exiſtimas, quòd orationem pro mortuis improbauerit; an Epiphanium potiùs erroris damnandum?*] Multum ſanè intereſt, quid Eccleſia tota frequentauerit, & quid vnus aut alter Patrum ſenſerit. Eccleſia ſtatos quoſdam ieiuniorum dies habuit; Reſurrectionis memoriam celebrauit; Gratias Deo pro Martyribus alijſque in fide defunctis ad menſam Domini publicè egit; Diſcrimen etiam inter Epiſcopos ſuos & Presbyteros conſtituit. Cui horum litem intenditis? aut quo iure Aerius vniuerſam Dei Eccleſiam hac de cauſa damnauit? Eodem, puto, quo eum defenditis, hoc eſt, planè nullo. *Orationem pro mortuis, non gratiarum actionem improbauit.*] Imò nominationem defunctorum damnauit, & ſuperbo ſatis ſupercilio nouus hic cenſor ſcire voluit, quorſum [d] ὀνόματα τεθνεώτων *nomina mortuorum* in myſterijs recitarentur. Cui Epiphanius reſpondet: [e] *De eo quòd proferantur nomina defunctorum, quid hoc magis fuerit vtile, quid hoc commodius, & magis admiratione dignum, quod credunt præſentes, quod hi, qui deceſſerunt, viuunt, & non ſunt nulli, ſed ſunt, & viuunt apud Dominum, &* (vt maximè veneranda prædicatio declarat) *quod ſpes ſit orantibus pro fratribus, velut pro ijs, qui in peregrinatione ſunt? Sed & pro iuſtis memoriam facimus, veluti Patriarchis, Prophetis, Apoſtolis, Euangeliſtis, Martyribus, Confeſſoribus, Epiſcopis, & pro vniuerſo ordine, vt Dominum Ieſum Chriſtum ab hominum ordine ſeparemus, per honorem*

[c] Epiph. contra Aerium, hær. 75.

[d] Epiphan. hæreſ. 75.

[e] Ibid.

rem quem exhibemus ei. Hactenùs Epiphanius, grauissimis rationibus commemorationem defunctorum in Ecclesia defendit; primò *spe* quam de beato Sanctorum statu Ecclesia concipit; secundò, *fide*, de immortalitate eorum apud Deum; tertiò, *separatione* aliorum omnium à Domino ac Seruatore nostro Iesu Christo. Chrysostomi Liturgia mentionẽ defunctorũ in Græca Ecclesia vsitatã his verbis exprimit: [f] *Offerimus tibi (Domine) rationabilem hunc cultum (hoc est, sacrificium laudis & gratiarum actionis) pro omnibus in fide quiescentibus, pro Patriarchis, Prophetis, Apostolis, Euangelistis, Episcopis, Martyribus, Confessoribus, & pro omnibus in fide initiatis, præcipuè pro sanctissima, illibata, & beatissima virgine Maria.* Qui putat omnes Patriarchas, Prophetas, Martyres, Apostolos, ipsamque virginem in Purgatorio fuisse, cum ego potiùs tanquam ex insania laborantem purgandum crediderim; pro his tamen, maximeque pro beata Virgine, Ecclesia preces & sacrificia Deo offerebat. Per sacrificia igitur gratiarũ actionem intelligendã esse dubitare mihi nefas videtur; vtrumque Epiphanius, Augustinus, alijque, vt preces Ecclesiæ ad omnes Christianos vita defunctos extenderent, damnationem eorum, etsi mutari non possit, leuari tamen posse ancipiti fide crediderint. Sed hæ priuatę quorundam opiniones (an semina superstitionis appellem, nescio) ab Ecclesiæ publicis actionibus omninò separandæ sunt, quę & graues alias instituti sui rationes habuit, & ab hoc eorum commento remotissimas. Idcircò Aerius meritò quidem notatus est, quòd sacros & incorruptos Ecclesiæ mores temerario impetu violare non dubitauerit; de quibus grauissima Augustini extat sententia: [g] *Si quid tota hodie per orbem frequentat Ecclesia, hoc quin ita faciendum sit, disputare, insolentissimæ insaniæ est.*

f Chrysost. Lyturg.

g Aug. ep. 118

Quòd si Augustini iudicium vt nimis in hac parte seuerum recusetis; audite quid in Concilio Chalcedonensi, cui 630. Episcopi interfuere, super eadem causa statutum fuerit. Photius Tyri Episcopus quosdam in sua Prouincia Episcopos consecrarat, quos Eustathius ipsius successor, nescio qua priuata simultate, de gradu deiecit, & Presbyteros manere iussit

iussit. Re ad Concilium delata, Paschasinus & Lucentius ita censuerunt [h] ἐπίσκοπον εἰς πρεσβυτέρου βαθμὸν φέρειν, ἱεροσυλία ἐστί: *Episcopum ad Presbyteri gradum reducere, Sacrilegium est.* Cui Synodus vno ore consentiebat, πάντες τὰ αὐτὰ λέγομεν, δίκαια ἡ κρίσις τῶν πατέρων, *Omnes eadem affirmamus, iustum Patrum iudicium est.*

h Ex actis Synodi Chal. de Phot. & Eustath.

Hic verò vos admonitos velim, vt Martyres ac Patres Primitiuæ Ecclesiæ pluris faciatis, ne si vos ætate vos antecedentium oculos (quod aiunt) configatis; posteri etiam vestram eruditionem, vt parùm modestam ac sobriam conuellãt. Pro mea parte sic statuo; quicquid generaliter in prima Ecclesia obseruatum inuenio, nisi rationibus omni exceptione maioribus refellatur, ab eo diuelli me facilè non patiar. Absit enim vt existimem, nec Ecclesiam nec fidem in terris fuisse, ex quo Apostoli de vita migrarunt, ad hæc nostra miserrima tẽpora; in quibus etsi grato animo agnoscam singularem Dei erga nos clementiam, qui nos è crassissimis tenebris in purissimam Euangelij sui lucem restituit; non possum tamen quin huius ætatis acerbissimas factiones, contentiones, studia & dissidia vehementer deplorem, quibus Ecclesia Dei miserè dilacerata, ac propè sedibus suis conuulsa labefactatur, dum quisque suas opiniones cæteris præferri vult, & deficiente demum probatione ad probra & conuicia descendit. [*Annon veterem Ecclesiam tanti facimus, quanti Caluinus, aliqꝫ politioris doctrinæ, ante nos fecerunt?*] Nequaquam; Nulli enim vel mediocriter eruditi tanta acerbitate & ferocia vnquàm exarserunt, quanta hodiè apud nos reformatores isti (vt se perhibent) ad vnum omnes inflammati sunt. Ex omnibus verò Caluino maximè iniuriam facitis, qui licet in locorum quorundam interpretatione, quæ pro disciplina ista huc torquentur, à Patribus primæ Ecclesiæ dissideat, firmum tamen & solidum synceritatis testimonium ijs tribuit, vt ex eius verbis de hac ipsa quæstione liquidò constat. [i] *Vtile erit in his (Disciplinæ) rebus veteris Ecclesiæ formam recognoscere, quæ nobis diuinæ institutionis imaginem quandam oculis repræsentabit. Tametsi enim multos Canones ediderint illorum temporum Episcopi, quibus plus viderentur*

i Cal. Instit. lib. 4. cap. 4.

rentur exprimere quàm sacris literis expressum esset, ea tamen cautione totam suam œconomiam composuerunt ad vnicam illam verbi Dei normam, vt facile videas, nihil ferè hac in parte habuisse à Verbo Dei alienum. Vtinam verò, qui tantoperè nomen eius venerantur, modestiam illius in hac parte imitarentur. Probè enim declarat qua charitate, & quanta fuerit obseruantia erga veterem Christi Ecclesiam; eoque dignus est, qui ab omni posteritate simili in honore habeatur, quomodocunque in aliquibus errare ei contigerit, quod Augustino alijsque clarissimis Ecclesiæ luminibus accidisse non negamus. Ea namque diuinæ sapientiæ ratio est, vt ab Apostolorum perfectione nemo non quàm plurimum abesset. Quare existimationi eius officere non debet, si tanta volumina conscribentem, & in grauissimis doctrinæ controuersijs versantem, in his alijsque disciplinæ quæstionibus nonnulla eum latuerunt. *Alij verò à morte ipsius, quibus plus temporis atque otij fuit ad hanc causam examinandam, in eadem opinione permanserunt.* | At non in eadem moderatione; alioquin primæ purissimæque Ecclesiæ nunquam hanc labem aspergerent, *acsi humanum Episcopum*, hoc est, non à Deo institutum, sed ab hominibus excogitatum inuexisset; cum Caluinus veterem Episcoporum œconomiam diuinam esse fateatur, & sacro Canoni consentaneam; [k] *Si rem (hoc est, veteris Ecclesiæ gubernationem) intuemur, reperiemus veteres Episcopos, non aliam regendæ Ecclesiæ formam voluisse fingere ab ea quam Deus verbo suo præscripsit.* Iam verò cuiusmodi ea forma fuerit, melius ex ipsius confessione accipietis; planeq; indè perspicietis, multa eorum, quæ anteà demonstraui, tanta rationum momenta habere, vt nemo illis, nisi qui à doctrina veritatéque sit alienissimus, obniti velit. [l] *Habebant*, inquit, *singulæ Ciuitates Presbyterorum Collegium, qui Pastores erant ac Doctores. Nam & apud populum munus docendi, exhortandi, & corrigendi, quod Paulus Episcopis iniungit, omnes obibant. Quibus docendi munus iniunctum erat, eos omnes nominabant Presbyteros. Illi ex suo numero in singulis Ciuitatibus vnum eligebant, cui specialiter dabant titulum Episcopi, ne ex æqualitate, vt fieri solet, dissidia nascerentur. Vnicuique Ciuitati attributa*

k Caluin Instit. l. 4 c. 4.

l Idem lib. 4. cap. 4 §. 2.

attributa erat regio quæ Presbyteros inde sumeret, & velut corpori Ecclesiæ illius accenseretur. Primùm igitur veteris Ecclesiæ Presbyteria ex solis Pastoribus & Doctoribus constabant, nec extra Ciuitates alicubi erant. Deindè, ne ex æqualitate confusio proueniret, electus Episcopus erat, & Presbyteris ac populo simul præpositus, *qui dignitate & authoritate* reliquis præstabat. Tertiò, cuilibet Episcopo præter *Ciuitatem* ipsam, *certa regio, siue Diœcesis* assignata erat; Presbyteri autem, seu Rectores Ecclesiarum ruraliũ ad diœcesim ipsius pertinentium, è Ciuitate desumpti, & Episcopalis Ecclesiæ corpori adiuncti erant. Atque hæc omnia, vt multis probaui, non in vsu solùm in veteri Ecclesia fuerunt, sed consentientem diuini verbi authoritatem, teste Caluino, habuerunt. *Quin cætera etiam addas. In eodem enim loco affirmat, Episcopum in collegas dominium non habuisse; sed quas partes habet Consul in Senatu, vt referat de negotijs, sententias roget, consulendo, monendo, hortando alijs præeat, authoritate sua totam actionem regat; & quod decretum communi consilio fuerit exequatur; id muneris sustinebat Episcopus in Presbyterorum cœtu. Atque hunc regendi morem pro temporum* (inquit) *necessitate humano consensu inductum fuisse fatentur ipsi veteres, quamuis longo tempore obtinuisset, vt Alexandriæ à Marco Euangelista.*] Caluinum propter singulares ipsius dotes, & labores Ecclesiæ impensos veneror sanè & amplector, eiusque iudicio lubens accederem, nisi me manifesta veritas tum Scripturarum ac Patrum authoritate munita, tum Caluini ipsius confessione testata, velut iniecta manu reuocaret. Hieronymi verba superiùs expendi, quæ Episcopos humano sensu & ingenio institutos fuisse non omninò innuunt. Ignatius, Irenæus, Egesippus, Clemens Alexandrinus, Dionysius Corinthiacus, Origines, Tertullianus, Eusebius, Methodius, Hieronymus denique ipse, vno ore consentiunt, primos Episcopos Apostolorum manibus consecratos fuisse. Iohannes in Apocalypsi sua scribit ad septem Pastores, siue Præsides septem Ecclesiarum, quæ in Asia erant. Viuente adhuc beato Iohanne multas Episcoporum successiones commemorat Eusebius; Antiochiæ namque [m] Ignatius Euodio

m Euseb. Chron. inter. Hieron.

successit; Alexandriæ, Abilius Aniano; Romæ Clemens Anacleto & Lino; Hierosolymæ, Simeon Iacobo. Quinimò Iohannes ipse, si [n] Irenæo, [o] Tertulliano, Eusebio & [p] Hieronymo credimus. Polycarpum Episcopum Smyrnæ consecrauit; idque secundum [q] Eucharium, vt Socrates notat. Idem multis alijs in locis factitauit, vt [r] Clemens Alexandrinus author est. Quare nullo modo tot antiquissimos grauissimosque testes, quorum aliqui conuictores Polycarpi fuerunt, eiusque discipuli, deserere possum, vt paucorum Hieronymi verborum, quocunque authore, alienam sequar interpretationem. Quid, quod Caluinus ipse scribit; [s] *Nec humanum est inuentum, sed Dei ipsius institutum, quòd singulis suas assignamus Ecclesias?* Paulus ipse Archippum Colossensium *Episcopum commemorat. Hoc est, Colossensium Pastorem; nam singulæ Ecclesiæ iure diuino Pastorem haberent.*] Quæso autem, num quælibet Ecclesia vnum, an plures habere debeat? Si vnum, hoc est, quod volumus; sin plures, ad vitandam tamen confusionem, vnus Princeps esse debet: [t] *Ex æqualitate enim, vt notat* Caluinus, *dissidia nascuntur.* Et probè à Hieronymo animaduersum est; [u] *Vt dissentionum semina euellerentur, ad vnum omem sollicitudinem esse delatam*; alioqui enim [x], *tot Schismata essent, quot Sacerdotes.* Vndè dignum est obseruatu, quod Beza scribit; [y] *Essentiale fuit in eo de quo hic agimus, quod ex Dei ordinatione perpetua necesse fuit, est, & erit, vt in Presbyterio quispiam & loco & dignitate primus actioni gubernandæ præsit, cum eo quod ipsi diuinitùs attributum est iure.* Nec in eo quicquam sanè à veritate alienum dicit. Multitudo enim si à nemine gubernetur, nec distinctionem aliquam, nec ordinem habet; quod Ecclesiam Christi niminè decet. Gubernatio autem nulla potest esse, vbi omnes inter se pares sunt. Cum Pastorum quisque quò velit, ducat, oues (quæso) quem sequentur? Cum diuersi Principes diuersa iubeant, cuinã populus parere tenebitur? Si nemo duobus Dominis seruire possit, multò minùs quæuis Ecclesia duos Pastores ferre potest. Dũ consentiunt etsi numero multi, animo tamen vno sunt; vbi verò dissentiunt, (quod in omnibus personis fieri potest, & in omnibus locis euenire

[n] Iren. lib. 3. cap. 3.
[o] Tertul. præscript. aduers. hæret.
[p] Hieron. in Polycarp.
[q] Socrat. lib. 3. cap. 22.
[r] Euseb. lib. 3. cap. 3.
[s] Cal. Institut. l. 4. c. 3. §. 7.
[t] Cal. Institut. lib. 4. cap. 4
[u] Hieron. ad Euagrium.
[x] Idem contra Luciferiã.
[y] In respons. ad tract. de Minist. Euãg. grad. cap. 23.

euenire solet) quot Duces, tot factiones erunt. Quare duos Rectores vni societati si præfeceritis, perindè facitis, ac si duo Capita vni corpori affigeretis. Quòd si concedatur in vnaquaque Ecclesia vnum summum Pastorem iure diuino esse debere, Summus Pastor cuiusque Ciuitatis Episcopus is est, quem quærimus; huic autem, vt ipsi mihi testes estis, Pastoris ius in cæteros attributum est.

Hic te premit & vrget manifesta ratio, vt quocunque te verteris, non effugias; vnaquæque Ecclesia Apostolorum temporibus multis Presbyteris in verbo laborantibus abundabat, vt in his Scripturarum exemplis cernitur. In Ecclesia Hierosolymitana, Act. 15. ver. 6, & 23. Antiochena, 13. ver. 1. Ephesina, Act. 20. ver. 17, & 28. Romana, Rom. 16. Corinthiaca, 1. Corinth. 14. ver. 29. Philippensi, Philip. 1. ver. 1. Thessalonicensi, 1. Thess. 5. ver. 12. multisque alijs Ecclesijs, Heb. 13. ver. 17. Iacob. 5. ver. 14. 1. Pet. 5. ver. 1. Iam verò, vestra ipsorum confessione, *Essentiale est, & eò Dei ordinatione* perpetuũ, vt in omni Presbyterio supremus aliquis & primus sit, gubernandis tam Presbyteris & Doctoribus, quàm populo & auditoribus, cum ea quæ diuinitùs Pastoribus attributa est authoritate. Ecquod igitur discrimen est inter *summos Pastores*, quos negare non potestis in qualibet Ciuitate iure diuino fuisse constitutos, & Episcopos, quos Patres Apostolorum loco successisse scribunt? Si nomen Episcopi minùs arrideat, Catholicum & Apostolicum est; si munus displiceat, diuina, vt vos asseritis, ordinatio est. *Non negamus quidem, nomen Episcopi, & Pastoris regimen, diuini verbi authoritate inniti. Verùm plus summis Pastoribus & Episcopis vestris tribuitis, quàm iure diuino eos habere par sit. Primùm enim, potestatem ijs, quæ per mensem aut hebdomadam durare deberet, ad vita terminum propagatis; deinde pro singularibus Ecclesijs totas Diœceses ijs subijcitis; denique non à Presbyteris solùm diuiditis, sed authoritatem ijs in Presbyteros tribuitis, quos eosdem cum Presbyteris esse, & maiori eorum parti cedere oporteret; quæ omnia sacris Scripturis aduersari dicimus.*] Primùm Ecclesias ad arbitrium vestrum fingitis, & formatis, deinde Scripturas his fauere putatis. Si quicquam Episcopis

copis attribuamus, quod Catholica Christi Ecclesia ab initio ijs non concesserit; nè parci nobis velim, sed toto orbe proclamari: quòd si in explicandis Scripturarum sententijs, quæ ad Episcopos faciunt, commune Primitiuæ Ecclesiæ iudicium, paucorum, non opinionibus, sed insomnijs, præferamus, nihil est, cur succenseatis. Nam quò propiùs ab Apostolorum temporibus aberant, eò meliùs eorum sensus attingere poterant, quàm vos, qui post quindecim annorum centurias inauditum antehac regendæ Ecclesiæ modum Christiano orbi imitandum proponitis. Omnes totius orbis Ecclesiæ simul in eadem gubernandi forma minimè conspirassent, nisi ab Apostolis, eorumque discipulis, veluti fidei Christianæ seminatoribus, tradita & præscripta fuisset. Tot millia etiam Martyrum & virorum Apostolicorum disciplinæ ab Apostolis receptæ mutationi, ignaris ijs, nunquam consensissent. Quare cum nos Apostolorum scripta ex eorum factis interpretemur; vos verò Scripturas ex ingenijs metiamini; vtra pars veritatis metas propius assequatur, lectoris esto iudicium.

Quod prærogatiuas, quas Episcopis tribuimus, molestè feratis, parùm nos mouet, dummodò Scripturæ non repugnent. Itaque vestra potiùs ridemus inuenta, qui hebdomaticam quandam præfecturam, ad singulos Presbyteros in orbem redeuntem, Episcopo assignatis. Quæ enim Scriptura volubilem hanc gubernationem nobis præstituit? aut quo iure nomen diuinæ institutionis ei imponitis, cum nulla nec veritas, nec authoritas vobis in hac parte suffragetur? Vnum ex omni nouo Testamento exemplum vel præceptum pro hac regendi vicissitudine si ostendatis, per me quidem non vincatis modò, sed triumphetis. *Successio per vices diuinitùs instituta erat, exemplo Sacerdotum sub lege Mosaica.*] Nunquid Aaronici Sacerdotes, finitis vicibus, sacerdotium deponebant? *Minimè, sed per vices in templo ministrabant; & eodem ritu Episcopi à Deo instituti sunt, qui Presbyterium ordine gubernarent.*] Hæccine disciplinæ vestræ fundamenta sunt, tam leui, aut nullo argumento quidlibet sub diuinæ institutionis titulo venditare? Si huiusmodi rationibus hic locus

sit,

sit, multò facilius nobis est docere, Episcoporum potestatẽ perpetuam esse debere, quàm vobis hebdomaticam. Neque enim summus solùm Sacerdos, sed in quoque ordine princeps, ad vitæ terminum honorem suum retinebat. Certè, finitis vicibus, domum redibant, non tamen dignitatem suam amittebant. Sed quænam hæc in rebus grauissimis tanta diuinandi licentia est? Quis sapiens hîc mouebitur coniecturis? Quarè aut fides vobis è Scripturis facienda; aut diuinæ institutionis speciosum nomen opinionibus vestris præferendum non est. [*Ambrosius nobis author est.*] Si ad Patres ventum sit, pro vno ex aduerso, decem à nobis sunt. Fingamus Ambrosium id affirmare; nihil tamen causæ est, cur ei soli præ reliquis omnibus Patribus, imò Scripturis ipsis, credendum sit, cum Paulus apertis verbis Episcoporum electionem, non ordine successionem ad Titum & Timotheum prę-scribat. Verùm Ambrosius nihil minùs asserit. [*Annon ait, recedente primo sequentem ei successisse?*] Fateor, de mutatione verò aut vicissitudine ne verbum quidem. Hæc ex vestris ingenijs, non ex illius sensu promuntur. Anianus qui sex annos ante Petrum & Paulum mortem passos, in Alexandrina sede Marco successit, nunquid ordine, an electione constitutus est? Hieronymus expresse ait; Alexandriæ [b] *à Marco Euangelista Presbyteros vnum ex se in Episcopum semper elegisse*, non sibi inuicem successisse. Nec Anianus per hebdomadam quidem, aut annum præfuit, sed [c] *duos* & viginti annos totos, vt refert Eusebius, impleuit. Alter post eum Abilius successit, qui [d] tredecim annis continuis Alexandrinæ Ecclesiæ Episcopatum tenuit; huic *Cerdo* reliquique suis quisque temporibus electi, ad vitæ terminum præsederunt. Idem de primis Romæ Episcopis obseruare licet, quibus honorem illum non ordo, sed electio detulit, non mensis, aut annus, sed vita terminauit. [e] Linus 12. annis illic præfuit; totidem [f] Anacletus: [g] Clemens nouem, beato Iohanne Apostolo [h] viuente adhuc, & Ecclesiam totam gubernante, dum tres primi Ecclesiæ Romanę, & Alexandrinę Episcopi electione successerunt, & ad vitæ finem in Episcopali sede permanserunt. Ex quo liquet nouitium hoc commentum

b Hieron. ad Euagr.
c Euseb. lib. 3. cap. 13.
d Idem lib. 3. cap. 18.
e Euseb. lib. 3. cap. 13.
f 14.
g 31.
h Euseb. Chro

mentum diuinæ institutioni tam esse contrarium, quàm atrum albo, aut tenebras luci.

Si mihi non credatis, at attendite quæso, & videte quàm aduersas (non dicam vos, sed,) disciplinæ vestræ fautores opinionibus his sententias defendant. Nam quod vos Dominicæ *dispositioni* tributis, vt προεδρίας siue Princeps Presbyterij vestri *per vices succedat*; atque hunc ordinem *Diuinum* appellatis: hoc illi accidentale censent, & à diuina ordinatione prorsus remouent. [i] *Accidentale fuit, quod Presbyteri in hac προεδρία alij alijs per vices succedebant.* Deindè cum vos electionem summi Pastoris, vel rectoris Presbyterij, *vt humanum institutum* exagitetis; illi diuino *præcepto* propriè adscribunt, & inuiolatè ab omnibus seruari præcipiunt. [k] *Aliud est electionis mandatum, quam immotam non tantùm in Diaconis, sed etiam in sacris functionibus omnibus seruatam oportuit: aliud electionis modus.* Iam præceptum hoc, nisi diuinum & Apostolicum sit, immutabile esse non potest; aliorum enim tanta authoritas non est. Itaque illud à vobis quærere liceat; hæc gubernandi vicissitudo, *si diuina* sit, quomodò *accidentalis?* sin *accidentalis*, quomodò *diuina?* Rursus, electio Præsidis, vel Episcopi, si *humana* sit, quomodò diuinitùs *mandata?* sin *mandata*, quomodò *humana?* Hoc est dulce amarum, & amarum dulce, lucem tenebras, & tenebras lucem dicere. Mihi certè pleniore omnium vestrùm consensu persuadendum est, priusquàm hanc inconstantem disciplinam diuinam appellem. *A nostro sensu prorsus aberras. Non enim dicimus, humanum institutum esse, vt Pastor laicorum Synedrion gubernaret; sed vt Presbyterio Pastorum quispiam præesset.*] Vtinam verò quibus de rebus loquamini, aut quid affirmetis, vos ipsi intelligeretis. Presbyteria vestra necesse est, vel ex meris laicis, vel ex Clericis solis, vel ex vtrisque pariter constituantur. Si ex laicis tantùm, quis Pastori finita gubernandi vice, aut vt (vester loquendi mos est) septimana succedat? Præfecturam illius perpetuam oportet esse, quod secundum vos diuinæ ordinationi maximè repugnat; aut laici Seniores Pastoralia munia vicissim obibunt, ipsumque Pastorem sub se habebunt, quod absurdius multò est, & à diuina institutione

i De Ministr. Euang. grad. pag. 153.

k Ibid. p. 154.

tione magis abhorret. Quòd si ex vtrisque constabunt, in confesso tamen apud vos est, iuris esse diuini vt inter Pastores vnus *loco & dignitate primus sit*; cuius authoritas si teste sacra Scriptura perpetua esse debeat, vt ab electo sine causa auferri non potest, in quo, quæso, summus ille Pastor, ad totum vitæ curriculum cæteris præpositus, ab Episcopo differt? Fortè præfecturam illius mense aut hebdomada terminabitis; Vbi verò Paulus ita facit? vel vnum eius rei specimen ex Scripturis aut Patribus proferatur, & laica Presbyteria protinùs erigantur. Alioqui, in maximis opinionum vestrarum salebris hæretis, & summo vestro cum periculo, aliorum iniuria, & extrema in Deum arrogantia, diuinorum Oraculorum loco vestra placita nobis obtruditis.

Si neminem præficiatis, omnia protinùs permiscetis, & Ecclesiam dissidijs dilacerandam præbetis. Porrò vos ipsi essentiale & diuina ordinatione necessarium asseritis, vt vnus in Presbyterio primus sit. Hæ vepres & sentes sunt disciplinæ vestræ, quæ faciunt, vt idem vno spiritu dicatis, & negetis. Verùm ex propria vestra assertione grauissimum contra vos argumentũ elicimus. *Essentiale & ex Dei ordinatione perpetua necesse est, vt in Presbyterio quispiam loco & dignitate primus sit:* sed Presbyteria Apostolica è Clericis & Pastoribus constabant: *Ergò* ex Dei ordinatione perpetua necesse est, vt supra Pastores & Ministros in qualibet Ecclesia quispiam loco & dignitate primus sit. Ex quo sequitur, vt si electio (quod in confesso est) diuinitùs mandata sit, & qui semel ritè electus, loco moueri nisi grauissimis iustissimisque de causis non possit, Præses Pastorum & Presbyterorum cuiusque Ecclesiæ, quamdiù viuat & munus suum ritè exequatur, honorem suum retinere debeat. Nam vt suo merito electus est, ita donec indignus existat, rejiciendus non est. Iam verò supremus ille Rector siue Pastor diuino iussu electus, vt in qualibet Ciuitate tam Presbyteros quàm populum, quamdiù probè se gerit, cum diuinitùs sibi concessa potestate regat & gubernet, tam propè Episcopalem, quam defendimus, dignitatem attingit, quàm caput eam corporis partem quæ humeris incumbit.

Si

Si laicos Seniores nobis ingeratis, hoc modo ijs occurſum volumus. Primò, fuiſſe aliquos eiuſmodi, fidem facitote; deindè, quocunque velitis ordine collocate. Si circularem illam præfecturam refricetis; hic compotorum mos eſt in conuiuijs, Gubernatorum in Eccleſia Chriſti modus nunquam fuit. Sacerdotes in veteri Lege ſtato temporis decurſu interquieſcebant, ex prærogatiua tamen minimè cadebant. Si loco & honore tantùm, non gradu ac ordine differre contenditis; iam anteà probaui, tum ſuccedendi iure ſpeciali, tum ordinandi neceſſitate, eos à Presbyteris ſemper diuiſos fuiſſe. Si iuriſdictionem & Diœceſes ipſorum in controuerſiam vocetis, nunc de his dicendi locus eſt; quandoquidem munus eorum velut per manus ijs ab Apoſtolis traditum, & in Scripturis teſtatum inuenimus. *Sacra anchora hæc eſt; etſi hæc maximè ita ſe haberent, poteſtas tamen, quæ iure diuino Epiſcopis tribuitur, huc tantùm ſpectat, vt Presbyteros cuiuſq; loci conuocare, ſuffragia rogare, & quod communi conſilio definitum fuerit, exequi poſſint: idq; intra proprias & ſingulares Eccleſias ciuitateſq; ſolum, non in alienis.*] Quod vultis, opinor, huiuſmodi eſt; vt ſi minùs eos ad arbitria veſtra colligetis, at ad Cathedras ſuas ita adſtrictos teneatis, vt indè commouere ſe nequeant; & ſi in ſucceſſione primi eſſe debeant, in actione tamen vltimi ſint, & aliorum decreta exequantur. Vos verò quid velitis, aut nolitis, parùm refert, niſi æquiores in hac cauſa iudices eſſetis; Eccleſia Chriſti mille quadringentos annos ante vos natos de authoritate eorum deliberauit; Concilia tam Prouincialia quàm Oecumenica quæſtionem hanc pleniſſimè terminârunt. Quòd ſi Scripturarum ponderibus de iure eorum experiri velitis, non repugno, modò nihil plus Presbyterijs veſtris arrogetis, quàm indè ad eos pertinere probabitis, & Epiſcopis ea concedatis, quæ ex verbo Dei ad officium eorum ſpectare monſtrabimus.

CAP.

CAP. XIIII.

Patria potestas & pastorale munus Episcoporum in Presbyteros alioſq; intra Ecclesias ac Diœceſes eorum.

EXtra omnem controuersiæ aleam positum mihi videtur, tum Scripturarum authoritate corroboratum, tum Scriptorum tam veterum illorum, quam recentiorum communi calculo comprobatum, Iohannem Apostolum in Apocalypsi sua, ab ipso Dei Filio mandatum accepisse, vt ad septem Pastores septem Ecclesiarum, quæ in Asia erant, scriberet, quos Angelorum nomine insigniuit.[a] *Diuina voce*, inquit Augustinus, *laudatur sub Angeli nomine Præpositus Ecclesiæ.*[b] *Angelos Episcopos dicit*, ait Ambrosius, *sicut docetur in Apocalypsi Iohannis.* Hieronymus:[c] *Angelos Ecclesiis Præsidentes dicit, sicut & Malachias Propheta testatur Sacerdotem Angelum esse.* Idem Gregorius:[d] *Angeli in sacro eloquio nonnunquam Prædicatores vocantur, sicut per Prophetam dicitur;*[e] *Labia Sacerdotis custodirent scientiam, & Lex requireretur ex ore ipsius: quia Angelus (siue Nuncius) Domini exercituũ est.* Recentiores ad vnum omnes idẽ sentiunt.[f] *Angeli*, inquit Bullingerus, *sunt Legati Dei, Pastores Ecclesiarũ.*[g] *Destinatur epistola cœlestis Angelo Smyrnẽsis Ecclesiæ, id est, Pastori. Testantur autẽ historiæ Angelum siue Pastorẽ illum Smyrnensis Ecclesiæ Polycarpũ fuisse, ordinatũ ab Apostolis, ab ipso inquam Iohanne, Episcopum, ac vixisse in ministerio huius Ecclesiæ, annos 86. ideoq; ante editam Apocalypsim plures annos Smyrnensi ministrauerat Ecclesiæ.* Marloratus:[h] *Ab Ephesina Ecclesia incipit Iohannes ob loci celebritatem, nec populum aggreditur, sed Principem Cleri, vtique Episcopum.* Seb. Meyer.[i] *Angelo Ecclesiæ, quæ est Sardibus. Inter huius Ecclesiæ Episcopos præclarus habetur Melito, vir admodum eruditus, iuxtaq; pius. Sed qui Melitonem hunc præcesserint, in Ecclesiæ ministerio, vel quos habuerit successores, non satis constat.* Beza:[k] *Angelo, id est, ἀγγέλῳ τῶν, quem minimùm oportuit in primis de his rebus admoneri, ac per eum*

a Aug. ep. 162.
b Ambros. in 1. Cor. 11.
c Hieron. eod.
d Greg. mor. in Iob. lib. 11. 3.
e Malach. 2.
f Bullinger. in Apocal. concio. 6.
g Idem, concio 9.
h Marlor. in Apoca. cap. 2.
i Marlor. Apoc. c. 3.
k Beza. annot. in Apoc. 3.

eum ceteros collegas, totamq; adeò Ecclesiam.

Ex persona septem illarum Ecclesiarum Pastores alloquente, & nominis, quo notandis ijs vtitur, ratione, certum & definitum habeo, non vocationem solùm diuina sanctione communitam, sed legationem etiam ipsorum liquidò testatam esse; verba faciente eo, penes quem omnis potestas, ius & imperium est præficiendi Pastores, quos velit, gregi suo, donec ad iudicium venerit, nempe Iesu Christo Pastorum Principe, & Domino. Nomen, quod apponit, potestatem, curamque eorum à Deo creditam illis & commissam fuisse, indicio est. Angelus enim Minister Dei est; & proindè ad munus horum septem pertinere videmus, intra proprias suas ciuitates ac præfecturæ cuiusque metas, errores suarum Ecclesiarum, ac corruptelas Presbyterorum iuxtà ac populi, corrigere & perpurgare; dato ab eo, qui iudex & cognitor factorum eorum futurus est, ijs veluti signo, à quibus harum rerum ratio repetetur. Hinc inferre licet; primùm, prærogatiuam ipsorum supra consortes & cooperarios suos in eisdem Ecclesijs diuina sanctione fulciri. Deindè, legatos Dei ac Ministros esse redarguendis reprimendisque vitijs ac delictis in Ecclesijs suis, siue Presbyterorum ea sint, siue populi, constitutos. Vtri horum refragari potestis? Angeli num fuerunt, nolente vel reclamante Deo? Eius nuncij esse non poterant, eo non mittente. Si eos non misisset, eos nunquam remuneraſſet: missi autem nunquid earum rerum onere premerentur, quibus mederi nullo modo possent? Adeò nulla memoria Dei Filium arbitrabimur esse, vt culpandum aut puniendum, si quid Presbyteri ac populus deliquerint, Pastorem putet, cui nihil plus iuris in alterutrum sit, quàm suffragia rogandi? A quo rationem ouium reposcit Deus, præterquàm à Pastore? Qui *(totius alicuius)* Ecclesiæ Angelus est, Pastoralem potestatem supra totam illam Ecclesiam habeat, necesse est.

Verùm cæteros (forsan) Pastores par ei mandatum recepisse pugnabitis. Hoc verum esse potest, quantum attinet ad locum & gradum cuiusque. Vt quid autem Dei Filius

ad

ad vnum eorum solùm perscriberet, si cæteri similem ac sociam potestatem in omnibus habuissent? Percuntari à nobis ardentèr soletis, quare Apostoli ad Ecclesias scribentes Episcoporum nullibi mentionem fecissent, si eorum ætate cogniti fuissent? Cui quidem oppositioni negantem tantùm vim habenti etsi occurrere nihil opus sit, testes tamen Ambrosius & Epiphanius vobis sunt, Ecclesias initio licet in fide fundatas, non statim in gubernatione fuisse stabilitas, officiaque minus accuratè distributa fuisse; ipsos etiam Apostolos Episcopalem potestatem sibi aliquamdiù retinuisse; & Paulum alicubi Episcopum commemorare, veluti [l] Archippũ Colossensium. Quanto iustiùs ex contraria parte vobis instamus; scisscitantes quo consilio Dei Filius ad vnum Angelum per singulas illas septem Ecclesias, seorsum & separatim à reliquis scriberet, si vel plures vno fuissent, vel saltem nullus? aut qua ratione ei plus cæteris oneris imponeret, si potestatem supra quam cæteri nullum obtineret? Constat igitur Ecclesias Christi ante id tempus à quibusdam præcipuis Pastoribus administratas fuisse, qui perinde Presbyteris ac reliquo gregi præfuerint. Atque hi sunt, quos Christus Stellarum ac Angelorum nominibus ornat, hoc est, nunciorum & dispensatorum Domini exercituum, ex quorum ore cæteros diuinæ voluntatis oracula requirere oporteret.

l Caluin. instit. lib. 4. cap 4.

Iam verò, vt summi Pastores, ita summi Patres in Ecclesia erant, Deo per legem suam hoc eis nomen tribuente; nec reuerentiam solùm & victum, sed etiam obedientiam eis exhiberi præcepto cauente. Hoc ita in promptu est omnibus, vt de eo dubitare non liceat.[m] *Ecclesia*, inquit Augustinus, *(Episcopos) Patres appellat.*[n] *Episcopi*, ait Hieronymus, *patres tui sunt, quia ab his regeris.*[o] *Quod autem magistri Patres appellentur, Apostolus Paulus dicit; quia in Christo Iesu per Euangelium ego vos genui.*[p] *Bonus Pater est*, inquit Ambrosius, *qui potest docere & formare in vobis Dominum Iesum, sicut* (Paulus) *testatus est dicens; Filioli mei quos ego parturio, donec formetur Christus in vobis.*[q] *Num valeo Pater esse*, inquit Chrysostomus, *& non lachrymari? Pater sum affectu erga vos,*

m August. in Psal 44.
n Hieron. ibid
o Origen. cap 4 ad Rom.
p Ambr. Psal. 43.
q Chrys. hom. 23. in 11. ad Heb.

& amore confectus: Audite quomodo clamat Paulus, Filioli mei, quos iterum parturio. Quapropter [r] *meritò*, inquit, *Sacerdotes maiori honore, quàm parentes ipsos, honestare debemus. Hi sunt enim quibus concreditæ sunt spirituales parturigines.* Si patres sint, honore afficiantur, necesse est; in honore autem tribuendo palmam obtinet obedientia. Inobedientia liberorum ex diuina lege [f] *morte mulctatur*; nobis verò impune erit apud Deum, patribus fidei nostræ non parere?

r Idem de Sacerd. lib. 3.

f Deut. 21.

Qui gregis loco sunt (vti arbitramini) obedientiam ijs præstare tenentur; fratres Compresbyteriq́ue non item. Quasi verò reliqua pars gregis fratres non essent, perindè ac Presbyteri? aut inter fratres neminem vnum præesse liceret? [t] *Omnes nos fratres sumus*, inquit Chrysostomus. *Quanquam & inter fratres fas est, vt vnus præscribat, ac cæteri obtemperent.* Et de reditu Episcopi, quum ipse Presbyter Antiochiæ ageret, verba faciens ait: [u] *Benedictus Deus qui caput corpori reddidit, & Pastorem omnibus, præceptorẽ discipulis, militibus ducem,* τοῖς ἱερεῦσι τὸν ἀρχιερέα, *Sacerdotibus principem Sacerdotem.* Basilius ad Ecclesiam Neocæsariensem Episcopo suo tunc destitutam scribens, ait: [x] *Defloruit iam tibi pulcherrima venustas; Ecclesia oculos claudit, Solemnes connexus lugubri sunt aspectu, sacer Presbyterorum consessus coryphæum desiderat, sermones mystici suum interpretem expectant, adolescentes patrem, senectutem parem, qui in magistratu sunt, principem; populus præsidentem.* [y] *Esto subiectus Pontifici tuo*, (ait Hieronymus Nepotianum in officijs Presbyteri instruens) *& quasi animæ parentem suscipe. Si Pater sum* (inquit Propheta) *vbi est honor meus? Quod Aaron & filios eius, hoc Episcopũ & Presbyteros esse nouerimus.* [z] *Si quis* (inquit Ambrosius de Presbyteris & Ministris) *non obediat Episcopo (suo), is à vero deuius superbit.* Augustinus recens Presbyter creatus, & precibus quàm potuit maximis ab Episcopo contendens, vt aliquantum temporis ei concederet, antequam munus illud in se susciperet, his verbis eum obtestatur; [a] *Studes ergo vt peream, pater Valeri? obsecro te per bonitatem & misericordiam Christi, per eum qui tantam inspirauit erga nos charitatem, vt te nec pro lucro animæ nostræ audeamus*

t Chrysost in Act. Apost. hom. 3.

u Idem hom. 2. p. ad popul. Antioch.

x Basil. ep. 61. Eccles. Neocæsar. μέμυκε.

y Hieron. ad Nepotian.

z Ambr. offic lib. 2. cap. 24.

a August. ep. 148.

deamus offendere. [b] *Aliqui de Presbyteris* (inquit *Cyprianus ad clerum suum*) *nec Euangelij, nec loci sui memores, sed neque futurum Domini iudicium, neque nunc Sibi Præpositum Episcopum cogitantes; quod nunquàm omninò sub antecessoribus factum est, cum contumelia & contemptu Præpositi sui, totum sibi vendicant, (vt etiam cum lapsis communicent.) Interim temerarij, & incauti, & tumidi quidam inter vos sciant, si vltra in ijsdem perseuerauerint, vtar ea admonitione, qua me vti Dominus iubet, vt interim prohibeantur offerre; acturi & apud nos, & apud plebem vniuersam causam suam, cum Domino permittente in sinum matris Ecclesiæ recolligi cœperimus.*

b Cyprian. epist. 14.

Præcoces quosdam adolescentulos suspicaturos opinor, Patres hosce, tantum Episcopis arrogando, humanis opinionibus delinitos fuisse; saniori autem hominum parti in mentem veniet, tam in promptu fuisse viris istis, eruditione pariter ac pietate præstantibus, scire quid Christiano congruenter officio reddere, aut expectare deberent, quàm his nouarum rerum fabricatoribus, qui Episcopum maiori Presbyterorum suorum parti subditum atque morigerum volunt, nihilque nisi ex eorum iussu & decreto exequi sinunt.

Episcopus igitur siue Præses Presbyterorum (de nominibus enim, quandiu de potestate eorum agitur, non laboro) Angelus Ecclesiæ Christi ore declaratur, hoc est, dispensator summus familiæ Dei, & inspector gregis ipsius. Potestas etiam, quam in Ecclesia habet, pastoralis ac patria est, cuiusmodi nimirum ab orbe condito semper in Ecclesia obtinuit. Hæc forma & species patrij regiminis initium in Patriarchis sumpsit; post in Sacerdotibus & Prophetis legis Mosaicæ permansit; demum in Apostolis expressa est; atque ita ad summos Ecclesiæ Christi Pastores in hodiernum vsque diem rectà peruenit; qui omni honore & officio in verbo & Sacramentis colendi à nobis sunt, tanquàm patres ab omnibus suis liberis. Qui quidem honos & potestas, rationem (spero) æquitatemque Christianam ita sapere videntur, vt nemo vestrûm contrà hiscere audeat. *Si non hoc alijs omnibus detraheretis, vt in solos Episcopos conferretis, mi-*

nùs acres nos aduersarios essetis habituri.] Quod cuilibet Pastori commune est, eorum comparatione qui subsunt ei, negari summo non potest, cuius inspectioni & solicitudini tota aliqua creditur & committitur Ecclesia. Si nomen Pastoris cum pluribus in vna eademque Ecclesia communicari non posse vobis persuadeatis, Episcopum solum Pastorem esse oportet; Angelus enim Ecclesiæ Dei est. Sin multis dispensatio Pastoralis conuenire possit, in eum tamen præcipuè & præ alijs cadit; quia Angelus Dei est, & superior omnibus. Assertionum vestrarum obliuisci non potestis; essentialem & perpetuam Dei ordinationem esse, vt vnus aliquis tam Presbyteris, quàm populo præsit. Superior autem in Presbyterio esse nequit, quin superior etiam in Ecclesia sit; vnde sequitur; si Presbyteri Pastores sint, Episcopum esse summum Pastorem. *Nos nihil iuris ei plus tribuimus, quam vt conuentus moderari, & decreta Presbyterorum exequi possit. Eo, per nos vti, frui Episcopo liceat, vltra à nobis non conceditur.*] Fœlices admodum Presbyteros vestros, qui decretis suis exequendis superiores sibi subseruientes habere debeant. Sed obsecro vos, Dei decreta quis tandem executioni mandabit? Num Presbyterorum suffragia antè rogare, quàm diuina iudicia exequi oportebit? Cauete, non à Tyrannico solùm, sed verè Diabolico fastu, si Dei iussa locum prius in Ecclesijs vestris non obtineant, quàm Presbyterium conuenisse, & simul consensisse appareat. En vestris scitis exequendis præsidem procurastis, nunc Deo (si placet) quempiam prouidete, qui ipsius decreta exequatur. *Executionem in omnibus, ei qui summus est, immotam seruamus. Quemadmodùm enim ad consulendum, aut decernendum aliquid multitudo maximè prodest; ita ad exequendum, quod communi consilio sancitum fuerit, vnus plus facit; ne si exequutio pluribus commissa fuerit, alij in alios transferendo, aut à se inuicem discrepando, impedimento ei futuri sint.*] Iam sapere incipitis. Decernendi honorem vobis retinetis; exequendi laborem in Præpositum vestrum reijcitis; quo æquiore animo officio suo cedat, vt alius ei vicissim succedat. Atque ita cum diuina ordinatione quempiam vos primarium habere

bere conueniat, sic cum eo agendum censetis, vt ne, si possit, munus suum diu velit retinere. *Nos eò facimus, quò eorum ambitioni occurramus, qui ad summos gradus alioqui contenderent.*] Vnius, qui amplissimus esse debet, ambitionem minuitis; multorum autem, quos inferiore loco esse decet, arrogantiam augetis. Nam vbi nos vnum in qualibet Diœcesi Episcopum habemus, atque eum legibus Dei, Ecclesiæ, ac Principis adstrictum; vos trecentos in vna, in alicubus etiam plures habere contenditis, omnes inter se pares, & immunes, vt de re qualibet deliberare ac statuere pro arbitrio possint. *Nos æquè Presbyteros nostros legibus Dei, Ecclesiæ, atque Principis subijcimus, ac vos Episcopos vestros; nec vllam ijs superiorum decreta rescindendi, aut conuellendi licentiam facimus.*] Rectè id quidem. Etenim cùm cœli Dominus suam nobis voluntatem patefecerit, aut Ecclesia Concilijs prouincialibus, vel œcumenicis, de rebus ante dubijs & incertis certi aliquid definierit, Canonesque præscripserit; aut magistratus Christianus legibus suis res perperā collocatas ratione atque ordine disposuerit; easdem res denuò à Presbyteris vestris in disceptationem quæstionemque vocari (vt laboris iacturam dissimulem) extremæ esset arrogantiæ. Quicquid superiores decreuerint, de eo non deliberandi facultas, sed parendi necessitas inferioribus incumbit. Adeò vt quæcunque Dei, Ecclesiæ, aut Principis legibus sunt constituta, in ijs consultatio tum superflua, tum etiam superba censeri debet. Executio solùm necessaria est; quam ijs personis mandari oportet, à quibus præcisè & completæ rationem, & neglectæ pœnam repetere licebit. Vos autem quibusnam has partes committitis? Presbyterio coniunctim? Quid ni igitur diuini aut humani iuris executione per vnum aliquem Presbyterorum deserta, omnes, innocentes pariter atque nocentes, diligentes negligentesque in pœnam incidant? In causa communi culpa in omnes transit. Quod si vobis aliquoties ob alienam culpam plecti contingeret generalis istius & confusæ executionis breui pœniteret. Aut si minus; tamen vagam & erraticam hanc exequendi rationem, nec diuinarum, nec humanarum legum

æquitas & prudentia ferunt. In ijs quippè notæ ac nomina earum personarum apponuntur, quarum fidei & industriæ decretorum suorum executionem crediderunt; vt si quid negligentia aut temeritate peccatum sit, pœna suos teneat authores. Et quandoquidem vos, quo meliùs confusionem deuitare, moraſque præcidere possitis, consultorum vestrorum executionem Præsidis vestri curę & inspectioni mandetis, causa nulla est, quin consimili modo leges Dei, Ecclesiæ, & Principis, per Episcopum aut primarium Pastorem cuiusque loci, debitum effectum sortiantur. Extra controuersiam est, Conciliorum Canonum, & Christianorum Principum Constitutionum, quatenùs Ecclesiam spectant, audientiam & administrationem iam indè ab Apostolorum ad hanc nostram ætatem, penes Episcopos semper fuisse; quæstio verò de iure diuino est, quibus ipsius credēda sit executio. Et cui omnium priùs dicemus, quàm ei, qui ab ipso Deo Ecclesiæ Angelus, & familiæ ipsius dispensator constituitur, à cuius ore cæteros legem requirere, eiq; parere potiùs, quàm præesse conuenit? *Diuinæ legis executionem Episcopo tradere nullo modo possumus, aut debemus; ita enim omnia ei concesserimus: verùm in hac causa, licèt singuli Presbyteri inferiores eo sint, totum tamen Presbyterium superius est, eúmque refrænare potest, ac etiam coercere.*] Tantundem est, ac si dixissetis; quandò ouibus consentire (ne dicam conspirare) libuerit, Pastorem suum post se ducere licebit; aut si liberi obstinati esse cœperint, patri eos imperare oportebit. Alioqui, si Episcopus singulis Presbyteris Pastoris & Patris loco sit, similiter est toti Presbyterio; ac proindè dicto audiētes & obtemperantes ei esse debent, tanquàm Dei Angelo, quoad fines legationis suæ non egreditur. *Imò, omnis Presbyter Pastor & Pater est, perinde ac Episcopus, eíque æqualis habetur; nec in eos diuino iure, sed humano ritu potestatem habet.*] Apagè mobilitatem hanc, & crebram tanquàm tempestatum, sic sententiarum mutationem. *Interdum* Episcopus essentiali & perpetua Dei ordinatione Presbyterio præesse debet; *Interdum* verò quilibet Presbyterorum par est, & æqualis ei, nec vlteriùs Episcopo superiori esse licet;

quinimò

quinimò vbi vos iraſci paululum contigerit, eorundem arbitrio & cenſuræ ſubiectus erit. Hanc ego nimiam leuitatem potiùs diſciplinæ veſtræ fluctuanti, quàm ingeniorum veſtrorum procellis attribuo. Iſtuc enim eſt, abſque diuini verbi regula, aut Eccleſiæ ductu in opinionum veſtrarum ſolitudine errare. Nunquid verò probare poteſtis, quo iure poteſtatem Presbyterorum veſtrorum ſupra & contra Epiſcopos aſſeritis? Si Scripturarum, tabulas proferte; ſin Patrum, ab ijs pedem ne referte, quandò ex altera parte vobis renunciant, quantum authoritatis in Presbyteros ſuos Epiſcopus & habuerit olim, & habere ſemper debeat. *Vtrique tum Scripturæ, tum Patres, noſtri ſunt, præſertim verò Scripturæ. Primò Apoſtoli Petrus & Paulus Preſbyteteros Paſtores eſſe perhibent, ijſq́, paſtionem, inſpectionem, moderationemq́, gregis paſſim attribuunt. Secundo Preſbyterium inceſtuoſum Corinthium ab Eccleſia remouebat, & manus Timotheo imponebat. Tertiò Eccleſia ſunt, quam quicunque audire neglexerit, velut Ethnicus & Publicanus Chriſti iuſſu eſt habendus. Quartò, in Iudæorum republica eadem regiminis forma obtinuit, quam nec Chriſtus, nec Apoſtoli ipſius immutare voluerunt. Poſtremò, Patres vno ore conſentiunt initio Preſbyteros cõmuni cõſilio Eccleſiæ gubernaſſe, & incõſultis ijs nihil actũ in Eccleſia fuiſſe.*] Hæc nimirùm Conſiſtorij veſtri propugnacula ſunt. His ſi dejici vos contigerit, locũ nullũ, quò diſpertitæ ac diſſipatæ copiæ veſtræ ſe recipiant reliquũ habetis. Hæc autẽ ordine, quo poſita ſũt, funditus euertere nullius admodũ eſt negotij.

Primùm enim eandem poteſtatem quam vos, Petro & Paulo authoribus, Presbyteris veſtris velut Paſtoribus ratione gregis ſibi commiſſi, aſſeritis, Epiſcopis tanquàm ſummis Paſtoribus Presbyterorum iuxtà ac populi reſpectu concedatis oportet; ita fit vt contra vos depugnet veſtra probatio. Etenim Epiſcopus tam primarius eſt in Eccleſia, vbi Angeli Dei vicem obtinet, quàm in Conſiſtorio, vbi Presbyterium regit & gubernat. Deindè, Presbyterium aut illum maleficum Corinthiacum ſacra communione exegiſſe, aut manus Timotheo impoſuiſſe, nullis argumentis doceri poteſt. Conſequentijs vtriuſque loci anteà à me occurſum eſt. Et ſi

aliquid eiuſmodi hinc inferre poſſetis (quod minimè poteſtis) illud tamen liquidò apparet, Apoſtolum Paulum in alterum ore ſuo proprio [d] *ſententiam tuliſſe*; alteri [e] *ſuis manibus* ſacros ordines contuliſſe. Tertiò, quid Eccleſiæ nomine intelligendum ſit in illis Chriſti verbis (*Si Eccleſiam non audierit, ſit tibi velut Ethnicus*) cum ſuperiùs à me explicatum ſit, fruſtrà fecero, ſi iterùm inculcem. Si cum Patribus cenſuram eam ad excommunicationem referatis, cum ijſdem per Eccleſiam, *Epiſcopos* & *Præſides* Eccleſiæ intelligere debetis. Quartò, nec in Iudæorum republica hæc reguminis formula vnquàm obtinuit, nec Dominus noſter, aut diſcipuli ipſius Iudicialem partem Legis Moſaicæ, pluſquàm ceremonialem Gentium ceruicibus imponere decreuerunt. Quòd ſi Moſis Politia è medio ſublata ſit, Moſis Synedrion conſiſtere non poteſt. Ceſſante lege, ceſſant pariter Iudices. Mutatio ceremoniarum & ſacrificiorum (vt grauiſſimis Apoſtolus rationibus demonſtrat) mutationem Sacerdotij operatur. Similiter Iudæorum legibus & iudicijs antiquatis, abrogantur etiam eorum Iudices & Synedria. Sed ſi aliter res ſe haberet, quid tamen Epiſcopis officere poſſet? Si Preſbyteri veſtri Iudæorum Seniores referre debeant, Præſides veſtros ſummis eorum Sacerdotibus reſpondere par eſt. In quo minùs probè vobis conſultum videtur. Nam dum Epiſcoporum in Presbyteros poteſtatem minuere vehementer contenditis, triplo maiorem hoc argumento efficitis. In omnibus iuris diuini partibus, [f] *Summo Sacerdoti non parere morte ſancitur*. Vt ſi conſtare vobis velitis, magis aptam confirmandæ Epiſcoporum authoritati rationem ne optatem quidem, quàm veſtram hanc collationem. Verùm vbi paululũ premi vos ſentitis, ita celerem in fugam vos confertis, vt fruſtrà vos perſequi conarer. Certè quidem Cyprianus præceptum illud Deuteronomij, cum alijs multis veteris Teſtamenti ſæpiſſimè citat, & vrget acerrimè, vt obedientiam à Presbyteris æquèac à populo, ſibi & cæteris Epiſcopis debitam eſſe oſtendat. [g] Volenti licet locos ipſos conſulere. Poſtremò, quod ad Patres attinet; vt moris eſt veſtri, minuta quædam ab vno aut altero eorum, ſicubi inſeruire vobis

d 1.Cor.5.v.3
e 2.Tim.1.v. 5.
f Deuter.17. v.12.
g Cypr.lib.1. Ep.3.8.11.lib. 3.Ep.9.lib.4. Ep.9.

vobis videntur, arripitis; eosdem verò alioſque omnes antiquioris notæ Scriptores, quoties nouitiam hanc diſciplinam veſtram pleniùs exagitant, ſummo cum faſtidio rejicitis.

Presbyterorum conſilium initio quidem in Eccleſiæ gubernatione receptum fuiſſe, teſtes nobis Hieronymus & Ambroſius videntur; authoritatem verò aut cenſuram in Epiſcopum exercere potuiſſe, nec dixiſſe eos, nec vnquam ſenſiſſe, audaciter affirmem: [h] *Eccleſiæ ſalus* (vt putat Hieronymus) *in ſummi Sacerdotis* (*ſiue Epiſcopi*) *dignitate pendet; cui ſi non exors quædam & ab omnibus eminens detur poteſtas, tot in Eccleſijs efficientur ſchiſmata, quot Sacerdotes.* Huc accedit Cyprianus; [i] *Iudicem te Dei & Chriſti conſtituis, qui dicit ad Apoſtolos, ac per hoc ad omnes Præpoſitos, qui Apoſtolis vicaria ordinatione ſuccedunt: Qui vos audit, me audit; & qui reijcit vos, me reijcit. Vnde enim ſchiſmata & hæreſes obortæ ſunt & oriuntur, niſi dum Epiſcopus, qui vnus eſt, & Eccleſiæ præeſt, ſuperba quorundam præſumptione contemnitur.* Atque illum vnum Epiſcopum, videlicet ſeipſum, appellat hoc loco; [k] *Plebis Præpoſitum, gregis Paſtorem, Eccleſiæ gubernatorem, Chriſti antiſtitem, Deiq; Sacerdotem.* Nimiùm longus eſſem, ſi omnia Catholicorum Patrum teſtimonia pugnantia cum ea, quam Presbyteris veſtris attribuitis, poteſtate percenſerem. Verùm quia vos eos velut humanam politiam redolentes, Deiq́ne inſtitutionem negligentes, Senatu mouetis; videamus, vtrum nos plus ex Scripturis pro Epiſcopali in Presbyteros poteſtate proferre poſſimus, quàm vos pro Presbyteriali eminentia attuliſtis; quod meo iudicio parùm firmis conſtat documentis.

h Hier aduer. Lucifer.

i Cypr. lib. 4. Ep 9 10.

k Ibid.

Quæ in Scripturis pro Epiſcoporum in Presbyteros authoritate occurrunt, ferè ſunt huiuſmodi: Spiritum ſanctum per os Pauli cuiuſque loci Epiſcopis dediſſe poteſtatem dignos Presbyteros *ordinandi*, facinoroſos *examinandi*, *redarguendi*, aut etiam *remouendi* eos qui doctrinę minùs ſanæ, aut vitæ nefariæ rei inueniuntur. His Timotheum ac Titum, & per eos ſucceſſores ipſorum, alioſque omnes Eccleſiæ Epiſcopos ad finem vſque ſeculi inſtruit. Loca per ſe ſatis aperta ſunt & perſpicua, vt longiore tractatione nihil opus ſit,

donec

donec responsionem vestram audiuerimus.

De admittendis Presbyteris, Paulus ad Timotheum ait: l 1.Tim.5. l *Manus citò nemini imposito, neque communicato peccatis aliorum.* Et ad Titum; m Tit.1. m *Huius rei gratia reliqui te in Creta, vt constitueres Presbyteros in qualibet Ciuitate, prout ego mandaui tibi.* De in ius vocando, & examinando eos edicit; n 1.Tim.5. n *Aduersus Presbyterum accusationem nè recipias, nisi sub duobus aut tribus testibus. Eos, qui peccant, coram omnibus argnito, vt & reliqui timeant.* De dignis honorandis Presbyteris, indignis amouendis, & silentio falsis Doctoribus imponendo, sic inquit; o 1.Tim.5. o *Te hortatus sum, vt Ephesi maneres, vt denunciares quibusdam ne diuersam doctrinam prædicarent.* p Tit.1. p *Os ijs obturari oportet, qui docent, quæ non decet, turpis compendij causa. Qui benè* q 1.Tim.5. q *præsunt Presbyteri duplici honore digni habeantur.* r Tit.3. r *Cohibe stultas quæstiones & contentiones. Hæreticum post vnam aut alteram admonitionem reijce.* s Tit.2. s *Hæc loquere & exhortare, & argue* t 1.Tim.5. *cum omni imperio. Nemo te dispiciat.* t *Denuntio tibi coram Deo, & Domino nostro Iesu Christo, & Angelis eius electis, vt hæc serues* χωρὶς προκρίματος, μηδὲν ποιῶν κατὰ πρόσκλισιν, *absq; delectu (sine præiudicio,) nihil faciens (per acceptionem) in alterutram partem declinando.* Efficacia sunt verba, vehemens obtestatio, mandata vsque ad aduentum Domini duratura, nec Titi aut Timothei morte finienda; personæ ergò ad quos Apostolus scripsit, Episcopi fuerant. Quibus rectè perpensis, Episcopalem in his causis potestatem supra Presbyteros, velut dictante Spiritu, iussu diuino sancitam esse nemo sanus inficiabitur. *Toto (quod aiunt) cœlo erratis. Etenim potestas hæc Euangelistarum propria fuit, non Episcoporum; eóque ad tempus solùm durauit, nec personas eorum egressa est ad quos Apostolus scripsit. Videte, quàm leui concidant impulsu Episcopatus vestri fundamenta.*] Grauiter quidem, si tamen verè; sin falsum sit quod dicitis, & absurdum, vestris etiam assertionibus contrarium; videte, quid Deo responsuri sitis, quòd Ecclesiam ipsius perturbetis, institutionem conculcetis, & Angelos & nuncios, quos proprio ore legauit & stabiliuit, cum risu & stomacho excipiatis. Atque hîc mihi Christiane Lector impensè rogandus es, vt quid ex alterutra

parte

parte dicatur, aut respondeatur, animum diligenter attendas; ex hoc enim pendet Episcopalis muneris & potestatis extructio, si probationes nostræ stabiles & firmæ fuerint; contrà eiusdem euersio & ruina, si responsio illorum satis in hac re ponderis habuerit. Planè enim hoc si defecerit, Episcopis suam authoritatem Ecclesiæ consuetudine vendicare liceat, diuino aliquo iure, aut Scripturarum testimonio non licebit. Quòd si præcepta hæc, vtì nos affirmamus, generatim omnibus Episcopis ab Apostolo posita sint, non autem Timotheo atque Tito tantùm, nempè Euangelistis, vtì isti contendunt; manifestò constat, disciplinam hanc totam non ex probatis Theologorum iudicijs, sed ex recentiorum quorundam somnijs esse conflatam, ac veterem & antiquam illam Christi Ecclesiam, iuxta diuini verbi prescriptum, Apostolico ritu Dei domum administrasse. Itaque argumentis sic agamus.

Nulla potestas Euangelistis peculiaris, est aut esse debet perpetuò permanens in Ecclesia. Vocatio eorum extraordinaria fuit, & ad breue tempus durabat; sed potestas ordinandi dignos, conueniendi, remouendique indignos, perpetua est & esse debet in Ecclesia Christi; *Ergò* potestas Euangelistis peculiaris non erat, quã beatus Paulus Tito ac Timotheo in his Scripturarum exemplis præscripsit. Rursus, potestatem Euangelistarum propriam Presbyteri vestri sibi vendicare non possunt, cum Euangelistis enim nullo modo sunt conferendi; at Presbyteri vestri potestatẽ, quã Apostolus hic Tito & Timotheo demãdat, nempè *ordinandi, examinãdi, iudicãdi, deponẽdíq;* Pastores & Doctores, sibi vendicãt; *Ergò* me tacẽte, vos ipsi fatemini, potestatem hanc Euangelistarum propriam non fuisse. Nullius, quod dixi, momenti sit, nisi Paulus expressè nobis suffragetur. Ad Timotheum ait: [u] *Denuncio tibi coram Deo, & Iesu Christo, vt serues mandatum hoc sine macula vel reprehensione, vsque ad reuelationem Domini nostri Iesu Christi.* Vt Timotheus hæc obseruaret vsque ad aduentũ Christi in gloria, nullo modo fieri poterat; moriendum ei multò ante fuerat. Itaque præcepta hæc non ei solùm, sed alijs in eius locum ad finem seculi successuris tradita sunt.

[u] 1. Tim. 6

Ergò

Ergò, Timothei munus & potestas in hac parte perpetuò in Ecclesia durare debet, nec ante diem Domini desinere.

x Ambros in 1.Tim.6. x *Magna vigilantia atque prouidentia* (inquit Ambrosius in hunc locum) *præcepta dat rectori Ecclesiæ. In huius enim persona Ecclesiæ salus consistit. Non solicitus de cura Timothei tam circumspectus est, sed propter successores eius, vt exemplo Timothei Ecclesiæ ordinationem custodirent.* Iam Christiani Lectoris iudiciũ sit, vtrum functio Timothei temporaria & personalis solùm fuerit, an ei eiusque successoribus in perpetuum demandata. *Timotheus sine controuersia Euangelista non Episcopus erat.*] Vos quidem negatis; Eusebius verò, Hieronymus, Ambrosius, Chrysostomus, Theodoretus, Epiphanius Oecumenius, Primasius, Theophylactus, vno ore affirmãt Timotheum Episcopum fuisse; & ideò Paulum hac Epistola eum, in eoque alios omnes Episcopos instruxisse, quemadmodum Presbyteris manus imponere, & accusationes aduersus eos recipere deberent. Imò, vniuersa Christi Ecclesia vsque ab Apostolorum temporibus, omnesque ad vnum Patres ac Synodi hoc sensu verba Pauli acceperunt, atque vsurparunt, data nemini ordinandi, vel deponendi Presbyteros facultate, præterquam Episcopis. Vos tamen hæc omnia floccifacitis, & vobis in vestra sententia nimium pertinaciter hærentibus, Patres antiquitate & eruditione præstantissimos, Synodos authoritate & numero celeberrimas, Ecclesias fide & pietate laudatissimas cedere oportet, fasceseque summittere. Et vtut aliàs contendatis potestatem hanc illorum duorum personas, ad quos beatus Apostolus scripsit, egredi non debere; tamen erga Presbyteros vestros adeò liberales scilicet ac benefici estis, vt eos Timotheo & Tito in Euangelistica ipsorum potestate contra ius fasque succedere velitis. Ita more vestro, potestatem hanc propriam esse vultis, & tamen communem; extraordinariam, vsitatam tamen; cum personis eorum desinere, & cum Presbyteris vestris perpetuò durare. Citiùs ignis & aqua inter se, quàm vos inter vos conueniatis, nisi mobilitatem hanc missam faciatis. *Dicimus potestatem hanc Euangelistis ad tempus datam fuisse; Presbyteris verò perpetuò adhærere.*] Quid

vos

vos dicatis, nemo sapiens spectabit, nisi meliores sententiæ vestræ rationes proferatis, quàm hactenùs proferre potuistis. Nullum, ne minimum quidem apicem in sacris literis pro Presbyterorum vestrorum potestate habetis; tamen ita animosè definitéque pro ea pronunciatis, ac si nihil aliud in nouo Testamento, nisi eorum authoritas, passim occurreret. *Annon Presbyterium impositione manuum Timotheum Euangelistam creauit: Annon Apostolorum temporibus ad pascendum gregem incubuerunt Presbyteri? Annon Spiritus sanctus inspectores eos Ecclesiæ constituit? Quid amplius requiritis?*] Presbyteria vestra vel solũ, vel maxima ex parte è laicis constare vultis. Ij ergo Pastores & Episcopi sunt, gregem pascunt, & custodiunt, Ecclesiæ Præsides constituuntur, manusque suo arbitrio & iure imponunt; Et vt, quod res est, dicam; quid adeò arcanum & peculiare Pastoribus est, quod Presbyterijs vestris commune non sit? Nam cùm eo premi vos, vel potiùs opprimi sentiatis, quod Presbyteri viuentibus Apostolis, eadem ex officio peragere tenerentur, quæ propriè ad pastoralem curam & prouinciam spectarent, & perindè laicos ex eorum numero non fuisse; nihil hæsitantes respondetis, Laicos Presbyteros non minùs *vigilantiæ, pastioni, & inspectioni* gregis in Consistorio operam dare, quàm ipsos Pastores in Ecclesia. Itaque non potestas solùm, sed cura & solicitudo eorum, eadem, vt dicitis, est, quam Spiritus sanctus Pastoribus assignauit, Pastores tamen nullo modo sunt. Et quod attinet ad manus à Presbyterio Timotheo impositas, ipsi vobis nullo negotio satisfacietis. Nam cùm illud ad vestram defensionem arcessatis, Presbyterium manus Timotheo imposuisse; quærimus, vtrum totum Presbyterium ius imponendi manus habuerit, an eorum aliqui tantùm? Si totum: aut laici Seniores manus etiam suas imponebant (quod tamen Caluinus accuratè negat: [y] *Hoc postremò*, inquit, *habendum est, solos Pastores manus imposuisse Ministris*;) *aut in Presbyterij partem* non veniebant. Sin aliqui tantùm manus imponerent, & tamen Presbyterium feciisse dicatur, quod non omnes, sed pauci, vel eorum vnus solùm, præsentibus, videntibus, & approbantibus cæteris faceret; eodem modo

[y] Caluin Inst. lib. 4. cap. 3.

modo Paulus affirmat Presbyterium manus Timotheo imposuisse, cum ipse, qui ex eorum numero erat, id feciſſet. Atque in eo Caluinum non sine magna ratione, nobis aduocatum habemus: [2] *Paulus*, inquit, *se, non alios complures, Timotheo manus imposuisse commemorat.*

2 Caluin. ibid

Mirabar equidem vos robur & fundamentum totius Presbyterialis potestatis in hoc vno loco collocasse, cui tot modis tam plenè potest perfectéque occurri. Primùm, enim Hieronymus, Ambrosius, Primasius & Caluinus exquisitè notant, Presbyterium hoc in loco gradum & munus à Timotheo susceptum significare, non Collegium, numerumque Presbyterorum. Deinde, Chrysostomus, Theodoretus, Oecumenius & Theophilactus scribunt, Paulum per *Presbyterium* Episcopos intellexisse, (vtrisque nominibus initio communibus) cùm Presbyteris manus Episcopo, cuiusmodi Timotheus erat, imponere non liceret. Tertiò, Scripturæ docent, Apostolos, Euangelistas, Prophetas, & Septuaginta discipulos de Presbyterijs fuisse in prima Ecclesia; hi autem ritè Timotheo manus imponere absque Presbyteris potuerunt. Quartò, beatus Paulus (vt rectè à Caluino animaduersum est) affirmat se, non alios, manus Timotheo imposuisse. Postremò, vos etiam asseritis Timotheum Euangelistam fuisse; quam quidem functionem in eum nullius particularis Ecclesiæ Presbyterio, sed Apostolis tantùm conferre licuit. Ecclesiæ quæ Iconij aut Ephesi erant, ecquam creandi Euangelistas facultatem habuerunt, hoc est, eos qui Apostolorum comites & adiutores in labores futuri essent? Si nec Scripturis, nec Patribus credatis; at vobismet ipsis credite & positionibus vestis. Quomodo enim alij fidem ijs adhibebunt, quibus ipsi non tribuitis? Si Timotheus Euangelista fuerit, necesse est Apostolos, non Presbyteros fuisse, qui manus illi imposuerunt. Rursus, si particularis Ecclesiæ Presbyterium manus Timotheo imposuerit, sequitur eum Episcopum fuisse, & certam in aliqua Ecclesia sedem & curam habuisse, quod à vobis sub specie officij ipsius, quippè Euangelistæ, oppugnatur. Vtrumuis horum eligite, modò vnum; & in eo constare vobis velitis. Presbyteri fuerunt, an non,

non, qui Timotheo manus impoſuerunt? Si Presbyteri, tamen vnà cum Paulo fecerunt; & proinde ſine Apoſtolo, vel eius ſucceſſore Presbyteris non licet manus imponere. Vndè neceſſariò efficitur Timotheum Epiſcopum tum fuiſſe, cum ad eum Paulus ſcriberet; quia Euangeliſtam Presbyteri minimè creare poterant. Presbyteri non erant, ſed Apoſtoli alijuè ſublimiore gradu? ergo locus iſte Presbyterorum cauſam nihil adiuuat, nec omninò ijs poteſtatem tribuit vel ordinandi dignos Miniſtros, vel indignos amouendi; hoc autem ſepoſito, ne verbum quidem de Presbyterijs veſtris in ſacris literis inueniatur.

Summa huc redit. Nos certiſſimis & firmiſſimis rationibus oſtendimus TIMOTHEO EIVSQVE SVCCESSORIBVS mandatum hic fuiſſe, vti præcepta hæc de admittendis dignis Miniſtris, & remouendis indignis, perpetuò in Eccleſia retinerent. Vnde ratiocinamur, poteſtatem hanc perennem & perpetuam in Epiſcopis conſidere ac commorari debere, vtpote qui Timothei locum in Eccleſia occupent; Presbyteri non item. Ex diuerſo, vos authoritatem hanc Epiſcopis detractam Presbyterijs veſtris tribuitis: verùm nec ſucceſſionem eorum ab Timotheo, nec mandatum cum Timotheo commune, vel minima Scripturarum ſpecie probatis. Gregem paſcere eos ac cuſtodire debere vos contenditis, nos etiam concedimus. In docendo enim hortandoque cum Timotheo coniuncti; eò quòd in tanta meſſi, quanta Apoſtolorum temporibus fuit, operarijs multis opus eſſet; ad ordinandum autem moderandumque Paſtores, vt multis nihil opus erat, ita præceptum pro multis nullum eſt; ne Rectorum multitudine potiùs turbetur ordo, quàm ſeruetur. Quemadmodum igitur Timotheus Epheſi, & Titus Cretæ conſtituti erant, quibus ordinandi, gubernandi, coercendique tam Presbyteros quàm populum ius eſſet; ſic Archippus Coloſſis; ſeptem Paſtores in ſeptem Eccleſijs Aſiaticis, ad quos Filius Dei Iohannis calamo literas exarauit, & in omnibus Eccleſijs ab Apoſtolis conſtitutis Apoſtolici viri per Chriſtianum orbem relicti ſunt, qui Eccleſias Chriſti non inferiori poteſtate regerent & adminiſtra-

tent,

rent, eamque ſucceſſoribus ſuis in perpetuum tranſmitterent. Atque noſtram hanc verborum Pauli interpretationem doctiſſimi antiquiſſimique Patres communi calculo comprobarunt, & Catholica Chriſti Eccleſia omnibus ſeculis, ac locis, iam inde ab Apoſtolis, vſu & authoritate confirmauit. *Nunquid ais, Epiſcopos ſolos inſcijs atque inconſultis Preſbyteris, quiduis pro arbitrio ſuo deſignare potuiſſe?*] Quid dicam ac ſentiam, ſcire cuiuis promptum eſt. Vos ex propria & perpetua Dei ordinatione, ſicut aſſeritis, primum aliquem in Presbyterijs veſtris conſtituitis, qui executioni mandet quod communi conſilio decretum fuerit; quem Præſidem nominatis. Iam quatenùs mihi vobiſcum conueniat, facilè intelligetis. In qualibet Eccleſia ciuitateque, quæ Presbyterium ſuis ſumptibus alere poſſint, Deus vnum aliquem, vitandi diſſidij & diſcordiæ cauſa, ſupremum eſſe voluit, qui Paſtorali & patria poteſtate gubernaret, tam Presbyteros, qui adminiſtri ipſius ſunt, quàm populum, qui ſubijciuntur ei, iuxta leges diuinas paritèr & humanas; quarum executionem illius fidei potiſſimùm commiſit, quia rector & inſpector reliquorum eſt; quem Epiſcopum appeliamus. Illius ego quidem poteſtatem moderationis non dominationis loco habeo, quum diuina ſapientia modum etiam præfiniuit, quo æquè ab iniuria cohiberi, ac dubijs in rebus dirigi poſſit. *Hæc eadem omninò poteſtas eſt, quam Presbyterijs noſtris permittimus.*] Si laicos Paſtorum loco Presbyterijs non aſcriberetis, ijſque corrigendi partes tribueretis, quibus conſulendi ſolùm debitæ ſunt, nonnullo fortè vſui in Eccleſia, etſi multò minori quàm initio fuerunt, Presbyteria veſtra eſſe poſſent. Hæc autem ſunt quæ æternas diſciplinæ veſtræ maculas inurunt; primùm, quod Epiſcopos detractis ijs, quæ Apoſtolus illis conceſſit, tanto cum faſtidio reijciatis: deinde, quod Presbyteria veſtra, quorum nulla in Scripturis fit mentio (vt quæ maxima ex parte, ſi non omninò, ex laicis Senioribus conflata ſunt) tam cauſarum quàm perſonarum Eccleſiæ iudices & cenſores faciatis. Habuit (vt verum fateamur) Presbyteria ſua Apoſtolorum ætas; habuit prima etiam puriſſimaque Eccleſia, quæ pijs

&

& necessarijs vsibus inseruiebant: verumtamen nec eius generis, qualia vos prætenditis, fuere; nec in eum finem, quem animo concipitis, instituta, nec tam ampla potestate prædita, quàm vos coniectura & opinione complexi estis.

Presbyteriorum (quæ primùm ab Apostolis, in qualibet ciuitate constituta, post etiam ijsdem authoribus in vnam cum Episcopo Ecclesiam coniuncta sunt) multiplices vtilitates inuenio, quarum aliæ temporum inclinatione obsoleuerunt, aliæ hodiè etiam in vsu sunt. Prima fuit totius orbis ad fidem Christi conuersio. In magnis enim ciuitatibus nondum Christiana veritate imbutis, quousque vni alicui elaborandum esset, vt maiorem credentium numerum Christo lucrifaceret; præsertim feruente adeò persecutione, vt si quis palàm se Christianum profiteri vellet, in apertum vitæ discrimẽ incideret? Propterea multos Spiritus sanctus in qualibet ciuitate operarios designauit, qui veritatis cognitionem per singulas domos dispergerent; Veluti Ephesi [a] *duodecim Paulus* donis Spiritus simul instruxit ad disseminandum ibidem Euangelium: Romæ etiam [b] *viginti* de familiaribus & sibi cognitis salutem dixit, præteritis quos non norat, qui omnes vnà cum familijs suis sedes ac domicilia ibi collocauerant, quo melius populum ad fidem adducerent. Eodem exemplo vbicunque Apostoli Ecclesiam fundarunt, eam Pastoribus, quàm poterant plurimis, ornarunt, vt veritas Christi non exiguis ciuitatis terminis circumscriberetur, sed ad vrbes regionesque finitimas longè lateque diffunderetur.

[a] Act 19.

[b] Rom.16.

Secunda Presbyteriorum vtilitas erat, vt credentes in fide retinerent, erudiendo, exhortando, confirmandoque eos viritim & per singulas domos, vt in doctrina, quam amplexi erant, stabiles permanerent, nec sanguinarias Tyrannorum reformidarent procellas, nec veteratorijs Satanæ præstigijs aures præberent, nec blandientes huius mundi illecebras attenderent, sed constanti animo cum veritate & sanctitate Deo inseruirent, quamuis inuitis, ac repugnantibus ijs, qui aduersus Christi cognitionem efferre se non dubitarant. Ita demùm aucta populi multitudine, labores etiam vbique

creuerunt, & Pastorum maior numerus requirebatur; cum vni tam esset facile terram humeris sustinere, quàm ingentis alicuius ciuitatis difficultatibus sufficere. Quocirca sapientiæ Spiritus Ecclesiæ Oeconomiam ita dispensauit, vt ad conuersionem hominum procurandam, & salutem promouendam, vbique (pro locorum diuersitate) Pastorum & Doctorum copia suppeteret; ad alendam tamen vnitatem, & Pastores ac populum in pace conseruandos, in qualibet Ecclesia ciuitateque vnus præcipuus ac princeps existeret, qui velut Pastor primarius eius loci omnes eorum actiones inspiceret, contentiones sedaret, effrenatos coerceret, perditos denique cæterorum ope & auxilio amoueret; ne multitudo Doctorum arrogando sibi eos quos conuertissent, fideles in tot factiones distraherent, quot in quaque ciuitate essent Presbyteri. Hanc ob causam in quamuis magna ciuitate vna tantùm Ecclesia fuit, vnus etiam summus Pastor seu Episcopus electione creatus, qui in Pastorali sede ac munere succedens eminebat supra cæteros, qui fratres in officio, filij per obedientiam, adiutores in laboribus, & in consilijs iudicijsque assessores erant.

Tertia vtilitas institutionem & probationem eorum spectabat, qui ad curam animarum suscipiendam, & Ecclesiæ regimen sustinendum digni & idonei essent. Principio enim mirabilis Spiritus sancti potestas omnes eruditionis & scientiæ defectus & impedimenta suppleuit, ita vt manuum Apostolicarum impositione homines anteà rudes & ignari, egregij Euangelij præcones repente euaserint. Verùm quia dona hæc nec longo tempore, nec tanta mensura, quanta sub ipso Euangelij exortu, duratura erant; Apostoli in singulis maioribus Ecclesijs ac ciuitatibus, quæ ministerio eorum indigere, atque oneri sufficere viderentur, ratione multitudinis, & frequentiæ hominum illis locis sedes habentium, vel moras trahentium, Presbyterium constituerunt, hoc est, aptum & conuenientem numerum Diaconorum, qui diuinis rebus & mysterijs inseruirent, & Pastorum qui verbum & Sacramenta diligenter curarent. Ex his fontibus ciuitates, quotiescunque opus erat, non modò sibi ipsis prouidebant,

sed

sed oppidulis & pagis circumiectis; qui nec Presbyteria suis sumptibus alere, nec alios sibi futuros Pastores enutrire poterant. Nobis fortasse, quibus Academiæ sunt Christianorum Principum, aliorumque magnorum virorum munificentia præclarè extructæ & dotatæ, superfluum hoc videri possit; Ecclesia tamen Christi post primam Pastorum suppeditationem Apostolorum manibus factam, nullam rationem habuit educandi, aut fouendi alios in spem Ecclesiæ, præterquam Presbyteria sua in maioribus Ecclesijs & ciuitatibus fundata, quæ velut doctrinæ domicilia, & religionis ac pietatis seminaria erant, vnde Pastores accersebantur non ad vsum modò ciuitatum ipsarum vbi nutriti fuerant, sed ad commodum etiam & Ecclesiarum & Regionum finitimarum, quarum cura & inspectio ad ciuitatis cuiusque Episcopum pertinebat.

Quarta Presbyterorum vtilitas erat (quod vos etiam, sed minùs rectè, attingere video) vt cuiusque Ecclesiæ Episcopo siue summo Pastori, quoties dubium, aut discrimen aliquod incideret, consilium & auxilium præberent. Principiò enim, nec erant Concilia, quæ Canones præscriberent, nec Christiani Principes qui leges ferrent ad disciplinam atque ordinem in Ecclesia conseruandum; sed vnusquisque locus propriæ ipsius in dirigendo prudentiæ & consilio relictus erat. Itaque ne sola Episcopi voluntas rerum omnium in Ecclesia gerendarum esset regula, administratio Ecclesiastica ita initio dispensata fuit, vt nec Presbyteris absque Episcopo suo quicquam agere, nec Episcopo sine Presbyterio suo maiora negotia conficere liceret. Presbyteri enim non tanquam authoritate æquales, nedùm vt superiores, si cubi ab eo dissentirent, Episcopo adiuncti erant. Scio nihil vobis esse priùs aut potiùs in vestra disciplina, veruntamen Ecclesia Christi ab Apostolis vsq; ad hanc nostram ætatem eiusmodi insolentiam non modò ad vsum non recepit, sed ne ferendam quidem omninò putauit.

[c] *Quemadmodum Dominus* (inquit Ignatius) *sine Patre nihil facit: sic & vos sine Episcopo, nec Presbyter, nec Diaconos, nec Laicus.* Idem alibi, [d] *Presbyteri subiecti estote Episcopo, Diaco-*

c Ignat. ad Magnes.
d Idem ad Tarsens.

ni Presbyteris, populus Presbyteris & Diaconis. *Qui rectum hunc ordinem conseruant, pro eorum animabus ego meam oppignoro, & Dominus sit cum ipsis perpetuo.* Canones veteris Ecclesię disciplinam ab Apostolorum temporibus repetentes præcipiunt; vt [e] *Presbyteri & Diaconi nihil præter sententiam Episcopi pertentent. Nam Domini populus ipsi commissus est, & pro animabus eorum hic reddit urus est rationẽ.* Recens ab Apostolorũ ętate Tertullianus, suo seculo nec Presbytero, nec Diacono baptizare permissũ nisi venia ab Episcopo impetrata, scribit; [f] *Dandi quidem (baptismum) ius habet summus Sacerdos, qui est Episcopus: dehinc Presbyteri & Diaconi, non tamen sine Episcopi authoritate propter Ecclesiæ honorem: quo saluo, salua pax est. Æmulatio schismatum mater est.* Concilium Ancyranum Niceno superius refert; [g] *Chorepiscopis non licuisse vel Presbyteros, vel Diaconos ordinare, sed nec Presbyteris Ciuitatis, nisi permittantur ab Episcopo, idq; cum literis in alterius parœcia.* Concilium Laodicenum Episcoporum prærogatiuam denotans, ait, ([h] *Chorepiscopos*) *qui ante hoc ordinati sunt, nihil agere censemus, nisi cum consensu Episcopi Ciuitatis. Similiter etiam Presbyteri nihil nisi ex sententia Episcopi agant.* Concilium Aretalense *Constantini temporibus*, ijsdem ferè verbis; [i] *Presbyteri sine conscientia Episcopi nihil faciant.* Hieronymus eandem quam Tertullianus rationem assignat. Nisi summo Sacerdoti [k] *exors quædam, & ab omnibus eminens detur potestas, tot in Ecclesiis efficientur schismata quot Sacerdotes. Inde venit, vt sine Episcopi iussione, neque Presbyter, neque Diaconus ius habeant baptizandi.* Si Presbyteri iuxta veteris Ecclesiæ disciplinam Episcopo suo parere deberent, nec quicquam expedire, ne baptizare quidem nisi permissione Episcopi illis liceret; quantum aberant ab ea potestate quam Presbyteris vestris tribuitis, vt suffragiorum multitudine Episcopi sui authoritatem præponderent ac superent? *Hæc eadem Ecclesiæ consuetudo erat, quam Hieronymus diuinæ dispositioni contrariam fatetur.*] Si hæc primæ Ecclesiæ consuetudo fuerit, eorum Presbyteria nihil simile consistorijs vestris habuerunt; nec Episcopus tanquam Consul in Senatu sententias rogauit, & quod à maiori parte decretum fuerat, executioni solùm

[e] Canon Apost. c. 38.

[f] Tertull. de Baptism.

[g] Concil. Ancyr. ca. 13.

[h] Conc. Laod can 56. αἰτὸ χρῆναι.

[i] Concil. Arelat. 1. can. 19

[k] Hier. aduer. Lucif.

lùm mandauit: ſed veluti Paſtor parem in Presbyteros ac populum authoritatem obtinuit; vt ſine approbatione & conſenſu Epiſcopi Presbyteri nec baptizare potuerint, nec cœnam Domini miniſtrare, nec quicquam eorum, quæ ad ſacrum munus ſpectant, peragere. Neque verò Hieronymus hunc Eccleſiæ morem cum diuina diſpoſitione pugnare ait; tantum abeſt, vt improbet, vt planè dicat; [l] *Eccleſiæ ſalutem in eo pendere.* Verùm Epiſcopos memoria tenere iubet, quòd licèt omnis Eccleſiæ gubernatio & inſpectio illis tunc concredita, Presbyteris verò ad euitanda ſchiſmata prærepta ſit, in honore tamen eos haberent, & conſilium cum ijs de Eccleſiæ negotijs cõmunicarent; quia priuſquàm orirentur diſſidia, ſecundum diuinæ diſpoſitionis veritatem, Eccleſiæ adminiſtratio communis erat Epiſcopo cum Preſbyteris. *Eandem diſpoſitionem, quam ille diuinam appellat, nos reſtitutam vehementer cupimus.*] Sub verborum illorum ſpecie, veſtra ipſorum dogmata diuinæ inſtitutionis nomine promulgatis. Nam præceptum illud Pauli ad Timotheum planè aduerſus Presbyteria veſtra pro Epiſcopis facit; nos verba ipſius ex Eccleſiæ praxi interpretamur, atque indè mente & ratione complectimur, quòd licèt penes Epiſcopos ſumma rerum adminiſtratio eſſet, non tamen nullo loco Presbyteria erant. Nondum enim aliam Epiſcopi dirigendi ſe rationem habebant, præterquam Presbyteria ſua. Poſteà creſcente & florente Euangelio, cum Synodi cœperunt frequentiùs conuocari, & multarum Eccleſiarum Paſtores, tum literas vltrò citroque mittendo, tum conuentus celebrando, de ordine & diſciplina in Eccleſijs ſuis conſtituenda deliberarent; plus otij & vacationis à maioribus Eccleſiæ negotijs particulariũ locorum Presyterijs datum eſt, eò quòd, quæ anteà Presbyteriorum curam requirere ſolerent, Prouincialia Concilia ſibi aſciſcerent. Et quemadmodum vos Præſidi veſtro negotium mandatis, vt Presbyterorum decreta exequatur: ita maiori cum ratione, & meliori conſilio, prima Eccleſia Epiſcopis ſuis hanc neceſſitatem impoſuit, vt quæ communi conſenſu Epiſcoporum & Paſtorum cuiuſuis Prouinciæ definita erant, ab omnibus ſeruari diligen-

[l] Aduerſ. Lucifer.

ter curarent. Vbi intueri licet, qua occasione Presbyteriorum potestas primùm decreuit; non quòd Episcopi iura eorum sibi vsurpauerint, aut dominium in eos arripuerint; sed quæ anteà in singulis Presbyterijs tractari solebant, tum demum in Synodis & magnis Episcoporum & Pastorum totius Regni & Prouinciæ Concilijs agitari cœperunt. Adeò vt in deliberatione & decisione Ecclesiasticorum criminum & causarum, Synodi, vtpotè plus consilij, potestatis, experientiæ, æquitatísque habentes, Presbyterijs illis in veteri Ecclesia prælatæ fuerint; & nisi vos cœcos reddat inuidia, non potestis eidem non assentiri.

Numquidnam fieri poterat, vt in vno aliquo Presbyterio tot viri grauitate, prudentia, doctrina, atque scientia præstantes existerent, quot in tota Prouincia? In Presbyterijs etiam factiones contentionesque ferè obtinent, cum in communi societate viuentes amore vel odio, facillimè ducantur: in Synodis autem nihil tale metuendum erat, cum omnes sibi inuicem essent extranei, & in vnum locum tanquàm peregrini conuenirent. In Presbyterijs Episcopo facile fuit & expeditum ex sententia sua omnia peragere, cui cæteri subiecti, multisque modis expositi erant, si iniurias suas persequi vellet; in Synodis omnes fratres ipsius & æquales erant, nullo ei nomine obnoxij, quo maiorem integritatis æquitatisque spem ac rationem præferebant. Ad authoritatem verò quod attinet, nihil minus (vt puto, & spero) vobis propositum est, quàm vt Papam & Cardinalium Collegium in qualibet parœcia erigatis, à quibus prouocare non liceat, quorum iniurijs nullum inueniatur remedium, nec sententiæ eorum quacunque ratione retractari possint; quibus nihil magis superbum & tyrannicum terrarum orbis vnquam vidit. In omni Christiana societate, totū pari munere ac potestate præditum, quauis parte potius ac superius est, & ea de causa Prouinciam parœciæ præferri æquissimam videtur. Itaque Presbyteria Synodis debent cedere, & Episcopus cuiusque loci, magis harum, quàm illorum, decreta sequi & seruare tenetur.

Hoc dum minùs animaduertitis in ea quidem opinione, estis

estis, vt vniuersam Christi Ecclesiam ad opprimendos Presbyteros, & mutandam Apostolicam regendę Ecclesię formã conspirasse existimetis; cùm reuera Conciliorum Canones, & Christianorum Principum Constitutiones, moderando ac terminando eas omnes controuersias & quæstiones, quæ in Presbyterijs anteà tractari solebant, effecerint, vt nec tanta eorum vtilitas esset, nec tantus eis honos haberetur. Proindè, soli Episcopo, nec conscijs, nec consultis Presbyteris legum omnium executionem mandarunt, maioribus Curijs minorum Decuriarum iudicijs decreta sua submittere nolentibus. Quarè quum Episcopos vehementiùs insectemini, acsi tyrannidem in fratres sibi vsurparent, minimè vobis in mentem venit post tot annorũ centurias, rebus optimè constitutis & legibus dispositis, quas Presbyteria vestra nec debent rescindere, nec possunt emendare, multò satiùs esse, si Seniores vestri labore supersedendum potiùs quàm operam frustrà perdendam putauerint. Plures enim leges nobis habere non expedit, meliores vobis ferre non licet: qui ex Presbyteriorum nutu & arbitrio pendere, quàm legum præscripto malit viuere, nisi insanum, opinor esse neminem. Abrogatis ijs quandocunque velitis, Consistorijs vestris negotium facessite, & videte quantum intersit inter constantem Canonum æquitatem, & factiosam Presbyterorum temeritatem. *Nullas mutare leges, præterquam Pontificias, in animo habemus; & cum Episcopus summam rerum solus administret, nos Presbyterium ei adiunctum vellemus.*] Quæ leges Papæ superstitionem & tyrannidem alebant vel augebant, iampridem, gratia Deo sit, è medio sublatæ sunt. Alias verò, quæ veteris Ecclesiæ disciplinam sapere videntur, si quæritis dissoluere, optarem equidem vt nouas anteà ab omnibus examinandas proponere, quàm veteres refigere velitis, ne populum perindè legibus solutum, ac Presbyteros vestros faciatis. Facilius est euertere Ecclesiam aut Rempublicam, quàm erigere; destruere, quàm ædificare: nisi easdem leges rursùs recipiatis, audacter dico, nepotes vestros ad quartam vsque progeniem, nec pacem nec ordinem, in Ecclesijs vestris habituros. Iam verò Presbyteros in exe-

cutione legum eiusdem potestatis consortes Episcopo adscribere, via quidem est ad augendum Episoporum numerum, vt pro vno vicenos faciatis, non ad promouendam legum executionem. In multitudine opinionum varietas & discrepantia moras trahit, & adfert impedimenta, in vno non item: & si singuli ad partes procliues sint, quo plures certè, eò deteriores. Vt quid verò disputamus vtrum vni, an pluribus legum executio mandari debeat, cum in nobis situm non sit, quibus legum latores earum procurationem committere velint? Qui à Deo leges imponendi potestatem acceperunt, constituendi etiam earum executores authoritatem libertatemque obtinent. Itaque liberum ijs relinquamus, vt suo, non alieno arbitrio, legum suarum administrationem credant, modò intra pietatis æquitatisque terminos se contineant. *Nobis maxima cura est de diuini iuris executione, quam Episcopo seorsum à Presbyteris suis nullo modo mandari velimus.*] Primùm Episcopo ius & authoritatem diuino iure debitam concedite, deindè quoscunque debetis, ei socios adiungite. [*Quam nobis authoritatem dicis?*] Eandem quam anteà audiuistis: nempè pastoralem ac patriam potestatem, quam vel solus habere debet, si vnum tantùm in vna Ecclesia Pastorem esse liceat; vel præcipuè, si plures vbiuis, velut assessores & adiutores ipsius in gubernando grege possint consistere. Episcopis plus authoritatis iure diuino non vendicamus, quàm vt Pastores eorum locorum sint, quæ regunt & administrant. Et quandò quidem cuique Rectori Pastoralem in Ecclesia sua potestatem tribuitis, qua ratione eam cuilibet Episcopo intra Diœcesim suam negare potestis? *Nemini nos Pastoralem potestatem supra Presbyteria concedimus; ad Diœceses verò quod attinet, summa cum iniuria in aliorum limites institutas esse dicimus.*] Si iure diuino vni Ecclesiæ vnicum Pastorem præficiatis, par est omnia illius Ecclesiæ membra, nullo Presbyterorum ac populi discrimine, eidem vt Pastori suo subesse, ipsúmque Pastoralem in eos authoritatem habere. Ac proindè quod dicitis, Presbyteros ex diuinæ ordinationis necessitate Præsidem supra se habere oportere, Pastorem verò minimè, me-

rum

rum quidem effugium est, tum verbo, tum Ecclesiæ Dei maximè repugnans. Quo enim alio nomine vestrum præsidem Presbyterorum respectu Scripturæ appellant, quàm Pastoris? vel vnum ex omni Nouo Testamento nominis aut potestatis ipsius indicium proferte, & si parem Pastorali vim non referat, per me quidem ab omni protinùs subiectione Presbyteros vestros tanquàm immunes eximite. Potestas quam Timotheus accepit, imponendi falsis Doctoribus silentium, & conueniendi coercendiqúe Presbyteros delinquentes, annon Pastoralis erat? Atqui eadem cura, iubente Apostolo, ab eo & successoribus eius in aduentum Christi seruari debet. Quid? Pastores vestri quos Ecclesijs ruralibus imponere studetis, annon Pastoralem in laicos Presbyteros potestatem habebunt? Nunquid laici isti vestri oues sine Pastore erunt? Nemo animarum eorum curam sustinebit? Nemo pro ijs cuigilabit? Si in minoribus Ecclesijs æquum sit, vt Presbyteria vestra Pastorem velut rectorem habeant; cur in maioribus iniquum videatur, vt quempiam supra se Pastorem admittant? Annon omnia (vestras ipsorum regulas appello) eiusdem sunt institutionis? Num in Scripturis alius Presbyterijs rusticanis, alius vrbanis ordo ponitur? Haud facilè, opinor, huiusmodi distinctionem indè probetis. Quare cum Pastoralem Episcopis authoritatem tribuimus tam supra Presbyteros, quàm plebem ipsorum, ex diuini verbi præscripto agimus, quod eos summos in Ecclesijs suis Pastores constituit, & vtrisque pari ratione præfecit; nec in eo quicquam ijs arrogamus, quod vos vel infimis rusticarum Ecclesiarum Rectoribus non libenter concedatis. *Non repugnamus quo minùs in greges ipsorum hanc potestatem habeant, sed in Collegas & Consortes suos non habent.*] Cuique igitur greges eorum abducere non licet, imò nec recipere, quoad, quæ recta sunt, docent ac præcipiunt; nec Presbyteris vestris vllam adeò Pastoralem potestatem in cuiusuis Episcopi cura & regimine, eo non consentiente, vsurpare conceditur. Pastor enim gregis est; oues verò iure diuino Pastorem suum audire ac sequi tenentur. Ad reliquos autem Presbyteros quod attinet, si parem illis

potestatem

poteſtatem cum eo tribuitis, hoc eſt, ſi non adiutores ſed æquales ei facitis, diſtrahitis, mihi credite, gregem, & in tot partes Eccleſiam diuiditis, quot Paſtores vbicunque ſtatuitis. Vni gregi multos præeſſe Paſtores non licet, niſi gradu inuicem differentes; ſed diuerſi Paſtores æquali poteſtate præditi, greges habere debent diuerſos. Itaque in vna Eccleſia vnicum eſſe Paſtorem oportet, cui reliquos, etiam Presbyteros, rectè ducenti, ac meritò eos increpanti, ſubeſſe & parere neceſſe eſt; alioqui contra Deum veritatemque ipſius, nec homini, nec Angelo eſt obtemperandum. Verumtamen quo gubernationi eorum modum quendam ac rationem præſcriberent, vt Patriæ poteſtati ſimilis, cuiuſmodi ab initio ſemper in domo Dei fuerit, non Regiæ par eſſet, metu dominandi in hæreditatem Domini; Eccleſia Chriſti nihil Epiſcopo in quibuſdam maioris momenti negotijs abſque Synodo, aut Presbyterorum ſuorum conſenſu aggredi permiſit. Concilium quartum Carthaginenſe vetat Epiſcopum [m] *vllius cauſam audire abſque præſentia Clericorum ſuorum;* [n] *atque irritam facit donationem Epiſcoporum, vel venditionem, vel commutationem rei Eccleſiaſticæ abſque ſubſcriptione Clericorum.* Concilium Hiſpalenſe ita ait: [o] *Iuxta antiquorum Patrum decretum ſtatuimus, vt nullus noſtrûm ſine Concily examine quemlibet Preſbyterum & Diaconum deijcere audeat. Nam multi ſunt, qui indiſcuſſos poteſtate tyrannica, non authoritate canonica damnant.* Plura ſunt huiuſmodi in quibus Epiſcopo ſine Presbyterio ſuo, aut Synodo, minimè ſe interponere licebat; quorum alia legibus mutata ſunt, alia in præſentia obtinent. *Aduerſus tyrannicam hanc, quam dicitis, poteſtatem pro virili contendimus; ne Epiſcopis ſolis alios ſacra communione & officio mouere liceat.*] Si de Canonica Epiſcoporum authoritate conſtaret, de tyrannica facilè inter nos conueniret. Verùm ſub ſpecie vnius, alteram impugnatis; & dum remedio eſſe velitis, maiorem eius loco tyrannidem ſubijcitis. Negari non poteſt, quin Synodorum frequentia principio Presbyteriorum authoritatem neceſſitatemque minuerit. Nam cum cuiuſque Prouinciæ Epiſcopos ad audiendum moderandumque Eccleſiaſticas cauſas & querelas, iuxta Concilij Niceni

m Conc. Carthag. 4. can. 23
n Eodem 32.
o Conc. Hiſp. 2. can. 6.

Niceni & Chalcedonenſis decreta, binos ſingulis annis conuentus celebrare oporteret; Presbyteri in minore pretio ac vſu eſſe cœperunt; Synodis, veluti maioribus Iudicibus, earum rerum examinationem deciſionemque ſuſcipientibus, quæ anteà in Presbyterijs agitari ſolebant. Et cum augeſcente priuatarum litium & contentionum multitudine, Synodi aſſidua earum occupatione impeditæ tædio afficerentur, & plurimarum Eccleſiarnm Epiſcopi dijudicando componendóque controuerſias & inimicitias inter ſingulos ortas diutiùs diſtinerentur, onus adeò in immenſum creuit, vt prouocationem ab Epiſcopo ad Metropolitanum inſtituere coactæ eſſent, & ad eius ſolius curam referre, quas cauſas Synodali cognitione dignas iudicaret. Ita enim Concilium Sardicenſe: [p] *Si Epiſcopus aduerſus Presbyterum aut Diaconum ira commotus de Eccleſia eum exterminare voluerit, prouidendum eſt ne innocens damnetur, aut perdat communionem. Omnes dixerunt, Qui eiectus eſt, habeat poteſtatem confugiendi ad Metropolitanum Epiſcopum illius Prouinciæ, vt cauſa eius diligentiùs tractetur.* Magnum Concilium Africanum comperto, quàm moleſtum eſſet vniuerſis regionis illius Epiſcopis in vnum conuenire, & cauſarum omnium auditioni vacare, [q] *tres de ſingulis Prouincijs electos* cognoſcendis finiendiſque controuerſijs tunc temporis præfecit; & cum ob magnam locorum diſtantiam iter ſæpiùs ad Synodos facere non poſſent, [r] *plenum Concilium ſemel in anno habendum* decreuit; & in cauſis Presbyterorum, Diaconorum, aliorumque Clericorum, primùm vicinos Epiſcopos iudices conſtituit, deinde eiuſdem Prouinciæ Primatem ſiue Metropolitanum. [ſ] *Placuit, vt Presbyteri, Diaconi, vel cæteri inferiores Clerici, in cauſis quas habuerint, ſi de iudicijs Epiſcoporum ſuorum queſti fuerint, vicini Epiſcopi eos audiant. Quod ſi & ab ijs prouocandum putauerint, non prouocent niſi ad Africana Concilia, vel ad Primates Prouinciarum ſuarum.*

His Canonibus non ſancita, ſed ſublata Epiſcoporum dominatio eſt, ſi qui eam affectarent; & Epiſcopo præſcriptum, vt priuſquam aduerſus Presbyterum, aut Diaconum iudicium inſtitueret, aſſeſſores ſibi vicinos Epiſcopos adiungeret,

p Conc. Sard. can. 14.

q Conc. Afric. can. 129.

r Ibid. 3. can. 19.

ſ Ibid. can. 28.

ret, quos litigantes ipsi postularent; & si illi ex sententia vtriusque partis finem controuersiæ imponere requirent, ad Primatem suum eandem referret, & postremò ad Concilium, si ab eo prouocare vellent. Ad hunc modum in prima Ecclesia cognitionem causarum intra prouincias suas Episcopi disposuerunt, nec superbè quidem, nec Antichristiano, sicut vos creditis, fastu, sed meo iudicio sobriè & prudenter admodùm ab Episcopo ad Primatem referri voluerunt; vt ita minore cum molestia, æquitate verò etiam maiore eas ad maturitatem quandam suam perducere, veritatemque pleniùs inuestigare possent, quàm si statim ab initio in Concilium deductæ fuissent.

Et si tam moderati essetis, quàm estis pertinaces, facilè perspiceretis quàm molestum sit, & in nostra politia prorsus inutile, vt Episcopi omnes ad audiendum priuatas querelas & contentiones totos annos considerent. Quòd si vobis tantoperè arrideat, vtinam quidem eadem vobis necessitas aliquamdiù incumberet, vt sapere tandem perdisceretis; fallor ni æquiore animo in posterum iudicijs abstinere, tempusque vtiliùs traducere velitis, quàm in examinationibus, depositionibus, & exceptionibus testium recipiendis. Quanquam non video quo pacto in nostra republica, nisi mutatis legibus Ecclesiasticis, Synodis aut Presbyterijs liceat has partes in se suscipere. Quomodo enim Presbyteri vestri iudicabunt? secundùm arbitrium, an iuxta legem? Neminem adeò ineptum opinor, qui conscientijs vestris se suaque committere velit. Quæ enim tam superba potest Christianæ reipublicæ iniuria inferri, quàm si Presbyterorum vestrorum consulta vel placita legum vice obtrudantur? Num ex vestris arbitrijs salus ac vita cuiusque pendebit? Forsitan dicetis, Presbyteria vestra leges modò constitutas executura. Sed obsecro vos, boni viri, quot centenos annos satis esse putatis, vt in oppidulis & pagis rusticanis Presbyteria eas legere discant; deindè verò quot millenos, vt earum scientiam probè teneant? Quæ hæc dementia est, Presbyterijs vestris earum legum administrationem tribuere, quas nunquam possunt vel legere, vel intelligere? Primùm,

eos

eos ſcholis edocendos tradite; deindè, cum legendi eas ſcientiam nacti fuerint, ad Academias deducite; poſtremò vbi tantum ſtudio profecerint, vt ius ſecundùm eas dicere poſſint, poſtulationem pro ijs interponite, vt ciuilis Curiæ loco in qualibet parœcia ſubſtituantur. Alioqui ſi antè eos in cauſis omnium Iudices ſedere velitis, quàm leges, aut omninò literas Latinè ſcriptas legere poſſint, dementiam veſtram orbis terrarum demirabitur. *Quaſi verò Epiſcopi veſtri tantam iuris ſcientiam haberent.*] Eo magis Cancellarijs, alijſque iuris peritis, opus habent. Ad prouocationes verò quod attinet, niſi omnem authoritatem conculcare, & ex veſtro nutu & arbitrio omnia pendere velitis, licet nonnunquam fortaſſè nocentibus proſint, innocentibus tamen comparatæ, & vt iniuſtitiæ remedium illis inuentæ ſunt, qui ſibi iniuriam fieri ſentiunt: tantum abeſt vt Antichriſtianam Epiſcoporum ſuperbiam promoueant, vt ad reprimendam eam nihil æquè faciat, ac prouocando, inferiorum Curiarum ac Iudicum ſententias, ſub Regiæ authoritatis cenſuram reuocare, in quam nulla poteſt cadere tyrannidis ſuſpicio. Si corruptio quandoque per manus hominum irrepat, vt malis cauſis patrocinio eſſe poſſit, abſit vt eam, aut à legibus probari, aut à me defendi exiſtimetis. Quid enim inter homines tam ſanctum & ſyncerum fuit, quod aliquandò non expugnàrit auaritia? Etiam Presbyteria veſtra, perindè ac alia tribunalia, niſi ex Angelis, non ex hominibus conflata ſint, documento erunt, cuiuſmodi corruptelæ & affectiones animos hominum peruertere ſolent. *Humanas leges his, qui earum periti ſunt, relinquimus: Preſbyteria noſtra in illis tantùm verſari volumus, quæ diuini iuris executionem ſpectant, vt in vitia hominum ſeuerius animaduertant.*] Errantes [t] *admonere*, obſtinatos *reijcere*, & peccantes [u] *redarguere*, Paſtorum non Presbyterorum officio à beato Paulo tribuuntur. Ad ſolum etenim Paſtorem intra propriam Eccleſiam verbi ac Sacramentorum diſpenſatio pertinet. Itaque Presbyteris, ſine Paſtore ſuo, neminem illius curæ ſubiectum iudiciali more caſtigare, aut publicè excommunicare licet. Habent (ſi modò Clerici ſint) annunciandi verbum, ipſumque ad auditores generatim

[t] Tit. 3.

[u] 1. Tim. 5.

neratim accommodandi potestatem; habent etiam Sacramenta ministrandi, ac subtrahendi ijs quos peccatorum suorum minùs pœnitet; non tamen in ius vocare eos, aut à communione Ecclesiæ separare possunt. Pastorum hoc proprium est, non Presbyterorum. Hanc prouinciam beatus Paulus non Presbyterio Ephesiorum, sed Timotheo eiusque successoribus assignauit. Verba sunt apertissima.

x 1.Tim.5. x *Aduersus Seniorem accusationem ne recipito, nisi sub duobus aut tribus testibus. Eos qui peccant coram omnibus argnito, vt reliqui etiam timeant. Denuncio tibi coram Deo, & Domino nostro Iesu Christo, & Angelis eius electis, vt hæc serues absque præiudicio aut personarum acceptione*; hoc est, nec odio nec fauore in alterutram partem propensus. Si paria Scripturarum momenta pro Presbyterijs vestris potestis proferre, per me quidem plenis, quod aiunt, velis inuenta vestra inuehatis. *Tametsi Paulus primas in his actionibus Timotheo tribuerit, non tamen Monarcham Ephesi constituit, vt hæc remoto Presbyterio solus perageret, sed Presbyteros consortes sibi in omnibus asciscerat.*] Nedum eum tam vili munere fungi voluit, vt an Presbyteris ista placerent, ipse tantùm sciscitaretur. Mandatum hoc non Presbyteris, sed Timotheo nominatim iniungitur; eius ergo debet esse potestas, non illorum. Nihilominùs contra verba Apostoli, contraque veteris Ecclesiæ morem contenditis, Presbyteros Timotheum moderari ac etiam coercere potuisse, si dicto ijs audiens non esset; imò vel inuito eo, quod ipsis æquum videretur, facere; atque hæc, nullo argumento sed opinione tantùm vestra asseritis; verùm aut probandum vobis est qua authoritate hanc Presbyteris prærogatiuam in Episcopos & Pastores suos vendicetis; aut nobis saltem concedendum, vt vniuersæ potiùs Christi Ecclesiæ, eodem quo nos sensu verba Pauli accipienti, credamus, quàm vobis solam coniecturam & opinionem vestram sequentibus. Non tamen omnem clauium potestatem Presbyteris, ita prorsus abiudicamus, quin reis confitentibus præscribere possint, vt abstineant ad tempus à mensa Dominica; publicam verò earum administrationem, quæ in excludendo præfractos & obstinatos peccatores

tores ab omni fidelium communione, tam ſacra quàm ciuili verſatur, nullo modo illis permittimus; quia hanc Eccleſia Chriſti ſemper, ac ſolis conceſſit Epiſcopis.

y *Exeundo*, inquit Origenes, *à veritate, fide, & charitate, exit etiam de caſtris Eccleſiæ, etiamſi per* EPISCOPI VOCEM *minimè abijciatur*. Cyprianus ad Epiſcopum quendam à Diacono ſuo contumelia affectum ſcribens, ait: z *Fungaris circa eum poteſtate honoris tui, vt eum vel deponas vel abſtineas*. Ambroſius: a *Epiſcopi affectus boni eſt, vt optet ſanare infirmos; ſerpentia auferre vlcera, adurere aliqua, non abſcindere; poſtremò quod ſanari non poteſt, cum dolore* ABSCINDERE. b *Miror*, inquit Hieronymus aduerſus Vigilantium, EPISCOPVM, *in cuius parochia eſſe Presbyter dicitur, non virga Apoſtolica* CONFRINGERE *vas inutile, & (Satanæ) tradere in interitum carnis, vt ſpiritus ſaluus ſiat*. Omnium verò grauiſſimè Auguſtinus, c *Ipſa damnatio nominatur, quam facit Epiſcopale iudicium, qua pœna in Eccleſia nulla maior eſt*. d *Paſtoralis tamen neceſſitas habet, ne per plures ſerpant dira contagia, ſeparare ab ouibus ſanis morbidam*. Chryſoſtomus erroris cuiuſdam populum commonefaciens; e *Si contemnamur*, inquit, *neceſſe habemus de cætero minas deducere in actum, coercentes vos legibus Eccleſiaſticis. Qui volet, iraſcatur; eum longo tempore arcebimus ab Eccleſia tanquam idololatram. Ignoſcite, & nemo vincula contemnat Eccleſiaſtica: non enim homo eſt qui ligat; ſed Chriſtus, qui nobis hanc poteſtatem dedit, & dominos fecit homines tanti honoris. Optamus quidem primum vt neceſſe non habeamus; ſed ſi neceſſe fuerit, quod noſtrum eſt implebimus. Si quis autem ea perfregerit, ego quod meum eſt feci; cum eo erit tibi diſceptandum, qui me iuſſit ligare.*

y Orig. hom. 14. in Leuit. ca.24.

z Cypr. lib 3. ep.9

a Ambr. offic. 3.lib.2. ca.27.

b Hieron. aduerſ. Vigil. ad Ripar.

c Auguſt. de grad.& correp.c.15.

d Ibid.

e Chryſ hom. 4.in 2.cap. ad Heb.

Synodus Nicena bis annis ſingulis Epiſcoporum Concilium fieri mandauit, ad inueſtigandũ, f *Si qui laici aut Clerici* IMBECILLITATE, PERTINACIA, AVT INSOLENTIA EPISCOPI *excommunicati eſſent; & vt ij qui* EPISCOPORVM SVORVM OFFENSAM MERITO CONTRAXERANT, *à cæteris excommunicati haberentur, quouſque Synodus humaniorem circa eos ſententiam ferret*. Similiter in Concilio Antiocheno decretum eſt, g *Vt ſi quis laicus, Presbyter, aut Diaconus à proprio Epiſcopo excommunicatus eſſet,*

f Conc. Nicen. can.5.

g Conc. Antioch. can.6.

non priùs ab aliys ſuſcipi deberet, quam aut à ſuo eſſet receptus Epiſcopo, aut Concilio facto reſtitueretur. Concilium Sardicenſe idem ſtatuit: [h] *Si quis Diaconus, Preſbyter, aut Clericus ab Epiſcopo ſuo fuerit communione priuatus, & ad alterũ perrexerit Epiſcopum, & ſcierit ille ad quem fugerit, eum ab Epiſcopo ſuo fuiſſe abiectum, non oportet eum communionem ei indulgere.* De Exuperantio Presbytero (qui Triferium Epiſcopum ſuum contumelia affecerat, & ob eam cauſam communione ab eo priuatus fuerat) Concilium Taurinatenſe decreuit; [i] *Vt in eius arbitrio ſit reſtitutio ipſius, in cuius poteſtate eius fuit abiectio, hoc eſt, vt quando vel idem Exuperantius ſatisfecerit, vel Epiſcopo Triferio viſum fuerit, tunc gratiam communionis accipiat.* A Concilio Africano his prouiſum eſt, [k] *Qui conquerantur de Iudicijs ſuorum Epiſcoporum, vt à vicinis Epiſcopis audiantur. Quod ſi in his cauſis appellatione vti voluerint, non appellarent niſi ad Primates ſuarum Prouinciarum. Quod ſi quis* [l] CANONICAM PROPRII SVI EPISCOPI SENTENTIAM DEFVGERIT, *decernunt eum in communionem à nemine recipiendum Epiſcopo vel Preſbytero, qui nollet eidem accuſationi, (vel crimini) obnoxius eſſe.* Hinc apparat verum eſſe quod Gregorius ait; [m] *(Apoſtolorum) nunc in Eccleſia locum* EPISCOPI *tenent. Ligandi atque ſoluendi* AVTHORITATEM SVSCIPIVNT, *qui hunc gradum regiminis ſortiuntur.* Et Theophilactus, [n] *Habent poteſtatem remittendi & ligandi, qui ſicut Petrus, Episcopatus gratiam aſſecuti ſunt.* Publica igitur clauium diſpenſatio, quæ ab omni fidelium ſocietate remouebat, penes Episcopum erat tanquam loci Paſtorem. Presbyteri ei aſſederunt, primò quidem velut adiuuantes, & conſentientes, donec Synodi huiuſmodi cauſas ſibi aſciuerunt; poſteà, vbi in Concilijs hæc audiri atq; agitari cœperunt, Preſbyteri vnà cum Episcopo ſederunt, vt ſpectatores tantùm & laudatores conſilij ipſius, quo res, vtpotè publicè, cum maiori grauitate integritateque terminaretur; retractari tamen aut reſcindi, quod ab eo decretum fuerat, ſolùm ab Epiſcoporum eiuſdem prouinciæ Concilio poterat. *Si ſolis Epiſcopis excommunicare liceat, quo pacto apud vos iuris Ciuilis Iudices, ne in ſacris quidem ordinibus conſtituti, hanc poteſtatem ſibi*

h Con. Sardic. ca. 13.

i Conc. Taur. can. 4.

k Conc. Afric. can. 28.

l Ibid. ca. 9.

m Greg. hom 26.

n Theoph. in Mat cap. 16.

ſibi vſurpare auſint?] Nequaquã ſibi clauiũ poteſtatẽ Apoſtolis eorũq; ſucceſſoribus peculiari iure traditã, aſſumunt; ſed pœnã ob contumaciã infligunt, qua omnes illę animaduerſiones continentur, quæ legibus in eos ſancitæ ſunt, qui claues Eccleſiæ temerè contẽnunt, quocunq; nomine appelletur; ſiue ſuſpenſio ſit, ſiue condẽnatio, aut excõmunicatio, nihil refert, dũmodò ne poteſtatẽ hanc diuino, ſed humano ſibi iure vendicent. Quanquã, ſi ſententia Canonis nullum non eiuſmodi contemptũ excõmunicationis vinculo inuoluat, nihil cauſæ eſt, quin Iudices ciuiles delinquentẽ in pœnam canonis incidiſſe declarẽt. Nihil enim aliud eſt, quã ſi eum prę fractè obſtinatum; adeoq; excõmunicationis reum decreto Canonis eſſe pronũciarent. Ex omnibus verò minimè vos tam ſeueros decet eſſe Iudices, qui laicis Presbyteris ius authoritatẽq; ſuffragiorum multitudine in Paſtorẽ tribuitis, & excõmunicationẽ totius Eccleſię iudiciũ eſſe, tam populo quàm presbyteris eo nomine comprehenſis, aſſeritis. Ad nos quod attinet, etſi clauium poteſtatẽ omnibus paſtoralẽ animarum curã habentibus cõmunem eſſe ſuo quodam gradu exiſtimemus; ad euitandas tamen infinitas excõmunicationum procellas quæ in omnes Eccleſias Paręciaſq; alioqui irruerent ac redundarent, & intolerandas inde lites atque pugnas neceſſariò conſecuturas, ſi cuiuis Presbytero pro arbitrio ſuo excommunicare liceret; Eccleſiæ Dei prudentiam in eo maximè laudamus, quòd nemini inferioris alicuius loci excõmunicandi facultatem, niſi de conſenſu & authoritate Epiſcopi tribuerit: quam quidem regulam à nobis etiam ſeruari arbitror. Quod ſi pro quolibet vno nunc excõmunicandi poteſtate prædito, ducentos plùs minùs haberemus, non tam crebrò ſæua tempeſtate commota erumpunt fulmina, quam excõmunicationis ſententię per omnes Diœceſes volitarent. *Ad augendã quidem Epiſcoporũ authoritatẽ Paſtores eos Eccleſiis præficitis; vbi autem ad curã Paſtorũ exercendã ventum eſt, illi nihil minùs meditãtur. Sed dato eos Paſtores eſſe, illis ſolùm Eccleſiis præeſſe poſſunt, quæ in ciuitatibus habentur, integris Diœceſibus non poſſunt; quandoquidem tot locis ad Paſtoralia munia exequenda præſtò eſſe nequeant.*] Si Diœceſes à nobis primùm inuentæ, aut Epiſcopis poſteà diſtributæ fuiſſent, meritò nobis adſcribi poſ-

set, quòd earum terminos latiùs extendissemus, quàm Pastoris cura pateretur; vobis autem reipsa certamen est non aduersus longitudinem aut latitudinem Diœcesium (quam ad communem Reipublicæ prudentiam & deliberationem referri par est;) sed ne omninò Diœceses habeant Episcopi, aut Ecclesijs præsint, præterquam ijs in quibus docent & Sacramenta ministrant. Quæ quidem percurioſa opinatio vestra non solùm veterem Christi Ecclesiam vniuersam coarguit, quòd Diœceses Episcopis assignarit, sed disciplinæ illius fundamentis & exẽplis repugnat, quam Apostoli posteris tradiderunt. *Res in omni memoria omninò inaudita, vt Apostoli Diœceses Episcopis diuiderent.*] Nequaquam verò res adeò noua atque inusitata est, vt vestra ipsorum præcepta eidem non inseruiant & opitulentur. Etenim quis ordo gubernandæ Ecclesiæ vobis videtur ab Apostolis relictus? Num vnius vbique Pastoris aut Presbyteri fidei commiserunt, vt quod sibi videretur solus efficeret? an verò, consiliarios, atque adiutores in maioribus Ecclesiæ negotijs ei adiunxerunt? Vnius dominationem, Pastoris an Presbyteri sit, in qualibet Ecclesia pro arbitrio regentis, Antichristianam & Diabolicam esse dicitis; & meo iudicio verissimè quidem, si nec pares ad moderandum eum, nec superiores ad refrænandum ferre voluerit. Quid enim hoc aliud esset, quàm Papam cum plenitudine potestatis in qualibet parœcia constituere, qui quiduis pro arbitrio suo gerat & administret? Quod in Episcopis iniquum vobis videtur, idem (spero) in Presbytero, aut rusticanæ cuiusuis Ecclesiæ Pastore multo minùs ferendum putabitis, vt gregem ipsius suo nutu solus regat & gubernet. *Vobis certò scire licet ab eo nos, tanquã ab omnis pietatis peste, & Antichristianæ superbiæ radice, abhorrere.*] Abesse non potest, quin Pastor quilibet rusticanus, aut vnà secum Presbyterium, aut alterius Ecclesiæ Episcopum Præpositum sibi habere debeat, qui perindè ei ac propriæ ciuitatis Presbyteris, moderetur. Nam si domi auxilium non habuerit, foràs ei quærendum erit. Alterutrum certè horum necesse est. Et ad Presbyteria quod attinet, fierì non potest, vt aut tot digni in singulis Ecclesijs inue-

inueniantur Clerici, aut res ad victum cultumque ijs necessariæ in qualibet ruri parœcia suppeditent. Pastores tot locis apti & idonei, si vel vno in singulis parœcijs contenti erimus, nunquam hactenùs haberi potuerunt. Vndè igitur tot millia Presbyterorum arcessebimus, vt in quaque parœcia tres aut quatuor tantùm existant? qui tamen admodùm pauci videntur, si onus coram Deo & hominibus impositum illis animo perpendamus.

Rursus si copia Pastorum affluueremus, qua nec nos, nec vlla vnquam ætas abundauit; vndè res ad vitam necessarias ipsis & familijs eorum subministrabimus? A populo? Quota verò pars Regni Anglicani, si ad eum vsum conuerteretur, huic oneri sufficeret? Nunc decumam populus Deo ac Pastori suo persoluit; quæ quidem portio tenuis adeò & exigua est, vt in minoribus parœcijs ægrè ad victum ei sufficiat: tum verò quinto plus populum conferre oportebit, in quo dimidium omnium fructuum est, priùs quàm specimen aliquod Presbyterij in qualibet Parœcia comparari & sustentari possit. Minimè quidem vos percontor, quàm libenter populus, qui multis in locis nouem iam partibus sibi retentis non procul abest à mendicitate, solo vestrarum opinionum studio de tanta bonorum suorum parte decedere voluerit; aut qua Christiana patientia Princeps ferre potuerit, vt subditi sui eo modo exhauriantur, & dimidium regni ipsius ad fouenda hæc vestra insomnia insumatur. Hæc & centum huiusmodi impedimenta transilitis, dum ad disciplinæ vestræ perfectionem velis equisque, quod aiunt, contenditis. Illud tamen à vobis quæro; num Apostoli, præter pauperum curam, quam diuino præcepto inniti certum est, onus hoc cuilibet parœciæ Dei iussu imposuerunt? aut num vlla omninò Christiana respublica, vt vsque à Christi ascensione harum rerum memoriam repetamus, tam graui iugo collum submisit? Id si vno exemplo probaueritis, cætera iure à nobis vendicabitis: sin nihil eiusmodi proferatur, annon planè animaduertitis plus ponderis inesse digitulis vestris, quàm olim fuerit in Apostolorum lumbis? plusq; molestiæ fidelibus disciplinam vestram, quàm doctrinam afferre? Be-

nè verò est, quòd longo satis tempore vociferari potestis, priusquàm aut Princeps, aut populus, aut diuites, aut pauperes sumptuosam hanc gubernandi rationem, nec necessariam, nec vtilem, æquis animis pati voluerit.

Vt has difficultates euitetis quæ disciplinæ vestræ corpus detrahunt ac dilacerant, (tot enim Pastores cuilibet parœcię comparare difficile est, sustentare verò difficilius) coacti estis Apostolicorum Presbyteriorum conditionem mutare, & pro Ministris verbi ac Sacramentorum, quos Euangelium annunciantes ex Euangelio viuere æquum est, laicorum Seniorum conciliabulum reponere, quod & vbique locorum inueniri posse, & minoribus impensis ali quàm priora illa iudicastis. Quid? quòd potestatem ijs tribuitis *manus imponendi, peccata in cœlo & in terra ligandi & soluendi, doctrinam moresq; aliorum, etiam Pastorum, per deprivationem, excommunicationem, aut quocunque modo coarguendi*; & ne quid ijs desideretur, *Doctores, Speculatores, Pastores, & Episcopos* in Ecclesia Dei constituitis, contra totius Ecclesiæ consensum, contra omnium antiquorum Patrum & Conciliorum authoritatem, nec contra sacras solùm Scripturas, sed vestras etiam ipsorum assertiones. Interea vos aut omnia permiscere necesse est, & Pastoris ac populi discrimen tollere, quod iam diu strenuè tentastis; aut laici Seniores ab his actionibus, quæ Pastorum propriæ sunt prorsùs excludere, adeoque Presbyterijs carere eo portet, præterquàm certis in locis, in quibus non modò viri probitate & doctrina præstantes haberi, sed debito laborum suorum præmio & honore affici possunt. Ita fit, vt in ruralibus parœcijs, quæ nullo modo aut hominibus, aut rebus ad illiusmodi Presbyterium ex Dei verbo necessarijs abundant, Pastores à nemine cohiberi, nemini subesse, sed Papæ, si non Satanæ *similes, ac plusquam tyrannicè dominari debeant*; aut si id minùs, cum finitima aliqua Ciuitate vniri & coniungi, & ab Episcopo ac Presbyterio eius loci perindè ac ipsius Ciuitatis Ecclesias gubernari, adeoque ad ipsius curam, regimen, ac Diœcesim spectare oportet.

Iam quanto tempore Diœceses in Ecclesia Dei obtinuerint

rint, quámque communiter approbatæ & receptæ fuerint, concordi omnis antiquitatis consensione facilè monstrabitur. Concilium Antiochenum renouauit [o] τὸν ἀρχαῖον κρατήσαντα τῶν πατέρων κανόνα *antiquum Canonem à Patribus institutum*, vt ne quis Episcoporum aliquid ampiùs ageret ἢ τὰυτα μονα· ὅσα τῇ ἑκάστου ἐπιβάλλει παροικία καὶ ταις ὑπ' αὐτὴν χώραις: *nisi ea solùm quæ ad ipsius parœciam, & pagos ei subiectos pertinebant.* Quilibet Episcopus potestatem habeat, τῆς ἑαυτῆς παροικίας καὶ προνοίαν ποιεῖσθαι πάσης τῆς ὑπὸ τὴν ἑαυτῆς πολιν, *propriæ (Ecclesiæ vel) parœciæ, & procurationem omnis regionis quæ sub ipsius Ciuitate est, ita vt Presbyteros & Diaconos ei ordinare, & singula cum iudicio moderari (& regere) liceat.* Magnum Concilium Constantinopoli habitum, sanxit, [p] τοὺς ὑπερ διοικησιν ἐπισκοπους τοὺς ὑπερορίοις ἐκκλησίαις μὴ ἐπιέναι: *vt Episcopi extra Diœcesim ad Ecclesias quæ sunt citra terminos eorum non accedant, nec nisi inuitati vltra Diœcesim suam egrediantur, siue ad ordinandum, siue ad disponendum de quibuscunque negotijs Ecclesiasticis,* φυλαττομένου τοῦ προγεγραμμένου περὶ τῶν διοικήσεων, κανόνος, *seruata regula quæ de Diœcesibus iam antè scripta est.* Concilium Oecumenicum Ephesinum, audito Antiochiæ Episcopum quosdam in Cypro, vltra Diœceseis ac Prouinciæ suæ fines, ordinasse, hoc illius inceptum repressit, vtpote [q] πρᾶγμα παρὰ τοὺς ἐκκλησιαστικοὺς θεσμοὺς καὶ τοὺς κανόνας τῶν ἁγίων Ἀποστολων καινοτομούμενον, *vt rerum nouarum molitionem præter leges Ecclesiasticas, & sanctorum Apostolorum Canones; atque etiam decreuit,* [r] *vt Episcopi qui sanctis Cyprianorum Ecclesijs præerant, ius suum intactum & inuiolatum haberent, secundùm Canones sanctorum Patrum, & veterem consuetudinem;* præcipiens insuper, *vt in alijs Diœcesibus, ac omnibus vbique prouincijs idem seruaretur, vt nullus Deo dilectorum Episcoporum alienam occupet (aut inuadat) prouinciam, quæ non antiquitùs, atque ab initio sub illius seu antecessorum suorum potestate fuerit.* Magnum Concilium Chalcedonense iussit [s] τας καθ' ἑκάστην ἐκκλησίαν ἀγροικικας παροικιας ἀπείχωρίας μένειν ἀσφαλεύλους παρὰ τοις καθέχουσιν αὐτας ἐπισκοπάις: *rusticanas parœcias & intra terminos (cuiusque Ciuitatis) constitutas, singulis Ecclesijs immotas apud eos manere Episcopos, qui eas ri-*

o Concil. Anti. ca 9.

p Concil. Constan. c. 2.

q Concil Ephes. dec. post aduent. Epis. Cypr.

r Concil. Ephes decret. post. aduent. Epis. Cypri.

s Concil. Calced cap. 17.

nè verò est, quòd longo satis tempore vociferari potestis, priusquàm aut Princeps, aut populus, aut diuites, aut pauperes sumptuosam hanc gubernandi rationem, nec necessariam, nec vtilem, æquis animis pati voluerit.

Vt has difficultates euitetis quæ disciplinæ vestræ corpus detrahunt ac dilacerant, (tot enim Pastores cuilibet parœciq comparare difficile est, sustentare verò difficilius) coacti estis Apostolicorum Presbyteriorum conditionem mutare, & pro Ministris verbi ac Sacramentorum, quos Euangelium annunciantes ex Euangelio viuere æquum est, laicorum Seniorum conciliabulum reponere, quod & vbique locorum inueniri posse, & minoribus impensis ali quàm priora illa iudicastis. Quid? quòd potestatem ijs tribuitis *manus imponendi, peccata in cœlo & in terra ligandi & soluendi, doctrinam moresq; aliorum, etiam Pastorum, per depriuationem, excommunicationem, aut quocunque modo coarguendi*; & ne quid ijs desideretur, *Doctores, Speculatores, Pastores, & Episcopos* in Ecclesia Dei constituitis, contra totius Ecclesiæ consensum, contra omnium antiquorum Patrum & Conciliorum authoritatem, nec contra sacras solùm Scripturas, sed vestras etiam ipsorum assertiones. Intercà vos aut omnia permiscere necesse est, & Pastoris ac populi discrimen tollere, quod iam diu strenuè tentastis; aut laici Seniores ab his actionibus, quæ Pastorum propriæ sunt prorsùs excludere, adeoque Presbyterijs carere eo portet, præterquàm certis in locis, in quibus non modò viri probitate & doctrina præstantes haberi, sed debito laborum suorum præmio & honore affici possunt. Ita fit, vt in ruralibus parœcijs, quæ nullo modo aut hominibus, aut rebus ad illiusmodi Presbyterium ex Dei verbo necessarijs abundant, Pastores à nemine cohiberi, nemini subesse, sed Papæ, si non Satanæ similes, ac plusquam tyrannicè dominari debeant; aut si id minùs, cum finitima aliqua Ciuitate vniri & coniungi, & ab Episcopo ac Presbyterio eius loci perindè ac ipsius Ciuitatis Ecclesias gubernari, adeoque ad ipsius curam, regimen, ac Diœcesim spectare oportet.

Iam quanto tempore Diœceses in Ecclesia Dei obtinuerint

rint, quámque communiter approbatæ & receptæ fuerint, concordi omnis antiquitatis consensione facile monstrabitur. Concilium Antiochenum renouauit [o] τὸν ἀρχαῖον κρατήσαντα τῶν πατέρων κανόνα *antiquum Canonem a Patribus institutum*, vt ne quis Episcoporum aliquid ampiùs ageret ἢ ταῦτα μόνα, ὅσα τῇ ἰδίᾳ ἐπιβάλλει παροικίᾳ καὶ ταῖς ὑπ' αὐτὴν χώραις: *nisi ea solùm quæ ad ipsius parœciam, & pagos ei subiectos pertinebant.* Quilibet Episcopus potestatem habeat, τῆς ἑαυτοῦ παροικίας, καὶ προνοίαν ποιεῖσθαι τάσης τῆς χώρας, τῆς ὑπὸ τὴν ἑαυτοῦ πόλιν, *propriæ (Ecclesiæ vel) parœciæ, & procurationem omnis regionis quæ sub ipsius Ciuitate est, ita vt Presbyteros & Diaconos ei ordinare, & singula cum iudicio moderari (& regere) liceat.* Magnum Concilium Constantinopoli habitum, sanxit, [p] τοὺς ὑπὲρ διοίκησιν ἐπισκόπους τοῖς ὑπερορίοις ἐκκλησίαις μὴ ἐπιέναι: *vt Episcopi extra Diœcesim ad Ecclesias quæ sunt citra terminos eorum non accedant, nec nisi inuitati vltra Diœcesim suam egrediantur, siue ad ordinandum, siue ad disponendum de quibuscunque negotijs Ecclesiasticis,* φυλαττομένου τοῦ προγεγραμμένου περὶ τῶν διοικήσεων, κανόνος, *seruata regula quæ de Diœcesibus iam ante scripta est.* Cóncilium Oecumenicum Ephesinum, audito Antiochiæ Episcopum quosdam in Cypro, vltra Diœcesis ac Prouinciæ suæ fines, ordinasse, hoc illius inceptum repressit, vtpote [q] πρᾶγμα παρὰ τοὺς ἐκκλησιαστικοὺς θεσμοὺς καὶ τοὺς κανόνας τῶν ἁγίων Ἀποστόλων καινοτομούμενον, *vt rerum nouarum molitionem præter leges Ecclesiasticas, & sanctorum Apostolorum Canones; atque etiam decreuit,* [r] *vt Episcopi qui sanctis Cyprio-rum Ecclesijs præerant, ius suum intactum & inuiolatum haberent, secundùm Canones sanctorum Patrum, & veterem consuetudinem;* præcipiens insuper, *vt in alijs Diœcesibus, ac omnibus vbique prouincijs idem seruaretur, vt nullus Deo dilectorum Episcoporum alienam occupet (aut inuadat) prouinciam, quæ non antiquitùs, atque ab initio sub illius seu antecessorum suorum potestate fuerit.* Magnum Concilium Chalcedonense iussit [s] τὰς καθ' ἑκάστην ἐκκλησίαν ἀγροικικὰς παροικίας ἀμετακινήτους μένειν ἁπλῶς καὶ ἀδιασαλεύτους παρὰ τοῖς καλέχουσιν αὐτὰς ἐπισκόποις: *rusticanas parœcias & intra terminos (cuiusque Ciuitatis) constitutas, singulis Ecclesijs immotas apud eos manere Episcopos, qui eas ri-*

o Concil. Anti. ca 9.

p Concil. Constan. c. 2.

q Concil Ephes. dec post aduent. Epis. Cypr.

r Concil. Ephes decret. post. aduent. Epis. Cypri.

s Concil. Calced cap. 17.

tinuerunt; maximè si sine violentia per 30. annos eas possederunt. De proferendis Diœcesium finibus, cum hæretici vel schismatici redirent ad Ecclesiam; ac diuidendis ijs cum consensu prioris Episcopi, si earum termini latiùs paterent; aut etiam coniungendis vbi populo placebat, qui plura scire velit, legat Canones 57. 102. 103. 119. 120. 121. 122. magni Concilij Africani. Ex quibus omnibus liquidò constat, cuiusque Ciuitatis Episcopum, præter primariam ipsius Ecclesiam, parœcias & Ecclesias finitimas, omnemque regionem circumiectam Diœcesi & iurisdictioni suæ annexas habuisse. Hæ autem partitiones ab initio & ab Apostolis ortæ, vt Concilium Ephesinum notat, quatuor Oecumenicis Concilijs confirmatæ & sancitæ, & ab omnibus Episcopis & Ecclesiæ primitiuæ Patribus receptæ, ac multis seculorũ ætatibus comprobatæ fuerunt. In maximo igitur errore versantur, qui Ecclesias Cathedrales, & Diœceses Episcoporum, in magnificentiæ & superbiæ Antichristianæ parte numerant & illius genio vel ingenio referunt acceptas. Diuini enim Spiritus sapientia rationem hanc à prima Ecclesiæ Christianæ propagatione inuexit & firmauit, cui Concilia generalia & prouincialia hucúsque calculum adiecerunt.

Nullum ferè Concilium est, quod non cuique Episcopo suam Diœcesim attribuit & confirmat, prohibitis alijs omnibus, quo minùs in causas aut personas quascunque se interponerent, quæ ad alterius iurisdictionem pertinerent, Concilium Ancyranum [t] *Chorepiscopos, (id est Episcopos alicuius villæ) non sinit ordinare* sine authoritate Episcopi Ciuitatis. Neocæsariensi Synodo cautum est, ne [u] πρεσβύτεροι ἐπιχώριοι, *Presbyteri corregionales (vel eiusdem regionis)* cœnam Domini administrarent *præsente Episcopo Ciuitatis.* Concilium Gangrense anathema illis dicit, qui priuatim populum congregarent, [x] *sine Presbytero ex decreto Episcopi authoritatem habente.* Concilium Laodicenum vetat, [y] *in villis & vicis Episcopos ordinari.* Concilium Antiochenum hanc Episcoporum infra Diœceses suas prærogatiuam [z] *antiquum Canonem à Patribus ipsorum sancitum* appellat; vt ante eos Concilium Nicenum, [a] *sub antiqui moris nomine* laudauit.

t Concil. Ancyr can 13.
u Concil. Neocæsari. can. 13.
x Concil. Gangren. can. 6.
y Concil. Laodic. can. 56.
z Concil. Antioch. can. 9.
a Concil. Nicæ. can. 6.

Ephesinum

Ephesinum verò, [b] *Apostolicæ regulæ* etiam ascribit. Concilium Carthaginense *Constantino authore* celebratum prohibet [c] *Ne quis alienos fines vsurpet, aut alterius plebes sine eius petitu, quia inde cæteramala omnia generantur* Sardicensis Cõcilii Canones Latini sic habent. [d] *Illud prohibeat sanctitas vestra, vt nulli Episcopo liceat, alterius Episcopi Ciuitatis ministrum solicitare, & in sua Diœcesi (vel suis parochijs) ordinare.* Græci verò sic: [e] *Hoc etiam omnes decernimus, vt si quis Episcopus alterius parœchiæ ministrum alienum sine consensu proprij Episcopi, in aliquo (Cleri) gradu constituere voluerit, irrita & inualida huiusmodi ordinatio reputetur.* Tertium Concilium Carthaginense statuit, [f] *ne quis Episcoporum plebes alienas vsurparet, aut Collegam suum in Diœcesi supergrederetur.* Concilium quartum Carthaginense edicit, [g] *ne Presbyteri qui per Diœceses Ecclesias regunt, à quibuslibet Episcopis, sed à suis Chrisma petant.* Concilium Aurelianense ait; [h] *Omnes basilicæ quæ per diuersa loca constructæ sunt, vel quotidiè construuntur, placuit secundùm priorum Canonum regulam, vt in eius Episcopi, in cuius territorio positæ sunt, potestate consistant.*

b Concil. Ephes. post aduent. Epis. Cyprior.
c Concil. Cartha. 1. can. 10.
d Concil. Sardic. can. 18
e Eiusdem Concil. græc. can. 15.
f Concil. Car. 3 can. 20
g Concil. Car. 4. can. 36.
h Concil. Aurel. can. 19.

Iam vt vsus Diœcesium antiquissimus fuit; ita ratio, ob quam primùm institutæ sunt, etiam secundùm Apostolicæ disciplinæ exẽplar, summè erat necessaria. Vnde enim viculi ac pagi rustici, cum primò fidem amplecti cœperunt, idoneis Pastoribus instrui, aut à quibus Ecclesiæ eorum gubernari poterant, nisi ab Episcopo & Presbyterio finitimæ alicuius Ciuitatis? Ad laicorum Presbyteria quod attinet; Ecclesiæ, ante nostram ætatem, nec audita quidem fuerunt; imò verò Scripturæ à Pastoralibus officijs laicos prorsùs remouent; alia autem Persbyteria nec haberi, nec ali in his locis poterant. Quid ergò reliquum erat, nisi vt Episcopo vicinæ alicuius Ciuitatis se submitterent, & velut in vnum corpus coalescerent, per quem Ecclesiæ eorum gubernari, & Pastoribus orbatę suppleri, perindè ac Ciuitatis ipsius Ecclesiæ, deberent? Si ad euitanda schismata Doctorum & Pastorum multitudine passim nascentia, Apostolorum temporibus in omnibus Ciuitatibus Euangelium profitentibus, Episcopi per orbem constituti sint, vt Presbyteros, qui multi

erant, dirigerent, & gubernarent, num existimabimus rationem hanc ciuitatibus solùm necessariam fuisse, oppidulis verò ac pagis inutilem? Annon æquè timendum erat à totius Comitatus Presbyteris, ne omnia discordijs & hæresibus implerent, atque ab vnius ciuitatis? Planè ab omni sensu estis alieni, si dissidia & errores non perindè in pagos atque in vrbes irrepere potuisse; aut Apostolos vnum regendi modum ciuitatibus, alium verò rusticanis Ecclesijs posuisse putetis. Si omnes Ecclesiæ vnius ciuitatis, quæ Romæ Optati tempore, [i] *plus quàm quadraginta* erant, vnius Episcopi tutelæ subessent; quid ni vici ac pagi circumiecti eodem modo gubernari possint?

i Opt. lib 2. contra Parm. fol. 6.

De Diœcesibus igitur, tam necessitas, quàm antiquitas earum, meridiana luce clariùs apparet. Fieri enim non poterat, vt in prima Ecclesia Presbyteros aliundè haberent, qui in parœcijs rusticanis decedentium loco succederent, præterquam ab Episcopo infra cuius Diœcesim Ecclesiæ collocatæ erant. Ille ex Ecclesia & Presbyterio suo, quod totius Diœcesis seminarium erat, difficultatibus eorum subueniebat. Alioqui nulli Episcopo intra ditionem illius Presbyterum ordinare; nec Clerico absque venia ipsius ab Ecclesia sua recedere licebat. In Concilio Antiocheno præscriptum est; [k] *Episcopum non debere in alienam irruere prouinciam quæ illi probatur non esse subiecta, neque in regionem, quæ minimè ad eius curam noscitur pertinere, ad ordinandum; neque Presbyteros aut Diaconos constituere ad alios Episcopos pertinentes, nisi fortè cum voluntate eiusdem regionis Episcopi.* Concilium Nicenum ait; [l] *Si qui timorem Dei ante oculos non habentes, neque Canonem Ecclesiasticum noscentes, recesserint ab Ecclesia sua, siue Presbyter, siue Diaconus, vel in quocunque Ecclesiastico ordine positi fuerint, non debent suscipi in aliqua alia Ecclesia, sed omnino necessitas illis imponenda est, vt redeant ad Ecclesiam suam. Quod si quis ausus fuerit aliquem, qui ad alterum pertinet, ordinare in sua Ecclesia, cum non habeat consensum Episcopi ipsius, à quo recesserit Clericus, irrita erit huiusmodi ordinatio.* Hæc consuetudo ac disciplina Ecclesiæ Christi per omnes orbis partes perpetuò obtinuit, vti non ignauo Lectori has notas

k Conc. Antioch. can. 22.

l Conc. Nicæ can. 16.

ac

ac veluti indices sequenti facilè apparebit: Concil. Constantinopol.1. ca.2. & 3. Chalcedon. ca.8. Carthag.1. ca.5. Secundi,ca.11. Tertij,ca.20.& 21. Quarti, ca.27. Aretalensis 1.ca.22. Sardic.ca.18.19. Taurinatens. ca. 6. Arausica 1. ca.8. Venetici ca.10.Turonici,ca.9,11.similiter Concil.Meleuitan. ca.15. African. ca.21. Aurelianens.3.ca.15. Epaunensis ca.5. Valentin. ca.6 & Aruernensis ca.9.& 10.

Si in omnibus Ecclesijs ab initio istæ regulæ seruatæ fuerint; vt nullus Presbyter de vna Ecclesia ad aliam transiret, aut ab illa, in qua fuit ordinatus, sine Episcopi sui permissione recederet; nec quisquam ei manus imponeret, aut cuiusuis Ecclesiæ curam ac regimen ei concederet, non consentiente Episcopo, in cuius Diœcesi Ecclesia sita, & cuius Cleri ipse pars erat; nullo modo rusticanæ quæcunque paræciæ Presbyteros, nisi de Ciuitate aliqua depromptos, idque cum consensu Episcopi habere potuerunt. Quæ res omnes viculos ac pagos rusticanos impulit, vt Ciuitatis alicuius Ecclesiæ totos se traderent & committerent, per cuius Episcopum Presbyteri eorum viuentes dirigi ac gubernari, & Ecclesiæ Presbyteris vacuæ repleri possent. Quorum factorum tam in promptu est ratio,quàm factum ipsum. Si enim Episcopi Apostolorum manibus constituti fuerunt, vt Presbyteros ordinarent, & in officio suo continerent, ne in tanta multitudine ex æmulatione confusio nasceretur, idque quin ab Apostolis profectum sit,nemo Patrûm aliquandò dubitauit; sequitur eos omnes planè persuasos fuisse eandem *gubernandi rationem oppidulis* viciſque rusticanis, quam Ciuitatibus Apostolos præscripsisse; & si omnia rectè perpendamus, qui in illis se benè gesserunt, maximè erant idonei, quibus cæterorum cura committeretur.

Si opponatur Episcopos Ciuitatum nullibi Pastoralem curam exercere potuisse, præterquam in ijs locis vbi præsentes fuerunt; respondeo, mihi non videri Concilia, & Patres primæ Ecclesiæ adeò rudes & imperitos ad vnum omnes fuisse, vt minimè intellexerint, quid muneris & officij Ecclesijs longè remotis Episcopus præstare posset, licet ad verbi prædicationem & Sacramentorum ministrationem

in

in ijs locis præstò non esset. Prouidere, vt aptum & commodum semper Pastorem haberent, qui pro animabus eorum vigilaret; curare vt rectè ac piè docerentur, & ducerentur; à diffidijs, erroribus, & apertis hæresibus tam Presbyteros quàm plebem continere; consilium in rebus dubijs, auxilium in aduersis præbere, & sine totius Prouinciæ negotio & molestia finem priuatis controuersijs & contentionibus imponere, egregiæ Pastoralis vigilantiæ partes, & vtiles in primis Episcopalis regiminis effectus sunt, qui pari facilitate in tota Diœcesi, atque in vna Ciuitate expediri possunt.

In messe cuiusquam, qui non solùm ipse desudat, sed etiam reliquos obseruat & dirigit, longè alijs vtilior euadit. In domo cuiusque, qui familiam licet dispersam & diuersis in locis operas reddentem prudenter regit, & ordinat, plus Domino emolumenti affert, quàm qui multo sudore facit ipse aliquid. In Dei autem messe & familia, num curatio, inspectio, & gubernatio aliorum ad nullam rem vtiles, aut minùs fructuosæ videbuntur? Beatum Paulum quidem percurioſæ hæ rationes latuerunt, cum Tito curam ac regimen totius Insulæ Cretæ mandauit; nec quicquam vidit, cur multa Pastoralia & Episcopalia officia & munia omnibus eandem regionem incolentibus vnus exhibere & perficere non potuit. Sed quid opus est pluribus exemplis, cum veteris Ecclesiæ Christi documentum habeamus, quæ Diœceses Episcopis primò distribuit & assignauit; omnium item Conciliorum Generalium & Prouincialium plenam consensionem, quæ diuisiones & distinctiones regionum ab vltimis Euangelij propagati temporibus factas, firmas ac stabiles esse iusserunt, & prærogatiuas singulorum in proprijs Diœcesibus, ne in fines alterius quisquam inuaderet, aut ius minueret, intactas seruari præceperunt? *Quàm antiqua Diœcesium assignatio sit, meritò dubitari potest; de paræcijs verò, extra controuersiam est, Apostolorum temporibus initium habuisse, & ad hunc vsque diem perpetuò duraſſe; ac proindè multò vetustiores fuisse paræcianos Episcopos (quos restitutos vehementer cupimus) Diœcesianis vestris, qui temporis*

cor-

corruptela obtinuerunt. Omnes enim Episcopi, quorum mentio fit in nouo Testamento, vel apud Eusebium aliosq; antiquos scriptores ad ducentorum à Christo annorum spacium, paræcijs tantùm affixi fuerunt, non Diœceses, vt vos defenditis, habuerunt.] Verbum *Paræcia* nullibi in Scripturis eam vim habet, quam vos arbitramini; apud Eusebium verò (quo authore potissimùm niti videmini) vt & alios etiam antiquioris notæ scriptores, non id significat, quod nunc vulgari nomine Parochiam appellamus, sed Diœcesim. Πάροικος, quo verbo significatio παροικίας optimè elucet, vbique in nouo Testamento peregrinum siue inquilinum denotat, atque illis semper opponitur, qui indigenæ & eiusdem Ciuitatis conciues sunt. Beatus Lucas verba Dei ad Abrahamum ita reddidit: [m] ἔσαι τὸ σπέρμα αὐτῦ πάροικον ἐν γῆ ἀλλοτρία: *Erit semen tuum inquilinum in terra aliena.* Similiter de Mose ex Aegypto fugiente, vbi à filia Pharaonis filij loco enutritus fuerat, dicitur: [n] *Fugit Moses, καὶ ἐγένετο πάροικος ἐν γῆ μαδιάν, & factus est inquilinus in terra Madian.* Paulus etiam ad Ephesios ait: [o] *Non amplius estis ξένοι καὶ πάροικοι, ἀλλὰ συμπολῖται τῶν ἁγίων, hospites & inquilini, sed conciues Sanctorum, & domestici Dei.* [p] *Obsecro vos*, inquit Petrus, ὡς παρόικους καὶ παρεπιδήμους, *tanquam aduenas & peregrinos, abstinete à carnis cupiditatibus.* [q] σὺ μόνος παροικεῖς ἐν ἱερυσαλημ; *tu solus hospes in Hierosolyma versaris, & ignoras quæ in ea facta sunt his diebus?* inquiunt Discipuli Emmaum proficiscentes Domino, qui, vt ignotus, comitem se illis adiunxerat. Atque hanc vim παροικία, *paræcia*, vbique in nouo Testamento retinet. [r] *Deus*, inquit Paulus, *populum euexit (siue auxit)* ἐν τῇ παροικία ἐν γῇ αἰγύπτῳ: *quum essent incolæ in terra Ægypti.* [s] *Transigite*, ait Petrus, *tempus* τῆς παροικίας ὑμῶν, *incolatus vestri (in terra) cum timore.* [t] *Per fidem Abrahamus* παῴκησεν εἰς τὴν γῆν, *factus est incola in terra, quæ promissa fuerat ei,* ὡς ἀλλοτρίαν *tanquam in aliena, commoratus in tabernaculis cum Isaac & Iacob cohæredibus eiusdem promissionis.*

m Act.7.v.6.
n Vers.29.
o Ephes.2.19.
p 1.Pet.2.18.
q Luc.24.18.
r Act.13.17.
s 1.Pet.1.17.
t Hebr.11.

Hæc solùm in omni nouo Testamento exempla occurrunt, in quibus Paroecia, aut verba aliqua inde deriuata vsurpantur; ex his autem nihil prorsus pro ea Paroeciæ significatione,

tione, quæ nunc in vsu est, concludi potest, nisi fortè parochianos Episcopos vestros non *conciues Sanctorum, & domesticos Dei*, sed veritati *peregrinos ac hospites* esse velis. Ita enim Paulus ad Ephesios author erit; alioqui si nec verbum aliquod, nec res eiusmodi in Scripturis legatur, quales Parochiæ vestræ videntur, sequitur Parochianos Episcopos in nouo Testamento nusquam reperiri, licet, plenis (quod aiunt) velis à te inuehantur.

Verùm apud veteres (vt puras) Scriptores verbum illud pro Parochia (ita enim distinctionis causa appellare liceat) vsurpatur, nec alij Episcopi per 200 annos à quopiam cõmemorantur, nisi tantùm Parochiani: quæ quidem opinio, æquè ac superior, à veritate penitus abhorret. Paræcia enim ab Eusebio alijsque pro Diœcesi ponitur; tu autem alieno sensu eandem accipiens, inde Parochianos Episcopos velut ab vltima antiquitate ortos produxisti. Sed ne te ipse decipias, nec alios etiam in fraudem inducas; tua, tua (inquam) inconsulta & indocta hæc opinatio, non Eusebij aut alterius cuiusquam assertio videtur. Quò meliùs autem constet inter nos, quid Parœcia olim fuerit, & quomodo ex Ciuitate aliqua pependerit, (quandoquidem Paulus relationem quandam, aut veriùs oppositionem denotat inter hæc duo nomina πάροικοι ϗ συμπολῖται, *Paræciam & conciues*;) de Ciuitatibus pauca mihi dicenda erunt; quia in his tantùm Episcopi & Presbyteri Apostolorum temporibus constituti erant, ad easque Parœciæ pertinebant.

Vt lectorem ad manifestã, nec tamen à præsenti disiunctã veritatem deducam, necesse habeo aliquid de ordinandis, instruendis, definiendisque Ciuitatibus, tam ex sacris quàm profanis literis aduocare; vnde facilè perspiciemus ciuitates, in quibus solis Apostoli Episcopos collocarunt, non vnius Parochiæ finibus conclusas, vt recentiores quidam temerè opinantur, sed regionis alicuius terminis circumscriptas, & Diœcesibus æquiparatas fuisse. Sex sunt, vt rectè Aristoteles animaduertit, quibus indiget ciuitas omnis, vt per se consistere, & ad vitam tuendam sibi sufficere possit.[u] 1. *Agri*, siue *Agricolarum multitudo*: 2. *Artes*: 3. *Arma*: 4. *Pecunia*: 5. *Sacerdotes*

[u] Polit. l. 7. c. 8

dotes: 6. Iudices. Hæc enim ſunt, ſine quibus Ciuitas conſtare non poteſt, quibuſque omnis ciuitas initio inſtructa fuit; maximeque agris circumiacentibus, qui omnium rerum copiam, quibus illa Regio abundabat, ad victum conferebant. Nam vt vita humana non ſine victu cultuque ſuſtentatur, ita nulla ciuitas olim fundata erat, cui agrorum ſatis ad frumentum, vinum, oleum, pecora, cæteraque vitæ ſubſidia miniſtranda aſſignatũ non eſſet, ne multitudo, quæ Ciuitatis mœnibus concluſa erat, ijs rebus indigeret, quas regio circumiecta produxiſſet. Cui rei argumento ſunt, non Scripturę ſolùm, ſed hiſtoriarũ omniũ monumẽta adeò vt ciuitas cũ territorio ei adiacẽte Regis olim portio fuerit, vt in his exẽplis, Gen. 14. Abrahami tempore, Bera Rex Sodomi, Cirtaſh Rex Gomorrhæ, Shinab Rex Admæ, Sheneber Rex Zeboimorum, prẽter Regem Zoar recenſentur (his quinque ciuitatibus in valle Siddimorum iacentibus;) vt etiam Melchizedecus, qui Rex Salem vocabatur. His addantur ex alijs orbis partibus, ſed aliquantò poſteriùs, Reges Argorum, Athenarum, Corinthi, Spartæ, Thebarum, Romæ, Carthaginis, aliarumque multarum Ciuitatum, quorum plenæ ſunt veterum Hiſtoriæ. Atque hi vſque ad Ioſuam, *qui* [x] *Reges triginta vnum cis Iordanum percuſſit, vt Regem Iericho,* x Ioſh. 12. *Regem Ai, Regẽ Hieroſolymæ,* & ſingularum ciuitatum ſingulos Reges, qui ibi ſequuntur. Tametſi autem tunc temporis potentiores inter eos tenuiores in poteſtatem ſuam redegiſſent, multaſque Ciuitates ſub imperium ſuum ſubiunxiſſent; Scripturæ tamen liquidò probant, cuique ciuitati non loca tantùm ſuburbana atque his confinia ſubdita fuiſſe, ſed per omnem terram Chanaan pagos, vrbeſque minores in ciuitatis alicuius ditione fuiſſe; Ciuitatibus ſcilicet præſidij cauſa mœnibus cinctis, quo ab oppidulis ac pagis ſubiectis vim & iniuriam faciliùs propulſarent. Si quis harum rerum documenta quærat, legat 13. 15. 18. & 19. cap. libri Ioſuæ; & videat, ſi non tota terra promiſſionis Iſraelitis diuideretur iuxta numerum ciuitatum cum villis earum, vnaquęque ciuitate villas ac vrbes ſub ſe habente, quæ illic definitè & diſtinctè recitantur; vt cap. 15. eiuſdem libri, ver. 32. enume-

rantur

rantur *viginti nouem Ciuitates & villæ earum*; vers. 36. *quatuordecim Ciuitates & villæ earum*; vers. 41. *sexdecim Ciuitates & villæ earum*; vers. 44. *nouem Ciuitates & villæ earum*; ver. 45. *Ekron cum filiabus* (hoc est, cum maioribus oppidis, non tamen Ciuitatibus) *& villis eius*; ver. 47. *Asdod cum filiabus & villis eius*; *& Azza cum filiabus, & villis eius, vsque ad flumen Ægypti*; ver. 51. *vndecim Ciuitates & villæ earum*; ver. 54. *nouem Ciuitates & villæ earum*; ver. 57. *decem Ciuitates & villæ earum*. ver. 59. *sex Ciuitates & villæ earum*. ver. 60. *duæ Ciuitates & villæ earum*. ver. 62. *sex ciuitates, & villæ earum*. In summa *centum & quindecim Ciuitates* cum villis & pagis earum; vt interim eas taceam, quæ 18. & 19. cap. eiusdem libri numerantur, quæ multò plures sunt, & vnà cum villis sibi subiectis nominatim illic perscribuntur.

Ac ne quis fortè per Oppida & Villas, quæ istic memorantur, cuiusque ciuitatis Suburbana intelligat, eiusdem libri cap. 21. vbi 48. ciuitates Leuitis in qualibet Tribu ad habitandum datæ sunt, explicatè dicitur, [y] *Ciuitates his ac Suburbana earum* distributas fuisse; non autem villas, quia ius non erat Leuitis, vt [z] *possessionem inter fratres haberent; tantùm* [a] *Ciuitates ad habitandum*, ac prædia Suburbana habuerunt (*ad* [b] *mensuram* bis mille cubitorum circumcircà à muro cuiusque ciuitatis) *pro iumentis & pro omnibus animalibus eorum*. Adeò vt, cum Hebron in monte Iudæ & Suburbana eius filijs Aaronis data essent, [c] *Agrum ciuitatis & villas eius Calebo filio Iephunnæ in possessionem dederunt*; eò quòd Leuitis certa agrorum mensura circa ciuitates suas assignanda esset: quod autem ex his remanebat, ad proximas ciuitates pertineret. Hæc diuisio terræ per ciuitates ac villas earum, post reditum populi è Babylone permansit, vt apparet Nehemiæ 11. vers. 25. 27. 28. 30. 31. nec Seruatoris nostri tempore desierat, vt multis in locis Euangelistæ testantur, vbi [d] *Partium* & [e] *confiniorum Tyri & Sydonis*, ac etiam [f] *partium* & [g] *villarum Cæsareæ Philippi*, cum similibus, mentionem faciunt. Infinitus essem si Territoria & confinia Athenarum, Corinthi, Romæ, Antiochiæ, Ephesi, aliarumque ciuitatum sigillatim persequerer, quæ apud Thucydidem,

y Iosuæ. 21.
z Deuter. 18. ver. 1. 2.
a Ios. 21. v. 2.
b Num. 35. v. 4. 5.
c Ios. 21. v. 12.
d Matth. 15.
e Marc. 7.
f Matth. 16.
g Marc. 8.

dem, Pausaniam, Strabonem, Polybium, Plutarchum, Plinium, aliosque meliùs legentur; præsertim cum prima Christiani orbis in Diœceses siue Episcopatus diuisio secundùm numerum ciuitatum fuerit, cum terminis & limitibus illis assignatis, etiam antequàm ad fidem conuersæ fuissent.

Comperto igitur ciuitates tam antè, quàm sub ipsis Apostolis, non mœnia solùm, & Suburbia, sed Agros, Oppida ac Villas intra ambitum suum vndique latiùs patentem habuisse: duo nunc diligenter à nobis notanda sunt. Primùm Apostolos nullibi Episcopos & Presbyteros constituisse, præterquàm in ciuitatibus; Secundò Paroeciã, quandò ad ciuitatem refertur, totum illius Territorium, hoc est, vrbiculas omnes ac villas denotare, quæ tam ante Apostolos, quàm eorum temporibus ad eandem pertinebant; licèt hodiè sub Monarchis tanta ciuitatum nec amplitudo, nec necessitudo sit, vt loca omnia adiacentia habeant in potestate sua. De primo verba Apostoli ad Titum mininè obscura sunt; [h] *Huius rei gratia reliqui te in Creta, vt constitueres Presbyteros in qualibet Ciuitate, sicut ego tibi mandaui.* Et quum in animo haberet inuisere Ecclesias, quas in Syria, Cilicia, Phrygia, Galatia, Mysia, & finitimis regionibus ædificasset, ad Barnabam ait; [i] *Reuersi inuisamus fratres nostros per omnes Ciuitates, in quibus annunciauimus sermonem Domini.* [k] *Et prout pertransibant Ciuitates, tradebant eis seruanda instituta quæ ab Apostolis & Presbyteris Hierosolymis decreta fuerant.* Atque ita [l] *Ecclesiæ confirmabantur in fide, & augebantur numero quotidiè.* Hanc constituendi Ecclesias in ciuitatibus, non in viculis aut oppidulis rationem, tam à diuisione totius orbis in ciuitates quàm à ritu Iudæorum singulis Sabbatis legem Mosaicam populo prædicandi sumpserunt. [m] *Moses*, inquit Iacobus, *ab etatibus antiquis in singulis ciuitatibus habet, qui ipsum prædicent, cùm in Synagogis per singula Sabbata legatur.* Eundem etiam ordinem Apostoli in propagando Christi Euangelio seruarunt, in ciuitatibus Gentium prædicantes, & Ecclesiarum fundamenta constituentes, vtpotè in locis ad eas instruendas, sustentandas, ac gubernandas maximè idoneis, quò populus per villas & pagos dispersus, *Fori, Census, Sacrorum, Iudiciorum*, & eiusmodi negotiorum causa frequens

h Tit.1.v.5.
i Act.15 v.36.
k Act.16.v.4.
l Act.16.v.5.
m Act.15.

conueniebat; ita vt in ciuitatibus commorantes citiùs in populum agreſtem inciderent, quàm ſi domi eos quærerent. Neque verò laborioſius aut moleſtius his erat Sabbatis ad diuina celebranda, quàm alijs diebus priuatis aut publicis de cauſis ex agris in ciuitatem iter habere; quòd Iudæis adeò aſſiduum erat, & in vſu quodam communi poſitum, vt in ſacris literis locorum interuallum [n] *Sabbati itinere* deſcribatur. Tametſi autem Apoſtoli extra ciuitates nec Eccleſias conſtituerint, nec Epiſcopos aut Presbyteros ordinauerint; dubiũ tamen non eſt, quin multis viculis ac pagis ruſticanis, propter crebras in vrbem occaſiones, Euangelij lux affulſerit, cum leganus *Petrum & Iohannem Hieroſolymam reuertentes* [o] πολλὰς κώμας, *multis vicis Samaritanorum Euangelium annunciaſſe*; licet manus nemini præterquam in Samaria impoſuerint; ipſumque Seruatorem [p] *vrbes omnes* καὶ τὰς κώμας, *& vicos circuiſſe, docendo in Synagogis eorum, & prædicando Euangelium regni, & quemuis morbum in populo ſanando.*

n Act. 1. v. 12.

o Act. 8. v. 25.

p Mat. 9. v. 35.

Iam verò, qui vicinas ciuitatum aliorumque locorum partes incolebant, Græco ſermone παροίκους olim dictos fuiſſe, grauiſſimi inter Gentium hiſtoricos ſcriptores nobis teſtes ſunt. Iulius Herodes in laudem Athenarum ait; [q] *Ex Græcis nos ampliſſimam regionem habemus, & plurima proferentem,* οὐ μόνον τοῖς ἐνοικοῦσιν, ἀλλὰ καὶ τοῖς παρ' οἰκεῖς, *non ſolùm incolis, ſed etiam accolis (ſiue paræcianis.)* Similiter Strabo; [r] οἱ παροικοῦντες κατὰ θάτερον τὸν ποταμὸν, *qui alterutrum partem fluminis accolunt.* Et Thucydides; [ſ] *Theſſali*, inquit, *& ij quorum in ſolo (Heraclea) condita erat, veriti* μὴ σφίσι μεγάλη ἰσχὺς παροικῶσι, *ne præpotentes accolas haberent, infeſtarunt, aſſidueque bello nouos colonos laceſſuerunt*, Et eodem libro; [t] *Acarnanes pertimuerunt*, μὴ οἱ Αθηναῖοι οἱ ἔχοντες ἀυτὴν, χαλεπώτεροι σφίσι παροίκοι ὦσι, *ne tenentes (Ambraciam) Athenienſes, grauiores ipſis accolæ forent.* Itaque verbum hoc παροίκοι, *Paræci*, non eos ſolùm denotat qui *peregrini* ſiue *inquilini* ſunt, in qua ſignificatione Scripturis non infrequens eſt; ſed *accolas* ciuitatis & *vicinos habitatores*, vt Ius ciuile mihi verbum veriſſime videtur interpretari: [u] *Incola eſt, qui in aliquam regionẽ domicilium ſuum contulit, quem Græci* παροικον (id eſt, *iuxta habitantem*) *appellant. Nec ij tantùm qui in oppido*

q Iul. Herod. Oratio.

r Strabo. geo. lib. 16.

ſ Thuci. belli Pelopon. li. 3.

t Ibidem.

u ff. de verborum ſignific. tit. 239. §. incola.

mo-

morantur, incolæ sunt; sed etiam in alicuius oppidi finibus ita agrum habent, vt in eum se quasi in sedem recipiant. Hoc est enim quod Territorium Ciuitatis appellant. [x] *Territorium vniuersitas agrorum est intra fines cuiusque Ciuitatis.*

x Ibid. §. 8.

Venio nunc ad veteres illos Christianorũ Scriptores, quibus παροικία *parœcia*, non Ciuitatem solùm, in qua Episcopus sedem habuerat, sed totam regionem finitimam ciuitati assignatam siue subiectam significat. Canones qui vocantur Apostolici (non quòd ab Apostolis editi fuerint, sed quòd multis in rebus cum veteri Ecclesiæ disciplina ab Apostolorum temporibus vsitata consentiant) quibus Concilium in Trullo calculum adiecit, cuilibet Episcopo ea tantùm gerenda censuerunt, [y] ἰσα τῇ ἀυτῇ παροικία ἐπιβάλλει καὶ ταῖς ὑπ' αὐτὴν χώραις, *quæ ad propriam parœciam pertinent, & ad villas quæ sub ea sunt.*

y Canon. Apost. 34.

Concilium Antiochenum eodem spectans, ait; [z] *Placuit nihil sine (Metropolitano) reliquos Episcopos agere, secundum antiquum Patrum nostrorum Canonem, nisi* ἰσα τῇ ἐκείνου ὅσα ἐπιβάλλει παροικίᾳ, καὶ ταῖς ὑπ' αὐτὴν χώραις, *ea tantùm quæ ad vniuscuiusq; parœciam pertinent, & Regiones quæ sub ea sunt.*

z Conc. Antioch. ca. 9.

Magnum Concilium Chalcedonẽse, in quo 630. Episcopi interfuere, decreuit, [a] τὰς καθ' ἑκάστην ἐκκλησίαν, ἀγροικικὰς παροικίας ἢ ἐγχωρίους μένειν ἀπαρασαλεύτους παρὰ τοῖς κατέχουσιν αὐτὰς ἐπισκόποις; *per singulas Ecclesias, rusticanas parœcias, & quæ intra eandẽ sunt Regionẽ, manere immobiles apud eos, qui illas retinent, Episcopos.*

a Con. Chalc. can. 17.

Concilium in Trullo eundem Canonem, repetitione facta, confirmauit. Huc etiam facit quod Epiphanius alicubi ait: [b] *Ipse cohortatus sum beatæ memoriæ Philonem Episcopum, & sanctum Theoprobum, vt in Ecclesiis Cypri, quæ iuxta se erant, ad meæ autem parochiæ Ecclesiam videbantur pertinere, eò quòd grandis esset & latè patens prouincia Presbyteros ordinarent.* [*At nullibi verò apud Eusebium alioſuè antiquos scriptores, multarum Ecclesiarum siue parœciarum vni Episcopo subiectarum mentio occurrit, ante Iulianum decimum Alexandriæ Episcopum; cuius tempore primùm memoriæ proditum est, plures in ea Ciuitate Ecclesias fuisse,* [c] *quarum ipse Episcopatum accepit; ante hoc tempus Parœcia singularem aliquam & certam Ecclesiam, non Diœcesim denotabat.*]

b Epiph. epist ad Iohannem Hierosolym.

c Anno. 190. Euseb. l. 5. c. 9.

Eusebius, quem libenter authorem vobis proponere videmini,

mini, in nullo à Conciliorum eorum ſententia, quæ proximè citaui, recedit, nedum *Parœciam ad ſingularem aliquam & certam Eccleſiam* reſtringit, vt à vobis indoctiſſimè & iniurioſiſſimè torquetur; ſed eo verbo regionem totam quaquauerſus ciuitati ſiue Eccleſiæ Epiſcopali ſubiectam ſignificat, vt ex vario eiuſdem vſu apparet. Quandoque enim per ſingularem numerum παροικίαν *parœcim*, quandoque per pluralem παροικίας *parœcias*, vnius eiuſdemque Eccleſiæ iuriſdictionem exprimit. Ac ne ab eo exemplo, quod vobis tanti erroris cauſa extitit, longiùs diſcedam: concedi poteſt Euſebium tum primùm παροικιῶν *parœciarum* (in plurali numero) Alexandriæ mentionem facere, cum Demetrium Iuliano ſucceſſiſſe narrat; verum autem non eſt, plures vnà Alexandriæ Eccleſias ante Iulianum ab eo non commemorari. Nam circa primam Alexandriæ fidei propagationem per Marcum Euangeliſtam, Euſebius ita refert, [d] *Marcum primum aiunt in Ægyptum miſſum, Euangelium illic prædicaſſe,* ἐκκλησίας τε πρῶτον ἐν αὐτῇ Ἀλεξανδρείᾳ συστήσασθαι, *primumque Eccleſias Alexandriæ conſtituiſſe. Tanta ibi credentium virorum ac mulierum multitudo prima acceſſione collecta eſt*, quæ ab eo tempore etſi numero plures, vſque ad Iulianum decimum Alexandriæ Epiſcopum manſerunt; de quo Euſebius teſtatur; quòd anno primo Imperatoris Commodi (à Chriſto autem 183.) [e] πρὸ κατ' Ἀλεξάνδρειαν ἐκκλησιῶν ἰουλιανὸς ἐγχειρίζεται τῷ ἐπισκοπῇ, *Iulianus Alexandrinarum Eccleſiarum Epiſcopatum ſuſcepit.* Idem de Demetrio, qui Iuliano ſucceſſit. [f] *Lætus Alexandriæ, ac reliquæ Ægypto præerat*, πρὸς δ' αὐτοῦθι παροικιῶν τῷ ἐπισκοπὴν νεωστὶ τότε μετὰ ἰουλιανὸν Δημήτριος ὑπεδέξατο, *parœciarum autem illic Epiſcopatum recèns poſt Iulianum Demetrius ſuſceperat.* Hic vos primùm Parœciarum numerum Alexandriæ auctum, & Epiſcopi iuriſdictionem amplificatam putatis, quia ante hoc tempus nuſquam apud Euſebium Parœciarum (in plurali) mentio occurrit; in quo ſumma cum fiducia veſtram proditis ignorantiam. Poſt enim de eodem Demetrio, ſicut priùs de alijs ait; [g] ὁ Δημήτριος τὴν αὐτόθι παροικίας ἐφορείας, *Demetrius parœciæ illius præſes (ſiue Epiſcopus.)* De Dionyſio etiam, quem veſtra prudentia primum Diœceſanum ſiue Regentem Epiſcopum ſtatuit

d Euſeb lib. 2. cap. 16.

e Idem lib. 5. cap. 9.

f Idem l. 6. c. 1

g Idem l. 6. c. 8

ſtatuit, idem quod de alijs ante Iulianum Epiſcopis, aſſerit; [h] *Extat & alia illius Epiſtola* ἐξ ἀυτῆ ἡ ἡς ἡγεῖτο τὸ παροικίας, *ab eo, & Parœcia cui præerat, Xyſto & Eccleſiæ Romanæ nuncupata.* Tametſi autem de Petro 16. Alexandriæ Epiſcopo ſcribat, quòd [i] ἧς κατ' Ἀλεξανδρείαν παροικιῶν προσάς ἐπιφανέσατα, *Alexandrinas Eccleſias præclariſſimè gubernans, Maximini iuſſu capite truncatus ſit*; Alexander tamen decimus octauus Alexandriæ Epiſcopus, in Epiſtola quam ad fratres Epiſcopos per orbem terrarum conſtitutos aduerſus Arium, alioſque eius hæreſis fautores ſcripſit, ita ait: [k] ,Εν τῇ ἡμετέρᾳ παροικίᾳ ἐξῆλθον νύν ἄνδρες παράνομοι καὶ χριςομάχοι: *in noſtra quidem parœcia (Alexandrina) prodierunt iam viri qui leges contemnunt, & Chriſtum ipſum impugnant.* Adeò vt hæc veſtra perſuaſio de vnico Alexandriæ cœtu ante Iulianum, & aucto tunc primùm Eccleſiarum numero, inaniſſima ſit animi veſtri ſuſpitio per ſummam inſcitiam excogitata, dum minùs animaduertiſtis vocabula hæc promiſcuè vſurpari; in plurali quidem, vt plures Alexandriæ cœtus fuiſſe probent; in ſingulari verò, vt vnam omnes Eccleſiam conſtituiſſe, & ad vnius Epiſcopi curam ac regimen ſpectaſſe doceant.

h Idem lib. 7. cap 9.

i Idem lib 9. cap.6.

k Socrat lib. 1.cap.6.

Neque verò Euſebius tantùm, ſed tota Chriſti Eccleſia ante, poſt, & in ipſo Niceno Concilio, quandò non ſolùm Diœceſes (vt ipſi mihi teſtes eſtis) ſed Prouinciæ, vt quæ longo vſu diu ante in Eccleſia inualuiſſent, conſtitutæ fuerunt, verbum παροικία *parœcia*, pro iuriſdictione & regimine Epiſcopali vſurpauit. Quid enim aliud decreta hæc ſibi voluerunt? Concilium Ancyranum: [l] *Si qui Epiſcopi non ſuſcepti* ὑπὸ τῆς παροικίας ἐκείνης *ab ea parœcia in qua fuerant denominati,* ἐπιέχειν βάλοιντο παροικίας ἰδίνας, *alienas Eccleſias occupare voluerint, & vim facere Epiſcopis, quos ibi inuenerint, ſeditiones excitando aduerſos eos, hos ſegregare oportet.* Concilium Antiochenum: [m] *Si quis Epiſcopus ordinatus, non abierit* εἰς παροικίαν *ad parœciam cui ordinatus eſt, non ſuo vitio, ſed plebis forſitan contraductione, hic honorem ſuſceptum retinere, & Sacerdotio fungi debebit.* Idem rurſùs ſtatuit; *Epiſcopum* [n] ἀπὸ παροικίας ἐπὶ παροικίαν εἰς ἐπίταν, *de parœcia ad parœciam non debere tranſire.* Concilium

l Concil. Ancyr.can. 18.

m Concil. Antio.c.18

n Idem.c.21.

o Conc. Sardic. can.15.

lium Sardicense,o *Hoc vniuersi constituimus, vt quicunque voluerit* ἐξ ἑτέρας παροικίας, *alterius paræciæ Ministrum ordinare, sine consensu Episcopi ipsius, irrita sit ordinatio eius.* Concilium Oecumenicum Nicenum in Epistola quadam ad Ecclesiam Alexandrinam, & Ægypti, Libyæ, & Pentapolis Episcopos, decreuit; vt qui (Episcopi) à Miletio ordinati fuissent, P *his quos Alexandriæ Episcopus ordinauerat,* ὡς ἐν παροικίαις τῆς ἐκκλησίας, *in singulis paræcijs & Ecclesijs omninò inferiores essent.* Ita igitur verbo *Paræcia* (in singulari) pro tota Episcopi iurisdictione vtuntur, etiam tum cùm Episcopi sine dubio plures sub se Cœtus haberent, nec vnius tantùm Ciuitatis Ecclesijs præessent, vt apparet ex ijs quæ Socrates de Ecclesijs Episcopo Alexandriæ subiectis scribit. q *Mareotes,* inquit, *est regio Alexandriæ subiecta; sunt in illa pagi permulti, multísque hominibus frequentati: in quibus eisdem complures sunt Ecclesiæ, eæq; illustres, quæ quidem Episcopo obsequuntur Alexandriæ,* ἣ εἰσιν ὑπὸ τὴν αὐτὴν πόλιν αἱ παροικίαι, *& illius Ciuitati tanquam paræciæ subiectæ sunt.* Quinimò tota illa Regio Mareotica, in qua *pagi maximi, plures aliquantò quàm decem fuerant,* & in ijs triginta Presbyteri & Diaconi rebus diuinis inseruientes, vt ex ipsorum literis & *subscriptionibus* constat, *paræciæ* nomine appellabatur, sic enim inquiunt: r *Quoniam Theognius, mares (& ceteri) missi ab Episcopis, qui Tyri in Concilium coierant,* ἀπήντησαν ἐν τῇ ἡμετέρᾳ παροικίᾳ, *obuiam sibi mutuò venerunt in nostra paræcia.* s *Mareotes autē (vt ibidem testatur Athanasius) ager erat Alexandriæ, quo in loco nunquam Episcopus fuit, imò ne Chorepiscopus quidē, sed vniuersæ eius loci Ecclesiæ Episcopo Alexandrino subiacebāt, ita tamē vt singuli pagi suos Presbyteros haberēt.* Ex his germana verbi (*Paræcia*) significatio perspicitur nō solùm ad plures Ecclesias se extendere, sed etiam totam cuiusuis Episcopi Diœcesim exprimere, & in vtroque numero, tam singulari quàm plurali, similem ac parem vim habere. Et quanquam Chorepiscopi; hoc est, *villarum Episcopi,* multis post Christum annis quibusdam in locis, & ad certas causas per Canones tolerati fuerint, nempè, vt ij qui ex t *schismaticis* ad Ecclesiam reuerterentur, Episcopalis nominis honorem retinerent, & Episcoporum Ciuitatum, fortè ægrotantium

P Socrat. lib. 1. cap. 9.

q Socrat. lib. 1. cap. 28.

r Athanas. Apolog 2.

s Ibidem.

t Concil. Nicen. can. 8.

grotantium, vel in remotis agentium, vices supplerent; tamen & ipsi, & villæ eorum, Episcopis Ciuitatum, quibus adiacebant, [u] *subiecti* erant: adeò vt sine authoritate & consensu Episcopi Ciuitatis, Chorepiscopo [x] *nec Presbyterum, nec Diaconum ordinare*, [y] *nec quicquam eorum peragere* liceret, quæ ad Episcopi officium pertinerent. Qui quidem non ita multo post, ob nimiam *eorum arrogantiam*, & *Episcopalis iurisdictionis vsurpationem* penitùs sublati sunt. Vtut autem verbum parœcia circumscriptam vnius Ecclesiæ iurisdictionem (quam vulgo Parochiam appellamus) doctis quibusdam hodiè significet; non tamen vnum solummodò Cœtum siue Congregationem necessariò innuit, vt à vobis, quò proposito vestro meliùs inseruiat, angustè nimiùm coarctatur; sed quotquot vnius Rectoris, siue Vicarij curæ, & regimini committuntur, eo nomine continentur. Cui rei argumento sunt plurimæ in Anglia Parochiarum centuriæ; quarum aliæ duas; aliæ tres, aut quatuor; nonnullæ etiam, vt Vicarius de Halifex, decem aut duodecim diuersas Ecclesias, siue Congregationes sibi annexas habent. Ita fit vt in vna Parochia, sicut hodiè passim vsurpatur, plures Ecclesiæ esse possint; quod autem ad antiquas illas *Parœcias* attinet, nihil aliud, vt multis probaui; quàm territoria regionesque singulis Ciuitatibus assignatæ, & Episcopo Ciuitatis subiectæ fuerunt; vt inter eas antiquo more intellectas, & Diœceses, nihil interfit; licet *Parœciæ*, perindè ac Ciuitates & Episcopatus earum, aliæ alijs maiores extiterint.

u Con. Antio. can. 10.
x Conc. Ancyra. can. 13.
y Conc. Laodic. can. 56.

Si quis autem à me quærat, quando verbum διοίκησις, *Diœcesis* primùm vsurpari cœperit; in Græcorum Concilijs aut Historijs non memini me legisse (præterquam semel in [z] *literis Constantini,*) donec Oecumenicum Conciliũ Theodosij tẽpore Constantinopoli habitum, circiter annũ Christi 383. decreuit, vt [a] *Episcopi non inuitati* τὴν διοίκησιν *vltra Diœcesim non accederent, super ordinandis aliquibus, vel disponendis quibuscunq; Ecclesiasticis causis*; vtque *regulam* περὶ τῆς διοικήσεως, *de Diœcesibus prius descriptam seruarent*; res tamen ipsa non solùm antiquissima erat, vt ex magno Niceno Concilio appareat, sed à primis Ecclesiæ temporibus producta, sicut diuisio

z Socrat. lib. 1. cap. 9 in literis Constantin. ad Ecclesias.
a Conc. Constantin. c. 2.

& iurisdictio Ciuitatum multò antè, & ipsa Apostolorum ætate, demonstrant. Quocirca Paulus in secunda ipsius Epistola ad Corinthios (aucta Christianorum multitudine per omnes Achaiæ regiones, vbi Corinthus posita erat) literas suas inscripsit, [b] *Ecclesiæ Dei quæ est Corinthi, σὺν τοῖς ἁγίοις πᾶσι τοῖς οὖσιν ἐν ὅλῃ τῇ Ἀχαΐᾳ, vnà cum Sanctis omnibus, qui sunt in tota Achaia*; Corintho Metropoli Achaiæ existente, locoque vbi *Proconsulis* [c] *Achaiæ tribunal erat*. Adeò vt, per totam hanc Epistolam Corinthios & Achaicos cõiunctim appellet, & Ecclesiam Corinthiacam Achaiæ nomine nonnunquam vsurpet. [d] *Noui*, inquit, *promptum animum vestrum, quem de vobis iacto apud Macedones, Achaiam videlicet paratam esse ab anno superiore: & zelus vester multos prouocauit*. Posteà etiam, [e] *Alias Ecclesias spoliaui, accepto ab eis stipendio, vt vobis inseruirem: & in omni re seruaui meipsum, & seruo, vt oneri vobis non sim, vt hæc gloriatio non obsignetur mihi in regionibus Achaiæ*. Hic vt aliás etiam per omnem hanc Epistolam, nullum prorsùs discrimen ponit inter Ecclesiam quæ Corinthi, & quæ in reliquis Achaiæ partibus erat; sed siue doceat, siue exhortetur, siue admoneat, siue collaudet eos, tanquàm ad vnam Ecclesiam verba facit; quia omnes ad eandem Ciuitatem tam fidei erudiendæ, contributionisque Sanctis faciendæ, quàm alia Christiana munia & officia obeundi & exhibendi causa conueniebant. Neque verò res, vt prætenditis, adeò noua atque inaudita fuit, vel ipsis Apostolorum temporibus, vt multarum Ecclesiarum inspectio vnius fidei committeretur; cum Paulus Titum Cretæ reliquerit, vt totius Insulæ centum vrbium numero celeberrimæ, ac opulentissimi potentissimique quondam regni, curam solus sustineret. Et licet leuissimis quibusdam ratiunculis adducti negetis Titum Cretæ Episcopum fuisse; tota tamen Christi Ecclesia vno ore affirmat, eiusque rei monumentum sub finem Epistolæ Pauli ad Titum in græcis noui Testamenti exemplaribus, tam veteribus illis, quàm hodiè receptis, publicè testatum extare voluit; nempè, scriptam fuisse hanc Epistolam *προς τίτον τῆς κρητῶν ἐκκλησιας πρῶτον ἐπίσκοπον χειροτονηθέντα, ad Titum qui primus Cretensium Ecclesiæ Episcopus*

b 2 Cor.1.

c Act.28.ver. 12.

d 2.Cor.9. ver.2.

e 2. Cor. 11. ver.8.9.10.

copus ordinatus est. Quæ verba etsi Apostoli non sint, eóque velut in parte Canonis explicari nihil opus sit; cùm tamen in omnibus græcis codicibus inueniantur, publicum Ecclesiæ consensum probant, eum Apostolorum ætate, & deinceps, Episcopum Cretæ relictum fuisse, vt historiæ etiam Ecclesiasticæ plenissimè nobis fidem faciunt. *Si Diœceses tanta, vt dicitis, antiquitate fuerunt, miror Diœcesanos Episcopos nullibi commemorari, vsque ad 200. à Christo annos, idq; Alexandriæ tantùm.*] Res obseruatione digna videtur, quòd vos contentione, quanta maxima potestis, præteritorum seculorum memoriam excutientes, plus quàm 200. annos à Christo fuisse affirmare non audeatis, antequàm Diœceses palàm receptæ, vel saltem plures Ecclesiæ vni Episcopo commissæ fuerint; in quo grauissimum contra vos ipsos testimonium dicitis, Diœcesanos Episcopos 1400 annos locum in Ecclesia habuisse. Quòd si vel mediocri cura (addo etiam, & modestia) veterum scripta reuoluissetis, multò propiores eos Apostolorum ætati inuenissetis. Nam vt de Marco Euangelista taceam, qui plures Alexandriæ erexit Ecclesias (sic exigente credentium multitudine, vt superius à me demonstratum est,) easque septennio ferè ante Petrum & Paulum è vita decedens, Aniano successori reliquit; æquè constat, non solùm multas Romæ Ecclesias fuisse recipiendis ciuitatis & parœciæ illius Christianis constitutas, sed vsque eò creuisse fidelium numerum, vt Euaristus Episcopus Romanus infra 68. annos à Christi passione, nouem verò à morte Beati Iohannis, [f] *Titulos*, (hoc est, Ecclesias siue Cœtus) *Romæ* distribuere, & *Presbyteris suis diuidere* coactus fuerit, singulis parte assignata, sibi verò maxima retenta, penes quem reliquorum inspectio remansit. Dionysius etiam Corinthiorum Episcopus, qui ad annos plus minus septuaginta à Iohanne Apostolo in Ecclesia floruit, [g] *Tantæ* (inquit Hieronymus) *eloquentiæ & industriæ fuit, vt non solùm suæ Ciuitatis & Prouinciæ populos, sed & aliarum vrbium, & prouinciarum Episcopos epistolis erudiret.* Idem ad Romanos, & Soterum eorum Episcopum scribens, ait, [h] *Ab initio hæc vobis consuetudo est, vt cunctis fratribus variis modis benefaciatis,*

f Damas. in vita Euarist.

g Hieron. de scriptor. Eccl. in Dionys.

h Euseb. lib. cap. 23.

ciatis, ἐκκλησίαις τε πολλαῖς ταῖς κατὰ πᾶσαν πόλιν ἐφοδια πέμπειν, *ac multis Ecclesiis, quæ sunt per quamque ciuitatem subsidia mittatis.* Firmilianus Cæsareæ in Cappadocia Episcopus tanto studio Origeni adhęsit, [i] *vt aliquando ad ipsum in Iudæam proficisceretur, aliquando eum* ἀμφὶ τὰ κατ' αὐτὸν κλίματα εἰς τὴν ἐκκλησιᾶν ὠφέλειαν, *in suam regionem ad ædificationem Ecclesiarum euocaret.* Cornelius Ecclesiæ Romanæ Episcopus & Martyr, Cypriano coæuus, ad quem multæ ipsius literæ leguntur, in quadam epistola, quam ad Fabium Antiochenæ Ecclesiæ Præsidem de Nouato Catharorum hæresis authore scripsit, qui sub specie purioris cuiusdam professionis schisma in Ecclesia Romana conflare, & parœchianus Episcopus fieri voluit, ita ait: [k] *Vindex ille Euangelij ignorauit, vnum esse debere Episcopum in Catholica Ecclesia, in qua nescit Presbyteros esse 46, Diaconos septem, Hypodiaconos septem, Acoluthos 42, Exorcistas, Lectores & Ianitores 52, Viduas cum afflictis supra mille quingentos, omnes gratia & benenolentia Domini nutritos; quem ne tanta quidem multitudo, ac tam necessaria in Ecclesia, perq; prouidentiam diuinam tam copiosus & frequens (cleri) numerus,* μετὰ μεγίστης καὶ ἀναριθμήτου λαοῦ, *cum maximo & innumerabili populo, ab hac deplorata præsumptione ad Ecclesiam conuertit & reuocauit.* Tametsi igitur tanta Romæ Christianorum multitudo, tot etiam fidelium Cœtus existerent; (quos Euaristus multò antè diuiserat) vt 46 Presbyteri, pręter 108 inferiores Clericos ad ministrandum ijs tantùm sufficerent; Cornelius tamen euidentèr ait, non nisi *vnam* in ea ciuitate *Ecclesiam*, ac *vnum Episcopum* fuisse, aut esse debuisse. Cyprianus etiam de eodem schismatico, qui Romæ Parochianis vestris Episcopis ascribi voluit, grauitèr & prudentèr affirmat: [l] *Cùm post primum secundus (Episcopus) esse non possit, quisquis post vnum qui solus esse debeat, factus est, non iam secundus ille, sed nullus est.* Nec eo contentus, integrum librum *de vnitate Ecclesiæ* composuit, in quo summatim probat, non nisi vnum in vna Ecclesia ciuitateque Episcopum esse debere; cuius libri processum etsi Pontificij ad Ecclesiam Romanam, occasione schismatis in ea facti, fallacitèr & dolosè traduxerunt, in maximo tamen errore versantur, quandoquidem in genere

i Idem.lib.7. cap.27.

k Euseb.lib.6. cap.43.

l Cypr.ep.52.

de

de omni Ecclesia & Episcopo loquitur, vt ex his verbis initio illius tractatus apparet. [m] *Quam veritatem firmiter tenere & vindicare debemus, maximè Episcopi, qui in Ecclesia præsidemus, vt Episcopatum quoque vnum atque indiuisum probemus. Episcopatus vnus est, cuius à singulis in solidum pars tenetur.* Hoc alibi: *Legem Euangelicam, imò Dei traditionem, & coniunctam Catholicæ Ecclesiæ vnitatem* appellat. [n] *Grauat me*, inquit, *atque contristat, & intolerabilis perculsi, & penè prostrati pectoris mœstitia perstringit, cum vos illic comperissem contra Ecclesiasticam dispositionem, contra Euangelicam legem, contra institutionis Catholicæ vnitatem, alium Episcopum fieri consensisse, id est, quod nec fas est, nec licet fieri, Ecclesiam alteram instituí.* Rursus ait: [o] *Cùm sit à Christo vna Ecclesia per totum mundum in multa membra diuisa, item Episcopatus vnus Episcoporum multorum concordi numerositate diffusus*; (schismaticus iste) *post Dei traditionem, post connexam & vbique coniunctam Catholicæ Ecclesiæ vnitatem, humanam conatur Ecclesiam facere; cumq; iampridem per omnes Prouincias, & per singulas vrbes ordinati sint Episcopi, ille super eos creare alios pseudoepiscopos audet.* Vbi non solùm Episcopos olim ante suam ætatem per vrbes & prouincias constitutos affirmat, sed *Euangelicæ legi, Deiq; traditioni* prorsus attribuit, vt in omni ciuitate regioneque ei adiacente, vnus atque vnicus sit Episcopus: tamen eo ipso tempore, ac multò ante etiam Prouinciæ primarijs ciuitatibus assignatæ erant, vt quemadmodum quelibet Ciuitas & Parœcia proprium Episcopum & Presbyterium habuit, quorum consilio gubernabatur; ita cuique Prouinciæ Metropolitanus erat, qui sicubi grauior aliqua occasio incideret, omnes Prouinciæ suæ Episcopos conuocaret, vt in communi de maioribus Ecclesiæ negotijs deliberarent. De Prouincia sua Cyprianus ait: [p] *Latius fusa est nostra Prouincia: habet enim Numidiam, & Mauritanias duas*; de qua, ante Cyprianum, Episcopi [q] 90; illius etiam ætate [r] 87; & Augustini tempore [s] 217, necdum omnibus præsentibus, conuenerunt.

Frustrà Eusebium huc adduxero, vt Cypriani seculo [t] *Meruzanem Christianorum Episcopum, qui per Armeniam erant*; aut

m Idem, de vnitat. Eccles.

n Epist. 44.

o Idem, ep. 52

p Cypr. ep. 45

q Idem, ep. 45

r In Conc. Carthag.

s In Conc. Affric.

t Euseb. lib. 6. cap. 46.

u Lib. 7. ca. 26 aut tempore Dionysij Alexandrini, u Basilidem τῆς κατὰ πεντα-πολιν παροικιῶν, *Pentapolitanarum Paræciarum Episcopum* pro-

x Euseb. lib. 8. cap. 13. bem; vti etiam aliquantò post x Syluanum τῆς ἀμφὶ τὴν ἐμισαν ἐκ-κλησιῶν, Emissenarum Ecclesiarum, eiúsque nominis alium τῆς ἀμφὶ τὴν γάζαν ἐκκλησιῶν, *Gazensium Ecclesiarum Episcopum* fuisse demonstrat Eusebius; instar multorum testimoniorum esse potest vnum Christianorum exemplum, qui cum ante Diocletiani persequutionem pacem & quietem aliquamdiù nacti fuissent, templorum multitudine, quæ in qualibet Ciuitate extruxerunt, quot & quanti in his Cœtus essent, re-

y Euseb. lib. 8. cap. 10. ipsa declarauerunt. y πῶς δ' ἂν τὶς διαγράψειε τὰς μυριάνδρους τὰς ἐκείνας ὑπερωαγωγὰς, καὶ τὸ πλῆθος τῆς κατὰ πᾶσαν πόλιν ἀθροισμάτων; *Quis infinitas illas aggregationes, ac multitudines cœtuum per singulas ciuitates describat, quorum gratia priscis ædificijs non contenti (Christiani) in qualibet ciuitate spacioſas & amplas ex ipsis fundamentis construxerunt Ecclesias?* Et de Marcello Episcopo Roma-

z Damas. in vita Marcelli. no tempore Maxentij tyranni, scriptum est; z *Hic 25 titulos in vrbe constituit, quasi Diœceses, propter baptismum & pœnitentiam multorum, qui conuertebantur ex Paganis, & propter sepulturas Martyrum.* Nouum ergo, vel Apostolorum ætate, in Ecclesia non erat, vt in vna ciuitate multi fidelium cœtus, multique ad ministrandum ijs Presbyteri, vni licèt Episcopo subiecti existerent; vtque regio ciuitati circumiecta ad eiusdem Episcopi curam atque regimen, ad quem ciuitas ipsa pertineret. Atque hęc vnius Episcopi iurisdictio & potestas in quamlibet ciuitatem, & viculos ac pagos circumiacentes, Eusebio, alijsque scriptoribus Grecis *Paræciæ* nomine appellatur, atque idem planè cum Diœcesi denotat. Ita fit, vt Diœceses Apostolorum temporibus initium habuerint, & ad hunc vsque diem perpetuò in Ecclesia propagatæ fuerint. *Quantacunque Diœcesium antiquitas fuerit, Episcoporum tamen in his dominandi licentia, vt Hieronymus nobis author est, & tituli atque nomina honoris hodiè ijs attributa, nullo modo cum veteri Ecclesiæ disciplina conueniunt.*] Scio vos regentes Episcopos (vt vocatis) molestè ferre; verùm nec quid sint, explicatis; & quando incęperint, planè ignoratis. Si Diœcesanos Episcopos eodem modo dominatum

&

& imperium in populum exercere putetis, quo Parochianos vestros Episcopos velitis, accepto propriè à Christo mandato, cui nec Principi, nec Concilijs Prouincialibus aut Oecumenicis contradicere, aut omninò repugnare liceat; perindè in his ignorantiam vestrã, ac in illis arrogantiam proditis. Neque enim in nostra Ecclesia Episcopis plus iuris tribuitur, quàm per piorum Conciliorum Canones, & Christianorum Principum Constitutiones licet; nempe, vt tam harum, quàm illorum, executionem diligenter promoueant: eoque minimè sibi sumunt, vt Diœcesibus suis leges constituant, quod tamen Presbyterijs vestris in qualibet Parœcia licere contenditis; sed, vt quas pij Principes, aut Synodi & Concilia ritè celebrata decreuerint, executioni mandari faciant. Quòd si tanta vestra sit insolentia, vt nec Principum leges, nec Conciliorum Canones locum obtinere velitis, donec quelibet Parœcia sigillatim his approbationẽ authoritatemque suã adiunxerit, non iam Episcoporum dominationi, sed Principum potestati, & Conciliorum existimationi litem infertis. Nam si leges & decreta eorum exequi non liceat, nec ferre quidem aut statuere licet; imò frustra iussa sua proponerent, nisi executionem etiam haberent. Parochianis Episcopis & Presbyteris vestris ab omnibus Ecclesiasticis legibus solutis, ex solis Scripturis (quæ nullam de his rebus speciatim mentionem faciunt) & suo ipsorum arbitrio iudicare permittitis; atque in his totius Ecclesiasticæ disciplinæ fundamentum collocatis. Sin autem Christianorum Principum constitutiones, & sacrorum Conciliorum Canones omninò ferendos, sed eorum executionem Presbyterio coniunctim credendam putetis; longo vsu & certa experientia in Ecclesia compertum est, aditum hinc ad maximas moras & discordias patere, si nec leges, nec decreta executioni priùs mandentur, quàm Presbyteri omnes vel plures saltem, in qualibet Parœcia ciuitateque assensionem suam his adiecerent. Quocircà in nullo Conciliorum Presbyteris, sed cuiusque loci Episcopo executio Canonum commissa est, vt qui seruatorum vel neglectorum Canonum solus rationem redderet. Quid, quod Hieronymus ipse, quem

quem teſtem in hac cauſa ſæpius produxiſtis, grauiſſimum Epiſcopis teſtimonium tribuit, quàm Eccleſiæ neceſſaria ſit eorum iuriſdictio & poteſtas: [a] *Eccleſiæ ſalus in ſummi Sacerdotis dignitate pendet, cui ſi non exors & ab omnibus eminens detur poteſtas, tot in Eccleſiis efficientur ſchiſmata, quot Sacerdotes.* Nec diuerſum Cypriani ante eum iudicium fuit: [b] *Neque enim aliunde hæreſes obortæ ſunt, aut natæ ſunt ſchiſmata, quàm indè quòd Sacerdoti Dei non obtemperatur, nec vnus in Eccleſia ad tempus Sacerdos, & ad tempus Iudex vice Chriſti cogitatur. Cui ſi ſecundum magiſteria diuina obtemperaret fraternitas vniuerſa, nemo diſſidio vnitatis Chriſti Eccleſiam ſcinderet, nemo ſibi placens ac tumens ſeorſum foris hæreſim nouam conderet.* Idem etiam Tertullianus ſua ætate profitebatur; [c] *Dandi (baptiſmi) ius habet ſummus Sacerdos, qui eſt Epiſcopus: dehinc Preſbyteri, & Diaconi, non tamen ſine Epiſcopi authoritate propter Eccleſiæ honorem, quo ſaluo ſalua pax eſt. Æmulatio ſchiſmatum mater eſt.*

a Hieron. aduerſ. Lucifc.

b Cypr. ep. 55

c Tertul. de Baptiſm.

Si hi ſatis antiqui vel ſinceri vobis teſtes non videantur, audite quid Ignatius Antiochiæ Epiſcopus, Iohanne Apoſtolo etiam dum in vita manente, eiuſque diſcipulus, poſt quem octo ferè annis Martyrio affectus eſt, ad diuerſas Eccleſias de Epiſcoporum authoritate ſcribat, quam vos contumeliosè magis quàm vero nomine, Epiſcoporum *Dominationem* appellatis. Ad Eccleſiam Magneſianam ait; [d] *Decet itaq; ὑμᾶς ὑπακούειν τῷ ἐπισκόπῳ ὑμῶν, & vos obedire Epiſcopo veſtro, & in nullo illi refragari.* Et paulò poſt; quemadmodum *Dominus ſine Patre nihil facit: ſic & vos ſine Epiſcopo, nec Preſbyter, nec Diaconus, nec Laicus. Nec quicquam videatur vobis conſentaneum, quod ſit præter illius iudicium:* τὸ γὰρ τοιοῦτον παράνομον, καὶ θεῷ ἐχθρόν, *quod enim tale eſt, iniquum eſt, & Deo inimicum.* Similiter ad Eccleſiam Philadelphenſem: [e] *Sine Epiſcopo nihil facite: vbi verò Paſtor eſt, eôdem & vos, vt oues ſequamini:* συνυπάρχειτωσαν οἱ πρεσβύτεροι τῷ ἐπισκόπῳ, *Preſbyteri Epiſcopo pareant.* Ad Smyrnenſem etiam ſcribit: [f] *Nefandas hæreſes, & quiſchiſmata faciunt, fugite, vt fontem malorum. Omnes Epiſcopum ſequimini, vt Chriſtus Patrem. Sine Epiſcopo nemo quicquam faciat* τῶν ἀνηκόντων εἰς τὴν ἐκκλησίαν, *eorum quæ ad Eccleſiam ſpectant. Hono-*

d Ignat. Epiſt ad Magneſ.

e Idem ad Philadelph.

f Ignat. ad Smyrnenſ.

nora

nora Episcopum vt Principem Sacerdotum, imaginem Dei referentem. Qui honorat Episcopum, à Deo honore afficietur; sicut qui ignominia afficit illum, à Deo punietur. Nam si is iure censebitur pœna dignus, qui aduersus Regem insurgit: quanto, putatis, grauiori subiacebit supplicio, qui sine Episcopo quid audet agere, concordiam rumpens, & decentem rerum ordinem confundens? Diaconi igitur Presbyteris (ὑποτασσέσθωσαν) subijciantur, Presbyteri Episcopo, Episcopus Christo. Ad Ecclesiam Tarsensem ijsdem ferè verbis; [g] οἱ οὖν ἁγιώτατοι πρεσβύτεροι ὑποτάσσεσθε τῷ ἐπισκόπῳ, *Presbyteri subiecti estote Episcopo. Qui hoc ordinis decorum seruarint, pro eorum animabus ego libens animam oppignoro.* Postremò ad Ecclesiam Trallensem ait; [h] *Episcopo subiecti estote, velut Domino. Necesse est, quicquid facitis, vt sine Episcopo nihil faciatis.* Infinita ferè sunt quę eodem exemplo ex eisdem Epistolis proferri possent; quibus omnibus luce clariùs efficitur, non solùm vnum Episcopum, siue summum Pastorem, in qualibet ciuitate extitisse, vt Christi ipsius literæ ad [i] *septem Angelos* septem Ecclesiarum Asiaticarum Iohannis ministerio perscriptæ testantur; sed quemlibet eiusmodi Angelum, Pastorem, siue Episcopum, summam rerum in Ecclesijs suis administrasse, & Presbyteros iuxtà ac populum infra ciuitates ac Diœceses suas constitutos, consilio & authoritate gubernasse: atque hanc regendæ Ecclesiæ formam ab ipsis Apolis fuisse sancitam. [k] *Reueremini,* inquit Ignatius, *Episcopum, sicut Christum,* καθὼς ὑμῖν οἱ μακάριοι διετάξαντο Ἀπόστολοι, *quemadmodum vobis beati Apostoli præceperunt.* τί γὰρ ἐστιν ἐπίσκοπος, ἀλλ' ἢ πάσης ἀρχῆς καὶ ἐξουσίας ὑπέρκειται πάντων κρατῶν, ὡς οἷόν τε ἀνθρώπου κρατεῖν, μιμητὴν γινόμενον καθ' ὑπεροχὴν χριστοῦ τοῦ Θεοῦ; *quid enim aliud est Episcopus, quàm is qui omni principatu & potestate superior est, quantum quidem homini licet, pro viribus imitator Christi Dei factus?* Quid ergò existimatis? Annon regentes hi, quos dicitis, Episcopi Ignatij tempore in Ecclesia fuerunt, qui tamen Anno 11. Traiani Imperatoris martyrio vitam finiuit, in cuius 3. Imperij anno, vt refert [l] Eusebius, Iohannes Apostolus è vita excessit? Quòd si ita est, vt ex his alijsque eiusdem Epistolis pluspuam manifestum est, iudicet Lector, qua eruditione, veritate, & modestia fanaticam hanc reformationem, seu veriùs deformationem,

g Idem Ep. ad Tarlens.

h Idem Epist. ad Trallens.

i Apoc. 1. 2. 3.

k Ignat. Ep. ad Trallens.

l Chron. Euse. Anno Dom. 103. & 111.

mationem, Ecclesiæ Anglicanæ obtrudere conemini; vt quiuis Presbyter parochianus Episcopi vicẽ in Ecclesia teneat, nec ciuitatis, aut Diœcesis cuiuslibet Episcopus plus iuris in administratione Ecclesiastica habeat, quàm Pastor quilibet rusticanus. *Fortè respondebitis, Ignatij ætate vnumquemque Episcopum Presbyterorum Collegium sibi adiunctum habuisse, quibuscum Synodi more de communibus Ecclesiæ negotijs deliberaret, & quorum sine consilio nihil ageret in Ecclesia.*] Cur illis temporibus cuiusque ciuitatis Episcopus multis Presbyteris opus habuerit, quorum non consilio solùm, sed ope & auxilio pro diuersis fidelium opportunitatibus & angustijs vteretur superiùs à me rationes explicantur. Ignatius autem planè ait, Episcopo eos audientes & subiectos fuisse, nec quidquam sine eo moliri debuisse. Et vtut in consilio cum Episcopo capiendo, cum nondum Synodi conuocari possent, Presbyteri ius authoritatemque haberent, ne, (quod à Christo & Apostolis ipsius toties exagitatur) totius Ecclesię administratio ex vnius Episcopi nutu & arbitrio penderet, quod optimo iure dominatio vocaretur; post quam tamen leges communi consilio decretæ essent, in exequendis eis Presbyteri, etiam Ignatij sæculo, Episcopo parere necesse habebant, non sub deliberationem denuò reuocabant, vtrum his astringi, & quoties, & quandò ipsis, vel amicis suis commodum videretur, decreta sua mutare vellent; quæ prorsus eadem est regiminis formula, quam tanta animi, ingenij, ac virium contentione in nostram Ecclesiam inuehere conamini. Tametsi igitur Ecclesia Christi initio quidem, cum tanta credentium copia non esset, & dum persecutio vndique Ecclesiam vexaret, quorumcunque ope & auxilio, pro temporum ratione, vsa fuerit, veluti in alicubus ciuitatibus, multorum Presbyterorum, nullo dum Episcopo constituto (Apostolis iam tum viuentibus, & Ecclesiæ curam ac regimen à Christo sibi commissam gerentibus) vt anteà multis probaui; postcà verò eorum, qui Episcopo in qualibet ciuitate adiuncti, eique subiecti erant, vt Ignatius locupletissimus nobis testis est; illud tamen nihil impedit, quin fide Christiana per totum orbem propagata, & ab omni maiori ciuitate susceptа, to-

ta

ta Ecclesia multò meliùs ac rectius à tot ciuitatum Episcopis in vnum locum, ac veluti in vnam sententiam conuenientibus, vel literis aut legatis vltrò citroque iudicia sua declarantibus, gubernetur, quàm si singulæ Ecclesiæ aut Parœciæ, id quod vos tantoperè contenditis, sibi priuatim leges conderent, adeoque à Christo ipso summam authoritatem sibi vendicarent, vt nec aliæ Ecclesiæ nec magistratus se opponendi vel interponendi ius haberent, quæcunque demum incideret occasio, aut exigeret necessitas.

Iam verò quòd honos tam verbis, quàm factis, iuxta diuini verbi præscriptum, Episcopis iure attribui, & ab ijs tutò recipi & admitti possit, etsi nec affectari, nec expectari debeat, pluribus à me est aliàs demonstratum, vt nunc repetere non sit opus. Verumtamen vt Lector exploratum habeat, nulla prorsus honoris nomina in Ecclesia nostra Episcopis ascribi, nisi quæ Concilia Prouincialia atque Oecumenica, Proconsules, Præsides, Comites, Iudices, aliæque Christianorum Imperatorum potestates multò antè tribuerunt, & antiquissimi doctissimiq; Patres & Episcopi (Ecclesia pacem obtinente) frequenti iteratione & vsu penè quotidiano receperunt & roborauerunt, non inutile videtur pauca eius rei exempla proferre, omissis cæteris, quæ & infinita sunt, & in re manifesta non necessaria. Primum Concilium Aretalense Constantini tempore habitum, ad Syluestrum Episcopum Romanum scribens ait; [m] *Domino & sanctissimo fratri Syluestro Episcopo.* Concilium Gangrense eodem ferè tempore, ad Episcopos Armeniæ ita scripsit; [n] *κυρίοις πιστοτάτοις ἐν Ἀρμενίᾳ συλλειτουργοῖς, Honoratissimis Dominis consacerdotibus in Armenia.* Alexander Episcopus Thessalonicensis iam senex ad Athanasium scribens, literas suas hoc modo inscripsit; [o] *κυρίῳ ἀγαπητῷ, dilecto Domino, filio & coepiscopo Athanasio.* Et de eodem Alexandro Dionysius (*ὁ κόμης*) *Comes* in literis suis ad Athanasij aduersarios ait; [p] *Arbitror non minimam nostri obtrectandi materiam datum iri, si Dominus meus Alexander actis nostris non videatur suffragari.* Quadraginta septem Ægypti Episcopi, qui Athanasij partes defendebant & contra accusantium calumnias & iniurias fidem suam interponebant,

m Procem. pri. Con. Arel.

n Procem. Conc. Gang.

o Athan Apo. 2.

p Ibidem.

bant, in principio literarum ſuarum ad Epiſcopos in Tyro conuocatos ſcripſerunt, [q] κυρίοις τιμιωτάτοις, *honoratiſſimis Dominis, Epiſcopis Tyri congregatis*; ſimiliter in fine, *Valere vos iubemus*, κύριοι ποθεινότατοι *exoptatiſſimi Domini*. Secundum Oecumenicum Concilium Conſtantinopoli ſub Theodoſio ſeniore habitum, ad Synodum Romanam, in quo Ambroſius interfuit, ita ſcribit; [r] κυρίοις τιμιωτάτοις, καὶ εὐλαβεστάτοις ἀδελφοῖς, καὶ συλλειτουργοῖς, *Honoratiſſimis Dominis, atque religioſiſſimis fratribus & collegis, Damaſo, Ambroſio, Valeriano, Aſtholio, Baſilio, reliquiſq; ſanctiſſimis Epiſcopis in ciuitate Romana congregatis*. Cyrillus Alexandrinus, & Atticus Conſtantipolis Epiſcopus a Concilio Affricano, vbi Auguſtinus erat, rogati vt vera Niceni Concilij exemplaria mitterent, ita reſcripſerunt, [s] κυρίοις τιμιωτάτοις, καὶ ἁγιωτάτοις καὶ μακαριωτάτοις ἀδελφοῖς καὶ συνεπισκόποις, *honoratiſſimis Dominis & ſanctiſſimis ac meritò beatiſſimis fratribus, & coepiſcopis, Aurelio, Valentino cæteriſq; in Concilio Carthaginenſi conſtitutis*. In eodem Concilio Affricano, cui præter Auguſtinum Epiſcopi 216. interfuerunt, primò ad Bonifacium, deinde ad Celeſtinum, Epiſcopos Romanos ita ſcriptum eſt; [t] δεσπότῃ μακαριωτάτῳ καὶ τιμιωτάτῳ ἀδελφῷ Βονιφατίῳ, *Domino beatiſſimo & honoratiſſimo fratri Bonifacio*: Similiter ad alterum, [u] *Domino dilectiſſimo & honoratiſſimo fratri Celeſtino*. Multo plura in Cyrilli, aliorumque ad eum Epiſtolis, loca ſunt, in quibus hæc & huiuſmodi verba occurrunt, [x] τῷ κυρίῳ μου ἀγαπητῷ, & τῷ δεσπότῃ μου τῷ ἁγιωτάτῳ, *dilectiſſimo Domino* & *ſanctiſſimo Domino*. Et beatus Auguſtinus in omnibus ferè Epiſtolis ad eum, & ab eo ſcriptis, nullo alio honoris nomine vtitur, præterquam Domino, cum ſimilibus appellationibus iuxta ſcribentis arbitrium ei adiunctis, vt [y] *Domino verè ſancto, & beatiſſimo Papæ* (quæ Hieronymi ad Auguſtinū ſalutatio eſt,) aut [z] *Domino meritò venerabili, & vnicè colendo Patri*: quibus nominibus Macedonius Iudex Imperatorius, alijque non inferiori loco Auguſtinum in Epiſtolis ſuis ſæpius appellarunt.

Quod ſi quis fortè his occurrat, *Dominum* pro eo etiam ſumi poſſe, quem vulgò *Magiſtrum* appellamus: præterquàm quòd Græcum nomen κύριος, & Latinum *Dominus*, nullum

q Ibidem.

r Theod. lib. 5. cap. 9.

ſ Con. Afr. ca. 137. & 138.

t Eiuſd. Conc. ca. 136.

u Eod. c. 139.

x Acta Conc. Epheſ. c. 20. 21 22. 23. 24. 84. 86. 87. 119. 121

y Inter Epiſt. Augu. 11. 13. 14. 17. 18. 25. 30.

z Epiſt. 53. 51.

nullam eiusmodi differentiam aut significationem admittant; *Domini* appellatio eadem est, quam *Augustinus* [a] *Senatoribus*, [b] *Comitibus*, [c] *Præsidibus*, [d] *Proconsulibus* & maiori potestate præditis quibuscunque ascribit; imò hæc in vtraque lingua nomina sunt, qua Principibus, Christo, atque Deo ipsi attribuuntur: vbi neminem adeò ineptum, seu potiùs impium esse suspicor, vt magistri titulo Principem, Christum, aut Deum velit insigniri: vt enim Dominus Deus rectissimè dicitur, ita magister Deus absurdissimè. Quid, quòd nomen [e] *Magistri* apertiùs in Scripturis prohibetur, quàm *Domini*? *Magistris* etiam aut *Heris* (secundùm vernaculum loquendi vsum) serui ac ministri opponuntur, quã subiectionem Christianos Episcopis suis deferre non decet. Quandoquidem igitur vxores & minores quicunque [f] *viros suos & fratres natu maiores* & [g] *Dominos* appellare iubentur; quanto magis honorem hunc à filijs parentibus suis præstari oportet? Et si honos, isque duplex, patribus, qui in Christo nos genuerunt, iure deberi censetur, libenter à vobis scirem cur non honos verbis, æquè ac factis, Episcopis & Pastoribus haberi debeat; præsertim cum Christus ipse 1 *Lucis & salis terræ, imò* 2 *Stellarum & Angelorum* nominibus eos dignari voluerit, quibuscum *Dominorum* appellatio in terris nullo modo est conferenda. *Necessitati quam prætenditis Diœceses retinendi, quo parœciæ rusticanæ per Episcopos & Presbyteria Ciuitatum non solùm gubernentur, sed quoties opus fuerit, Pastores sibi sortiantur, nullo negotio occurri potest. Nam in qualibet parœcia laicos Seniores cum Pastore coniungi volumus, quorum quidem consilio, vt Ambrosius ait, omnia in Ecclesia peragerentur. Priore autem Pastore defuncto, populo eiusdem Parœciæ, ad quos iure diuino pertinet, alterius Electionem deferendam censemus. Neque hoc loco prætereundum est, multò grauiora nos testimonia pro electione Episcoporum per populum habere, quàm vos pro regimine eorum proferre possitis. Scripturæ planè à nobis sunt; Patres sæpè & apertè; perpetua denique Ecclesiæ consuetudo ita prorsùs nobiscum facit, vt nihil actum ab ea in contrarium probetur. Quo fit, vt Episcopi vestri, cum à populo electi non fuerint, veri Pastores non omninò videantur.*] Scio vos Epi-

a Epist.o.134.
b Epi.70. 129.162.
c Epistola 60.
d Epi.127.
e Math.23. ver.8.
f 1.Pet.3.
g Genes.27. ver.29.
1
2

ſcopalis regiminis neceſſitatem nullo alio effugio declinare poſſe, præterquam laicis veſtris Presbyterijs; & proindè aut ad ea adhærere, aut formam regendi Eccleſiam per Epiſcopos *Catholicam & Apoſtolicã* eſſe fateri cogimini; quod ſentio quàm moleſtum vobis eſſet futurum. Verùm quàm abhorrens à verbo, & Eccleſia Dei ſit, ſemperque fuerit, vt laici quicunque Seniores manus imponerent, aut Paſtorales & Eccleſiaſticas actiones gubernarent, anteà exploratum, & eòdem reuerti nihil eſt neceſſe. Libenter quidem Ambroſio hæc affingeretis: Verùm ex omnibus Patribus is minimè idoneus eſt, qui laicis Presbyterijs aduocatus veniat: ita prorſùs ea velut ſpinas ad calcem hærentes reuellit ac reijcit. Si non creditis Ambroſio publicas Romanorum leges aduerſus laicos hos Presbyteros citanti, at credite palàm eos in Concilio oppugnanti; [h] *Sacerdotes*, inquit, *de laicis iudicare debent, non laici de ſacerdotibus*; & contra *Palladium* hæreticum ſententiam dicenti, dum ait, [i] *Erubeſcimus, vt videatur, qui Sacerdotium ſibi vendicat, à laicis eſſe damnatus; in hoc ipſo damnandus, quòd laicorum expectat ſententiam, cum magis de laicis Sacerdotes iudicare debeant.*

h Concil. Aquil. in condem. Pallad.
i Ibidem.

Iam verò quam vim habeat ratio veſtra, qua Epiſcopos & Presbyteros noſtros nullos eſſe contenditis, quia non à populo cuiuſq; loci electi; ſed à Principe deſignati, & à patronis Epiſcopo ſint oblati, ſequens capitulum pleniùs demonſtrabit.

CAP. XV.

Ad quos electio Epiſcoporum & Preſbyterorum propriè pertinet, & an iure diuino plebs Paſtorem ſibi eligere debeat?

POpularium electionum defectus non minima vobis querela & exceptio eſt, quam aduerſus huius Regni Epiſcopos interponitis; quæ tamen concertatio, non tam officium ac munus Epiſcoporum attingit, quàm Principis ipſius prærogatiuam. Si enim fixum

fixum & firmum teneremus, fas non esse vt populus Pastorem suum eligeret, nonnihil contra nos prætendere saltem possetis: nunc cùm nihil eiusmodi à nobis dicatur, vos verò magis eo sitis animo, vt Principi ius non esse putetis nominandi quos maximè probat Episcopos, sine populi consensu & suffragijs; non tam nobis repugnatis, quàm Principis ipsius facta & iura in quæstionem vocatis. Humani iuris perfugio non vtor, vt inde vim rationum aut authoritatem vestrarum declinare videar; sed quo vobis in memoriam reuocem, si quod in lege sit erratum, id non Episcoporum regimini aut muneri, sed legis ipsius latoribus est ascribendum. Nihilominùs, vt liberè dicam quod sentio, multo potiores & latæ & ratæ legis rationes inuenientur, quàm vos eius minuendæ aut mutandæ, proferre possitis. Illa enim tempestate, quum cæcitas & superstitio totius populi sensus & voluntates intimè peruasissent, & plenè possedissent, (vt Papismo regnante fieri solet) Princeps qui potuit veram religionem restituere, & Ecclesiam in seruitutem datam liberare, si populo passim cooptandi sibi Pastores ex sua sententia facultas fuisset? Prima igitur legis occasione rectè, ac piè se habente, quo fundamento nititur vestra tanta cum acerbitate dissensio? [a] *Cyprianus de diuina ordinatione descendere ait, vt plebs Pastorem suum eligeret; & sic esse secundum diuina magisteria: Idem in Actis Apostolorum obseruabatur, in electione Matthiæ, & septem Diaconorum.*] Illis exemplis superiùs à me satisfactum est. Scriptum non est Matthiam & Collegam ipsius à multitudine electos fuisse; Apostolum ab hominibus constitui nefas erat, vocatio ipsius à nemine debuit proficisci præterquàm ab ipso Deo. Quinimo Scripturæ contextus ita inquit, [b] *Tu Domine, qui corda omnium nosti, ostende vtrum elegeris ex his duobus, vt accipiat sortem Ministerij huius & Apostolatus.* Hinc ergò nihil concludi potest. Et quod attinet ad electionem septem illorum in Actis Apostolicis, Epiphanius ait, [c] *De septuaginta Discipulis erant* οἱ ἐπι τῶν χηρῶν τεταγμένοι *(septem) illi viduis præfecti.* Concilium sub Iustiniano habitum verba Chrysostomi in eum locũ citans ad hunc modum concludit:

a Cypr. lib. 1. Epistola. 4.

b Act. 1.

c Epiphan. l. 1. tom. 1. de aduent. Christi in carnem.

d Concil.in Trullo, sub Iustin.can 16.

d *Nos Apostolico dicto mentem Patrum adaptantes, inuenimus sermonem ipsis esse non de viris, qui ministrant mysterijs, sed de ministerio, quod in vsu mensarum adhibebatur*; Hæc interpretans Ecclesiæ Doctor Iohannes Chrysostomus, sic explicat, *Qualem autem dignitatem & quam ordinationem susceperint, necessarium est discere. Nunquid Diaconorum? verùm hoc in Ecclesijs non est; quamobrem perspicuum & manifestum arbitror neque Presbyterorum, neque Diaconorum nomen esse. His de causis nos quoque denunciamus, vt prædicti septem ministri non eligantur vt mysterijs inseruiant, secundum iam explicatum doctrinam, sed tales sint qui suscipiant administrationem communium negotiorum eorum, qui congregati sunt, ac sint nobis typus humanitatis & studij circa egenos.* Hieronymus huc spectans,

e Hieron. ad Euagr.

Diaconum[e] *mensarum & viduarum ministrum* appellat. Concilium quartum Carthaginense iubet, vt[f] *cum Diaconus ordinetur, Episcopus solus manus super caput illius ponat, quia non ad Sacerdotium, sed ad ministerium consecratur.* Postremò vos ipsi nihil Diaconis nisi pauperum curã in Ecclesia mandatis; veluti persuasi, septem hisce nihil aliud oneris impositum ab Apostolis fuisse. Vos igitur hac electione inniti ex vestris ipsorum regulis non potestis. Et reuera quandoquidem electi non erant, vt Presbyteri essent, & Verbi ac Sacramentorum dispensatores, quid firmamenti ex eorum electione per populum, ad similem delectum Presbyterorum & Episcoporum extorquendum depromere possitis, non video. *Vos prædicandi ac baptizandi licentiam ijs tribuitis: aduersus vos igitur valet argumentum.* Prima quidem Ecclesia hanc potestatem ijs extrema imminente necessitate concessit, scilicet vbi Presbyteri præstò non fuerunt; aliàs neque à nobis, neque ab illis Presbyteri & Ministri Verbi ac Sacramentorum sunt constituti. g *Dandi Baptismum*, inquit Tertullianus, *ius habent Presbyteri, & Diaconi, non tamen sine Episcopi authoritate.* Scribit Hieronymus, h *in viculis & remotioribus locis Presbyteros & Diaconos quidem baptizasse, non tamen sine Episcopi iussione.* Et Gelasius: (*Iubemus*) i *Diaconos propriam constitutionis seruare mensuram, nec vltra tenorem paternis Canonibus deputatum quippiam tentare. Absque Presbytero vel*

f Concil.4. Carthag. 4. c.

g Tertull. de Baptismo.

h Hieron.ad. uer Lucifer.

i Gelas. Epis. per Lucan. & Sicil.constitut.§ 9.

Episcopo

Episcopo (Diaconus) baptizare non præsumat, nisi prædictis fortassis officijs longiùs constitutis, necessitas extrema compellat. Ecclesia Romana non aliter ijs Baptismum dare permisit, quàm laicis; nempè, deficientibus alijs. Ad me verò quod attinet, tametsi Lucas in Actis nomen Diaconorum ijs non ascribat; & Chrysostomus etiam planè existimet, [k] *nec Diaconos, nec Presbyteros* illos fuisse, cuius iudicio Concilium in Trullo assentitur; ex præceptis tamen Pauli instruentis nos, quas conditiones in Diaconis futuris requirit, largiri possum, Diaconorum officium fuisse, non solùm vt pauperum curam agerent, sed vt sacris Ecclesiæ conuentibus, & diuinis rebus inseruirēt, ac veluti gradus quidā esset ad Verbi Ministerium, eorum vocatio. Ignatius Heroni Antiochiæ Diacono ait; [l] *Nihil sine Episcopis facito. Sacerdotes enim sunt, tu verò Sacerdotum minister. Illi baptizant, sacra mysteria conficiunt,* χειροτονῦσι, χειροθετῦσι, *manus ad ordinandum confirmandúmque imponunt: tu verò illis ministras, vt sanctus ille Stephanus Iacobo, & Presbyteris, qui erant Hierosolymis.* Idem ferè Cyprianus; [m] *Diaconos post ascensum Domini in cœlos Apostoli sibi constituerunt Episcopatus sui & Ecclesiæ ministros.* Iustinus Martyr centum annis ante Cyprianum, de suo seculo refert; [n] *Postquam Præsidens gratiarum actionem perfecit, & omnis populus assensus est, qui apud nos vocantur Diaconi, distribuunt vnicuique præsentium, vt participet panem, vinum & aquam, super quibus gratiæ sunt actæ, & ad absentes deferunt.* Concilium Ancyranum Diaconos qui tempore persecutionis idolis sacrificassēt, [o] πεπαῦσθαι πάσης τῆς ἱερᾶς λειτουργίας, μήτε ἄρτον ἢ ποτήριον ἀναφέρειν ἢ κηρύσσειν, *cessare ab omni sacro ministerio* (iussit) ita vt *nec panem nec calicem porrigerent, nec palam ad populum verba facerent (dum preces peragerentur.)* Ita enim verbum κηρυσσειν interpretor, non prædicare, sed populo *silentium, attentionem,* & *deuotionem* imperare, quod Diaconis in more fuit inter diuina ad mensā Domini celebranda. Quicquid illis erat officij, certo certius est, eos Presbyteros ac Ministros verbi & Sacramentorum non fuisse; ac proindè ab electione septem illorum in Actis, generalem & indissolubilem regulam circa electionem omnium Presbyterorum

k Chrysost. hom. 14. in Actis Apost.

l Ignat. ad Heroni Antioch. Diacon.

m Cypr. lib. 3. Epistola 9.

n Iustin Apol. 2. ad Antoninum pium.

o Concil. Ancyr. can. 2.

terorum & Episcoporum ad finem vsque seculi deducere, ab omni tum ratione tum veritate prorsus abhorret. *Vobis quidem pro nihilo est; Cyprianus tamen satis argumenti esse censuit,*
p Cypr. l ib. 1. epist. 4. *cur diuinæ ordinationi ascriberetur. Ipsius verba accipietis.* p *Ipsa (plebs) maximè potestatem habet vel eligendi dignos Sacerdotes, vel indignos recusandi. Quod & ipsum videmus de diuina authoritate descendere, vt Sacerdos plebe præsente sub omnium oculis deligatur, & dignus atque idoneus publico iudicio ac testimonio comprobetur; Sicut in Numeris Dominus Moysi præcipit,*
q Num. 20. *dicens:* q *Apprehende Aaron fratrem tuum, & Eleazarum filium eius, & impones eos in montem corã omni Synagoga, & exue Aarõ stolã eius, & indue Eleazarũ filiũ eius; Corã omni Synagoga iubet Deus constitui Sacerdotem, id est, instruit & ostendit ordinationes Sacerdotales non nisi sub populi assistẽtis conscientia fieri oportere, vt plebe præsente vel detegantur malorum crimina, vel bonorum merita prædicentur; & sit ordinatio iusta & legitima, quæ omnium suffragio fuerit examinata. Quod posteà secundùm diuina magisteria obseruatur in Actis Apostolorum, quandò de ordinando in locum Iudæ Episcopo, Petrus ad plebem locutus est. Nec hoc in Episcoporum tantùm & Sacerdotum, sed in Diaconorum ordinationibus obseruasse Apostolos animaduertimus. Quod vtiq; idcirco tam diligenter & cautè, conuocata plebe tota gerebatur, ne quis ad altaris ministerium, vel ad Sacerdotalem locum indignus obreperet. Propter quod diligenter de traditione diuina, & Apostolica obseruatione obseruandum est & tenendum, quod apud nos quoque, & fortè per prouincias vniuersas tenetur, vt ad ordinationes ritè celebrandas, ad eam plebem, cui Præpositus ordinatur, Episcopi eiusdem prouinciæ proximi quique conueniant, & Episcopus deligatur plebe præsente, quæ singulorum vitam plenissimè nouit, & vniuscuiusque actum de eius conuersatione perspexit. Insignis admodùm locus est, cuius partem aliquam, etsi aliquandò prolixiorem, delumbare nolui.*] De verbis quidem æquè tibi renuncianti, si verum dixisses, ac repetenti credidissem. Rectè autem feceris, qui rem omni scrupulo, me aliquo labore, ea transcribendo liberasti. Iam igitur nihil opus est, nisi vt te ad tuam ipsius narationem remittam.

Diu multumq; mecum cogitaui, quid esset quod tantã vobis

bis opinionem de hoc loco Cypriani commoueret; nec quicquam omninò potui animaduertere, vel in illis Scripturarum exemplis teſtatum, vel in ea, quam pro huiuſmodi electione adhibet, ratione demonſtratum, vel æſtu verborum illorum, quibus ſummatim hæc colligit, comprehenſum, quod vobiſcum faceret, aut veſtram firmaret ſententiam. Loca Scripturarum propoſito veſtro prorſùs non inſeruiunt: Eleazar non eſt electus à populo, ſed nominatim à Deo vocatus, atque ab eo ſolo. Verùm opinor allegationem iſtam ipſi vos, vt errore, ſi non falſitate reſperſam miſſam facietis. Nihil enim verborum in illo contextu, nihil rerum, cuiuſmodi citat Cyprianus, reperitur. Deus Moſen allocutus eſt, vt, [q] *Aaronem & Eleazarem filium eius in montem Horem aſcendere faceret* (quò neque conſuetum, neque licitum erat populum aſcendere) atque ibidem *veſtibus ſuis Aaronem exueret, & Eleazarem filium eius eiſdem indueret.* [r] *Et aſcenderunt tres illi in montem Horem ante oculos totius cœtus (infra commorantis)* & [s] *Moſes & Eleazar (Aarone in vertice montis è vita migrante) de monte illo deſcenderunt. Vnde totus cœtus expiraſſe Aaronem ſentiens, fleuit eum triginta diebus.* Populus nec verbo, nec facto, ſe in eligendo Sacerdote interponebat; Eleazar veluti primogenitus aſſumptus eſt à Deo, qui in patris locum ſufficeretur. Hinc colligere licet primogenitum à Deo quidem prælatum fuiſſe, vt patri in ſacro munere ſuccederet; non à populo electum fuiſſe, penes quem non erat ſtatuere, quis coram Arca ſtaret, & in templo Dei miniſtraret.

q Num.20. v.25.26.

r Num.20. v.27.

s Ver.28.29.

Electio Matthiæ tantundem pro vobis facit, quantum Eleazaris indumentum. Sæpius admonui (vtì etiam vos poteſtis meminiſſe) populo nihil plus iuris in deligendo Apoſtolo fuiſſe, quàm priùs in Sacerdote. Omninò enim neceſſe fuit Matthiæ vocationem à Deo, non ab hominibus proficiſci; fideles omnes eum fuiſſe, cui Deus locum Judæ addixiſſet, agnouerunt, non elegerunt. Apoſtolorum preces apud Lucam ſunt ex hac parte luce clariores, [t] *Tu Domine oſtende, vtrum elegeris ex his duobus, vt accipiat ſortem Apoſtolatus.* De electione ſeptem illorum apud Acta ſermo mihi frequentior

t Act.1.ver.24. 25.

quàm vellem; nec vestræ memoriæ tantoperè diffidam. Minimè estis obliti verborum Apostolorum ad populum; [u] *Non est æquum nos derelicto sermone Dei, ministrare mensis.* Mensam certè Dominicam non intellexerunt; illius curam minimè à se amandarunt Apostoli: verùm quia Græcorum murmur erat, *contemni viduas ipsorum in ministerio quotidiano*, hanc curam duodecim commiserunt ijs, quos probare & eligere populo videretur. Quid ex his Scripturis colligi possit, iudicent quibus plus est ingenij & intelligentiæ: ego non sum tam acutus & perspicax, vt videam à vestris partibus quid faciat.

u Act.6.ver.2

Verùm nec Cyprianus hæc exempla eò profert, vt electionem Episcoporum iure diuino populi suffragijs vendicaret; ex præcedentibus nihil eiusmodi consequens esse facilè sensit: atque ideò populi solùm præsentiam ex illis Scripturarum locis deriuat, vt de vita ac moribus eligendi testimonium ferrent, ne alioquin improbi & indigni ad Episcoporum sedes latenter obreperent. Ait enim de diuina autho-
x Cypr lib.1. ep.4. ritate descendere; [x] *vt Sacerdos plebe præsente deligatur, nec ordinationes fieri oportere, nisi sub populi assistentis conscientia.* Quorsum verò populus præstò esse debeat, his proximis verbis declarat vt vel bonorum *merita prædicentur, vel malorum crimina detegantur*, scilicet per præsentiam plebis, *quæ singulorum vitam plenissimè nouit, & vniuscuiusque actum de eius conuersatione perspexit.* Tametsi autē testimonijs illis Cyprianus non efficiat, vt populi præsentia iure diuino mandata videatur in electionibus Episcoporum, probanda tamen eius est sententia non solùm veteris Ecclesiæ instituto, sed præceptis etiam Apostolicis admodum consentiens. Di-
y 1.Tim.3.7. cit enim Paulus, [y] *Oportere Episcopum testimonium habere bonum ab his, qui foris sunt*; quanto magis à fratribus, & ijs qui eiusdem consortes sunt fidei? Et iterum; *non vinolentum, non percussorem, non litigiosum, non turpi lucro deditum, non auidum pecuniarum*; *sed qui domui suæ benè præsit, & liberos suos in subiectione contineat*: Quasi dixisset, cuius anteactæ vitæ rationem Ecclesia tota non potest non laudare, & aduersarius nullo modo coarguere. Hinc tamen inferre non licet, primariam

mariam aut neceſſariam eligendi poteſtatem iure diuino populi ſuffragijs fuiſſe conceſſam; eiuſmodi quicquam, non dico vos, ſed mortalium nemo poteſt ex ſacris literis demonſtrare. Nunquam, quod legimus, hunc eligendi modum Paulus aut præſcripſit, aut retinuit, vt ſuprà Capite ſeptimo vberior mihi de eo diſſerendi fuit occaſio. Quapropter quoniam plebi ſuos Epiſcopos eligendi ius eſſe, nec Apoſtolico præcepto, nec exemplo accepimus, difficilior, quomodo mihi perſuadeo, vobis ex Scripturis erit popularium electionum probatio. *Satis multa nobis noui Teſtamenti ſuperſunt exempla, licèt ea vos deprimere & eludere conemini. Ad hæc perpetua primæ Eccleſiæ authoritas nobis ſuffragatur, hanc noſtram illorum locorum interpretationem diuinæ veritati conſentaneam eſſe. Interdum etiam Catholicum Eccleſiæ morem Patrumq́, expoſitiones laudatis, magniq́, facitis, quoties videntur vobis inſeruire; quas, vbi aduerſantur, pari cum facilitate reijcitis.*] Ne ſitis iniurij; nihil eorum recuſamus, quæ prima & antiqua Chriſti Eccleſia, tanquam apertè vel tacitè comprehenſa in Scripturis generatim vnquam approbauit, vel vſurpauit. Mos iſte veſter eſt, vt nullas ante vos Eccleſias, Concilia, aut Patres quicquam in verbo Dei vidiſſe, quod ad Eccleſiæ diſciplinam pertinet, exiſtimetis. Si ex Scripturis aliquam eiuſmodi concluſionem pro populari Epiſcoporum electione, qualem vos excogitaſtis, Catholica Chriſti Eccleſia deprompſerit, nihil hæſitantes eam amplexamur; ſin minùs, oſtentatione veſtra tantiſper ſuperſedete, donec rationes etiam, quibus veſtri conatus confirmentur, proferatis: interim, vt ſpero, calor iſte veſter deferueſcet. Teſtem quendam produxiſtis, qui & ſuo more diſertus, & in eo quod vult, acerrimus eſſe ſolet; ſed deficit eum probatio, ſi errore manifeſto non tenetur. Quin etiam nihil aliud ei propoſitum fuit, quàm vt populi præſentiam ac teſtimonium ad approbandos eligendorum mores haberet; ipſe tamen confitetur, id vbique non obſeruari; licet in cauſæ ſuæ patrocinium addat, *Apud nos, & ferè per prouincias vniuerſas tenetur.* [*Tota Eccleſia deinceps eundem in eligendis Epiſcopis ordinem tenuit.*] Quem ordinem Catholica

Chriſti

Christi Ecclesia seruarit, facilè videbimus; sed ea demùm erit quæstio, vtrum de præcepti necessitate, quod nec Prælatis, nec Principibus fas sit violare, populi suffragia requisiuerit; an potiùs eo eligendi modo, veluti adiumento quodam ad pacem Ecclesiæ conseruandam, & studium populi erga Pastores suos conciliandum maximè idoneo, vsa fuerit? Præstat igitur primùm dispicere quibusnam Spiritus sanctus harum electionum onus atque curam imposuerit; deindè quam in eligendo libertatem magistratibus & populo cuiusque Prouinciæ ciuitatisque diuina permiserit sapientia. Hæc si rectè examinemus, nullo modo circa Dei ordinationem errare aut vagari possumus.

Apostolus ad Timotheum ac Titum scribens, primùm docet, quales esse eos oportet, qui ad Episcopi officium eliguntur; tum verò ordinantibus denunciat, alienorum peccatorum eos omnes esse participes, quotquot indignos hoc munere promouerint; [z] *Manus citò nemini imponito, neque communicato peccatis alienis; purum seruа teipsum.* Hieronymus in hæc verba. [a] *Audiant Episcopi, qui habent constituendi Presbyteros per vrbes singulas potestatem, sub quali lege Ecclesiasticæ constitutionis ordo teneatur; nec putent Apostoli verba esse, sed Christi; ex quo manifestum est, eos qui Apostoli lege contempta Ecclesiasticum gradum non merito voluerit deferre sed gratia, contra Christum facere.* [b] *Paulus*, inquit Chrysostomus, *de Episcopatus officio dicturus, indicat cuiusmodi esse Episcopum deceat; neque id quasi Timotheum admonens dicit, sed vt omnibus simpliciter loquens, ac per illum, quid conueniat omnibus, dictans.* Idem rursus in hæc verba Pauli, *Denuncio tibi coram Deo, ac Iesu Christo, & electis eius Angelis, vt hæc serues*; *Paulus* (inquit) [c] *discipulum terret; vbi verò hæc dixit, illud intulit quod omnium maximè periculosum est, & in primis Ecclesiam continet,* τὸ περὶ χειροτονιῶν, *de ordinationibus scilicet: Manus, inquit, citò nemini imponas, neque communices peccatis alienis. Quid sibi vult citò? non ex prima statim probatione, nec secunda, nec tertia; sed vbi consideratio diuturna præcessit, exactissimaq; discussio. Neque enim ea res periculo caret. Eorum quæ ille peccauerit, tu quoque pœnam lues, qui præfecturam dedisti; etiam delictorum præ-*

z 1. Tim. 5.

a Hieron. in 1 cap. ep. ad Tit

b Chrysost. in 1. Tim. ho. 10.

c Chrys. in 1. Tim. hom. 16

præcedentium. Qui enim intempestiuè prima remisisti, futurorum eris reus, vtpote qui (eorum) causa fuisti; (similiter) quoque præteritorum, vt qui ea defleri non siueris, neque vel ad compunctionem venire. Ambrosius etiam, [d] *Contestationem deponit apud Deum Patrem, & Christum Filium eius, & electos Angelos. Sub testatione ergo, ea quæ ad Ecclesiæ ordinationem mandat custodiri, præcipit nihil fieri sine præiudicio, ne facilè aliquis accipiat Ecclesiasticam dignitatem, nisi priùs de vita & moribus eius fuerit disputatum, vt dignus & approbatus Minister aut Sacerdos constituatur: nec illum, cuius peccata veniant ad suspicionem, ordinandum, ne commaculetur ordinator vitijs & delictis eius.* Oecumenius, vbi Paulus ad Timotheum ait, *Petieram abs te vt Epheſi maneres*, adijcit; [e] ἐνταῦθα δὲ αὐτὸν ἐπίσκοπον κεχειροτονήκει, *ibi eum Episcopum ordinauerat.* [f] *Non solùm Timotheum, sed & omnem per hoc admonet Episcopum. Manus citò nemini imponas.*] [g] *De ordinationibus agit Paulus; ad Episcopum enim scripsit, Neque communices alienis peccatis, indignum populo Episcopum præficiens.* Primasius similiter, [h] *Timotheus Episcopus fuit discipulus Pauli: huic per literas authoritatem dat corrigendi omnem Ecclesiasticam disciplinam, & Episcopos & Diaconos ordinandi:* & iterum, [i] *In ordinationibus malorum particeps est peccatorum qui tales constituit. Communicari dicit (Paulus) peccatis eius, qui non probatus ordinatur.* Periculum Episcopos & Presbyteros ordinandi, Paulo teste, illis omninò impendet, qui manus ijs imponunt; penes eos ergo iure diuino, & probandi dignos potestas, & indignos recusandi esset libertas. Quemadmodum enim sine illis nulli ordinari possunt; ita si gratia, non merito, manus cuiquam imponant, à peccatis eius non erunt immunes.

d Ambr. in 1. Tim. cap. 5.

e Oecum. in 1. Tim. cap. 1.

f Idem, in 1. Tim cap. 5.

g Idem, in 1. Tim. cap. 5.

h Primas. præfat. in 1. Tim.

i Idem in 5. cap. 1. Tim.

Præter ea quæ dicta sunt, nulla de electionibus Episcoporum in Scripturis mentio habetur, nisi quòd Timotheus (vt ex Pauli verbis Patres annotarunt) Episcopus per Prophetiam electus sit, id est, non humanis suffragijs, sed diuino Oraculo & mandato: vndè eruditè Oecumenius, [k] πνεύματος γὰρ προστάξει ἐγίνοντο οἱ ἐπίσκοποι, καὶ ὁ χύδην: *Spiritus enim iussu instituti sunt Episcopi; non passim (vel solutè.)* Et Theodoretus,

k Oecum. in 1. Tim. cap. 4.

Re-

l Theodor. 1. Tim. cap 4. *l Reuelatione diuina hunc ordinem accepisti.* Quibus Chrysostomus etiam suffragatur. m *Paulus vt Timotheum excitaret, admonet eum, quis illum elegerit atque ordinauerit, ac si apertiùs dicat; Deus ipse te elegit, ipse tibi Ecclesiam credidit, οὐκ ἀνθρωπίνῃ γέγονας ψήφῳ non te humanū promouit suffragiū.* Idem Theophilactus: n *Apud veteres Prophetarum vaticinio & iussu (hoc est, per Spirituin sanctum) Sacerdotes mox creabantur. Sic itaque & Timotheus in Sacerdotem electus est.* His Ambrosius consentire videtur. o *Prædestinatus est enim Timotheus, quando ad hoc ab Apostolo assumptus est, vt ordinaretur, dignus iudicatus futurus Episcopus.* Atque hunc opinor eligendi modum Apostolorum temporibus in vsu fuisse, Spiritu ijs præmonstrante, quibus manus imponi vellet; aliam Pastorum & Doctorum electionem in sacris literis traditam non inuenio. Nec me præterit, Episcoporum electionem aliquot sequentibus seculis communibus populi suffragijs in veteri Ecclesia fuisse celebratam; in Scripturis verò nusquam illius vestigium apparet. Tametsi ergò ius & mos populi in huiusmodi electionibus forsan æquitatis & societatis fundamento niti videatur, (quum adhuc nullus esset magistratus Christianus) nihil tamen in lege diuina de his rebus actum aut definitum est plusquam dixi, nempè Episcopos, qui ordinant, animarum suarum periculum subire, si vitam, & doctrinam eorum accuratè non perpendant, quos manuum impositione gregis Christi duces & magistros constituunt.

m Chryso. ho. 5. in 1. Tim. 1

n Theoph. in 1. Tim. c. 1.

o Ambros in 1. Tim. cap. 1.

Quum dico populum ius eligendi sibi Episcopum authoritate diuina vendicare non posse, nihil eiusmodi in Scripturis traditum aut præceptum intelligo: quo fanaticorum quorundam his nostris diebus commentis occursum volo, Episcopos & Presbyteros nostros propterea veros non esse Pastores contendunt, quòd populi suffragijs electi non fuerint. Ex quo confici putant nulla esse Sacramenta nostra, nullam Ecclesiam, quæ apud nos est; adeoque regnum hoc totum in maxima religionis confusione immersum omni salutis certitudine prorsus destitui: quorum ego insaniam potiùs à magistratu castigandam quàm doctrina refutandam esse censeo, cum authores ipsi non eruditionis solùm, quam con-

contemnunt, sed rationis etiam expertes sint, qua, quid ex aduerso proferatur, perpendant. Alioquin verò (tacente Spiritu sancto) cuiuis Ecclesiæ ac populo (quibus consensu, more, vel lege prohibitum non est) iure diuino liberum esse fateor, ne quem admittant, aut suis sumptibus alant, nec omninò ei tanquam Pastori morem gerant, in quem ipsi priùs non consenserint. Atque hac ratione popularis electio per se, vel rectores suos, ab ipso humanæ societatis & communionis firmamento profluere videtur. Quamobrem licèt iure diuino ad Episcopos spectet, priùs probare atque ordinare eos quàm animarum curam in se suscipiant; non tamen Pastorem cuiuis Ecclesiæ imponere possunt, aut inuitam cogere, vt eum, quem nolit, obedientia & officio prosequatur. Iam verò quantum authoritate regia, consuetudine, & consensu ab ea libertate detrahi possit, quam ius diuinum in medio relinquit, posteà dicetur, vbi certum & exploratum fuerit, quem ordinem prima Ecclesia in Episcoporum & Presbyterorum suorum electionibus seruarit.

Ecclesiæ Christianæ duplici olim via Episcopos & Presbyteros sibi comparabant; Electione, & Postulatione. Mortuo ciuitatis alicuius Episcopo, cuius Ecclesia Clericis ad succedendum idoneis abundabat; p *Episcopi eiusdem Prouinciæ proximi quique conferentes*, diem ad conueniendum sibi præstituebant, eumque Presbyteris ac plebi significabant. Quem ad diem Clero ac populo in templo congregatis, tot Episcopi quot commodè poterant, (absque tribus autem nihil perficere licuit) ad eum locum aduenientes, quem Clerus nominaret, ciuitasque approbatione & consensu laudaret, cognitionem ceperunt. Si omnes, vel maior pars cuiusque ordinis in vnum aliquem consensissent, is electus renunciabatur, atque alius dies ad ordinandum eum præfinitus erat, Episcopis nomen ordinandi ac tempus valuis Templi affigentibus, simulque denuntiantibus, vt si quis esset, qui obiicere ei quicquam posset, aut vellet, indicijs ac testibus instructus, die & loco præstitutis adesset. Deindè vbi secunda vice conueniissent, Episcopi qui manus imponendi causa aduenerant, quid quisque ei posset opponere, diligenter exquire-

p Cypr. lib. 1. Epist. 4.

quirebant, & exaudiebant; & si electus, ipsorum conscientijs is esset, qui ab Apostolo præscribitur, eum Ecclesiæ illius Pastorem in oculis omnium constituebant, & diuini atque humani iuris debita obedientia onerabant. Si quod in eo crimen probaretur; velut indignum abiudicabant, & ad similem alterius Electionem procedebant, quem Presbyteri ciuesque vnis votis approbarent. Alexander Seuerus Romanorum Imperator hunc Christianorum morem in examinandis Episcopis & Presbyteris suis laude atque imitatione persecutus est. [q] *Vbi enim aliquos voluit vel rectores Prouincijs dare, vel Præpositos facere, nomina eorum proponebat* (vti scribit Lampridius) *hortans populum, vt si quis quid haberet criminis, probaret manifestis rebus: dicebatq; graue esse, non fieri in prouinciarum rectoribus, quum id Christiani & Iudæi facerent in prædicandis Sacerdotibus, qui ordinandi sunt.*

q Aelius Lãprid in Alexa. Seuer.

Quum verò nonnullis ciuitatibus vel pauci admodum essent Clerici, vel non eiusmodi, vt ad eum locum possent admitti, aliundè sibi Episcopum quærebant, primariæ seu matricis (vt vocant) eiusdem Prouinciæ ciuitatis Episcopum adeuntes, & ab eo vel quem ipsi vellent, Pastorem sibi postulantes; vel alium quemcunque qui Metropolitano, hoc est, primæ ciuitatis aut Ecclesiæ Episcopo magis idoneus videretur. Huic eorum petitioni ab ipsa re *Postulationis* nomen indiderunt. Eorum rogatu Metropolitanus, consulto Episcopo cuius Presbyter expetebatur, & accitis sibi alijs Episcopis, ad minimum duobus, eodem modo eum quo superiorem illum explorabat, atque ita ordinabat; aut si iusta *prohiberetur* exceptione, quemuis alium simili modo perspectum & probatum, Ecclesiæ Pastoris indigenti proponebat.

Quemadmodum autem ad cohibendam plebis factionem & Presbyterorum ambitionem, Episcopi eiusdem prouinciæ electioni interesse iubebantur, quibus curæ esset vt electio ritè & legitimè sine corruptela, ambitu, aut tumultu finiretur: ita ad refrænandos Episcopos, ne odio vel studio partium actionem perturbarent, totius electionis ordinem ac modum ad Metropolitanum priùs perferri oportebat,

quàm

quàm manus ei superponerent; & si quis fortè eos insimulasset, quod plus æquo in alterutram partem propendissent, penes Metropolitanum erat prohibere eos, & adiuncto sibi maiore Episcoporum numero examinare, aut etiam rescindere electionem. Concilium Nicenum decreuit, [r] *vt Episcopus ab omnibus eiusdem prouinciæ Episcopis ordinaretur, vel si hoc difficile fuerit, vt tres saltem Episcopi in vnum conuenirent, & cæterorum, qui absentes sunt, consensum literis tenerent, priusquam ordinando manus imponerent.* Imò planè censuit, [f] *Si quis præter voluntatem & conscientiam Metropolitani ordinatus esset, Episcopum esse non debere; vt etiam si diuersa sentirent (Episcopi) plurimorum sententias obtinere.*

r Conc. Nice. can. 4.

f Conc. Nice. can. 6.

Ad ordinandum Presbyteros tot Episcopis opus non erat, quum vnus manus ijs plenè perfectéque imponeret, in explorandis tamen & examinandis illis idem ordo seruatus est, quem suprà in Episcopis notaui, habito de vita ac moribus eorum publico populi testimonio, nisi si Episcopis de merito eorum ita certò constaret, vt animarum suarum periculo esse vellent. Itaque in tertio Carthaginensi Concilio decretum est: [t] *Vt nullus ordinetur Clericus, nisi probatus, vel Episcoporum examine, vel populi testimonio.* Et in quarto, [u] *vt Episcopus sine consilio Clericorũ suorum Clericos non ordinet, ita vt ciuiũ consensum & testimoniũ quærat.* Populo Presbyteros eligere negatũ erat, ita enim Conciliũ Laodicense. [x] *Populo concedendũ non est electionẽ facere eorum qui, εἰς ἱερατεῖον, ad sacrum (vel Sacerdotale) Ministeriũ sunt admouendi;* (ἱερατεῖον enim aut locũ significat vbi sederunt, aut munus quod sustinuerunt.) Offerre tamẽ, quos idoneos putabant, Episcopo poterant & ab eo petere, vt *examinare & probare eos, pro prudentia sua* vellet; quinimo Episcopus ab ijs contendebat, vt de ipsorum numero diligenter exquirerent, quos moribus & doctrina dignos ea vocatione crediderant, licet Episcopo incognitos, eíque commendarent, vt cum consilio Cleri sui caperet experimentum, an secundùm Canones Ecclesiæ habiles, & tanto muneri pares existerent. Ad hunc modum beatus Augustinus per vim [y] *raptus* à populo, hortante eos Valerio vt ex ipsorum numero viros ad sacrum Ministerium

t Con. Cartha. 3. can. 22.

u Conc. Carth 4. can. 22.

x Con. Laod. can 13.

y Possido. de vit. Aug ca. 4. & Aug Epist. 148.

rium idoneos proferrent, & Episcopo oblatus est. Idem multis alijs à populo factitatum [z] Augustinus ipse alibi memorat. Hunc morem Hieronymus etiam attingere videtur, vbi ad *Rusticum* ait; [a] *Cum ad perfectam ætatem veneris, & te vel populus, vel Pontifex Ciuitatis in Clerum elegerit*; quibus verbis notat; alios ab Episcopo assumptos fuisse, alios à populo oblatos, vt in Clerum ascriberentur.

z Aug. de adult. coniug. ad Pollent. lib. 2. cap. 2.

a Hieron ad Rustic. Monach. de viuendi forma.

In Paroecijs & Ecclesijs rusticanis Presbyterum aut Diaconum, vt opus erat, ab Episcopo postulabant, in cuius Diœcesi sitæ erant; is autem vel ex Presbyterio suo, vel ex alterius Ecclesiæ copia per Diœcesim suam, Pastorem illis assignabat. Quòd si ipse postulationi eorum satisfacere non posset, Metropolitanum adibant, qui ex tota Prouincia sita necessitati eorum prospiciebat. [b] *Euenit nonnunquam* (inquit Aurelius Carthaginensis Episcopus in Concilio Africano) *vt petitio mihi fiat ab Ecclesijs, quæ Diaconis egent, vel Presbyteris, vel Episcopis, & tamen memor Statutorum id sequor, vt conueniam Episcopum cuius Clericus quæritur, atque ei significem, quòd eius Clericus à quacunque Ecclesia postuletur. Et quidem hactenus non reluctati sunt; & ne quandò contingat vt reluctentur, cum fuerint à me in hac causa postulati, si quemlibet consacerdotum conueniam cum duobus vel tribus testibus è vestro consortio, & indeuotus extiterit, quid censet Charitas vestra faciendum? Ego enim multarum Ecclesiarum (vt scitis) dignatione diuina solicitudinem sustineo.* Responsum est; *Fuit hæc semper licentia huius secli, vt vndecunque vellet, & de quocunque nomine postulata esset, pro desiderio cuiusque Ecclesiæ Episcopum ordinaret.* [c] *Aurelius dixit, Episcopus vnus esse potest, per quem dignatione diuina Presbyteri multi constitui possunt; Presbyter autem ad Episcopatum idoneus difficile inuenitur.* Episcopus à tribus ad minimum ordinari debuit, quilibet autem Episcopus, licet vnus, potuit manus imponere Presbyteris, vt veteres Ecclesiæ Canones præcipiunt; [d] *Episopus à duobus aut tribus Episcopis ordinetur: Presbyter ab vno Episcopo ordinetur, & Diaconus, & reliqui Clerici.*

b Conc. Afric. can. 56.

c Ibid.

d Can. Apost. can. 1. 2.

Antiquum morem Episcopos eligendi satis opinor perspectum habemus: in quo animaduersione dignum videtur

tur; Primùm Episcopos, penes quos manus imponendi potestas erat, authoritatem hanc iure diuino accepisse, vt electum recusare possent, imò deberent, quem moribus aut doctrina minùs idoneum esse cognouerant. Beati Pauli verba in eam partem manifestissima sunt; [e] *Manus cito nemini imponito, neque communicato peccatis alienis.* Deindè, totam Ecclesiam nominationi & probationi Pastoris sui prius consensisse, quàm pro electo haberetur. Nominatio, vt alicubus placet, Clericorum erat; approbatio reliquorum: ita vt neque Clerus absque populo, neque populi vota sine Cleri consensu locum haberent. Leo Romanus Episcopus Clerum à populo secernit, quia Clerus eligebat & subscribebat; hoc est electionẽ suam in scriptis proponebat: Populum verò in tres gradus partitur, quorum quisque ius in electione & admissione Episcopi sui habebat. [f] *Expectarentur vota ciuium, testimonia populorum, quæreretur honoratorum arbitrium, electio Clericorum, quæ in Sacerdotum solent ordinationibus ab ijs, qui norunt Patrum regulas, custodiri.* Idem rursùs: [g] *Teneatur subscriptio Clericorum, honoratorum testimonium, ordinis consensus & plebis. Qui præfuturus est omnibus, ab omnibus eligatur.*

e 1 Tim. 5.

f Leo Epi. 89.

g Ibidem.

Non possum non eximiam Ecclesiæ Dei prudentiam in eo laudare, quòd populi consensum in Episcoporum suorum electione non admiserit solùm sed etiam rogauerit; tot ac tanta eius cõmoda in historijs Ecclesiasticis testata inuenio. Indè enim euenit, vt populus voti sui compos Pastores suos PLACATE EXCIPERET, LIBENTER SVSTENTARET, DILIGENTER AVDIRET, ET EX ANIMO DILIGERET; imò vitam fortunasque omnes periculo potius exponeret, quàm illi in discrimen venirent; vt ex singulari studio & affectu populi Alexandrini erga [h] Athanasium & [i] Petrum, Cæsariensis ergà [k] Basilium, Constantinopolitani ergà [l] Paulum & Chrysostomum, aliorumque multorum in Episcopos suos liquidò apparet. Et si multitudo æquè dolori suo temperare potuisset, cum eorum voluntati satisfactum non esset, ac omnes animi vires & charitates profundebat, vbi morem sibi gestum videbat;

h Sozom. lib. 6. c. 12.

i Socrat. lib. 4. cap. 37.

k Nazian. Orat. in laude Basil.

i Socrat. lib. 2. cap. 13.

m Socrat. lib. 6. cap. 16.

multò pluris in electione Episcopi sui consensus ipsorum fuisset, & diutiùs etiam obtinuisset. Verùm factiones à populo concitatæ, schismata, seditiones, cædes ab illis factæ, denique turbulentissimæ tempestates per eos commotæ, si res ex sententia non succederet, in causa fuerunt, cur superiorum temporum tum Patres, tum Concilia, hanc effrænatam plebis in electionibus licentiam prorsus improbarent; ac etiam Christianis Principibus occasionem præbuerunt, si non penitus tollendi, magna tamen ex parte minuendi eorum potestatem.

Nazianzenus electionem Eusebij in Episcopum Cæsariensem commemorans, ait; [n] *Ciuitas Cæsareæ circa Archiepiscopi designationem seditionem fecit, & acris erat contentio, & non facilis sedatu. Cùmque populus in plures partes distraheretur, (aliis alios proponentibus, sicut in huiusmodi negotijs solet euenire) tandem plebs vniuersa vno consensu, primarium quendam apud ipsos virum, vitæ quidem probatæ, non tamen diuino baptismo consignatum, inuitum rapientes, & ope manus militaris tunc aduentantis, in sublimi sede collocabant, & Episcopis offerebant, requirentes vt initiaretur, & (Episcopus loci) pronunciaretur, persuasioni vim admiscentes. Post mortem Eusebij; rursùs eadem Ciuitas eandem ob causam seditione laborabat, atque ea seditio quanto acrior & feruentior, tanto etiam stultior & absurdior erat.* Hoc modo Eusebius impetu quodam & furore populi, non electus, sed contra Canones, contraque voluntatem ipsius coactus & intrusus est. In electione autem Basilij proximi post Eusebium, populi tumultus iterum excitatus est, nec minùs pertinaciter ei, quamuis dignissimo restiterunt, quàm anteà dementer pro Eusebio depugnarunt; donec opera & prudentia patris Nazianzeni eorum sedata est temeritas. Idem de alijs etiam Ciuitatibus accepimus. [o] *Orta est Antiochiæ tunc temporis*, inquit Socrates, *propter (Eustathij) depositionem grauis seditio; & posteà cum alter eligeretur Episcopus, tantum est excitatum incendium, vt parum abfuerit, quin tota Ciuitas subuerteretur, populo in duas partes diuiso. Adiuuabat & respublica ciuitatis vtramque partem, & militaris manus haud secus atque contra hostes mouebatur,*

n Nazianz. in Epitaph patris.

o Socrat. lib. 2. cap. 24.

batur, ita vt & gladijs certassent, nisi Deus, & metus Imperatoris multitudinis impetum repressissent. Octo itaque continuos annos sedes Ecclesiæ Antiochenæ vacasse dicitur.

Cum Dioscorus Alexandriæ Episcopus Chalcedonensis Concilij decreto ab Episcopali sede submotus, & Proterius communibus suffragijs loco illius electus esset; q *maximus tumultus, & planè intolerabilis à populo varijs æstuante sententijs cietur. Nam vt in eiusmodi rebus fieri solet, alij Dioscorum repetere, alij Proterij partibus firmè adhærescere cœperunt: populus vno consensu contra Magistratus impetum fecerunt, lapidesq; in militum copias iecerunt, quæ seditionem comprimere studebant, & templum, quò milites confugerant, expugnarunt, eosq; viuos igne cremarunt.* Et arrepta occasione morte Martiani Imperatoris, r *alium Episcopum crearunt, & neque locum, neque tempus reuerentes (solennis enim dies salutaris Paschatis tum celebrabatur) Proterium cum sex alijs, in Templo occiderunt, corpusq; ipsius per vniuersam ferè vrbem trahentes atrociter verberibus lacerarunt, & membratim discinderunt; postremò quod reliquum erat corporis feritate plusquam belluina igni absumendum tradiderunt, cineresq; in ventum dissiparunt.* Populi Romani, vt ex eorum historijs constat, in electione Episcoporum suorum par sæpè fuit contentio. Exempli gratia, Damaso electo s *tanta seditio, imò tanta bella coorta sunt (alterutrum defendentibus populis) vt Orationum loca humano sanguine replerentur.* Ammianus ait: t *Damasus & Vrsicinus ad rapiendam Episcopalem sedem ardentes, scissis studijs asperrimè conflictabantur adusque mortis vulnerumq; discrimina: quæ (præfectus vrbis) nec corrigere, nec mollire sufficiens, vi magna coactus secessit in suburbanum: constatq; in basilica, vbi ritus Christiani est conuenticulum, vno die, centum triginta septem reperta cadauera peremptorum: efferatamq; diu plebem, ægrè posteà delinitam.*

q Euagr. lib. 2 cap. 5.

r Ibid. cap. 8.

s Ruffin hist. Eccles. lib. 2. cap. 10.

t Ammian. Marcel. lib. 27

Vbique seditiones adeò creuerunt, vt Episcopus ferè non sine tumultu aliquo eligeretur. *Quæ res* Augustinum impulit; vt dum in vita maneret, successorem sibi contra Canones eligeret. u *Scio*, inquit, *post obitus Episcoporum per ambitiosos aut contentiosos solere Ecclesias perturbari, quod sæpè expertus sum, & dolui.* Nazianzenus perspecta contentione

u Aug. ep. 110.

in electione Basilij commota, populares electiones his verbis condemnauit: [x] *Non erat obscurum quis excelleret, quemadmodum nec inter sydera Sol, sed valdè perspicuum erat, cum alijs omnibus, tum selecta & purissimæ plebis parti, hoc est, Clericis & Nazareis nostris, quibus solis electiones istiusmodi committi oportet, vel potissimum illis; (sic enim nullum Ecclesiis malum accideret) & non ditissimis, aut potentissimis, nec [y] populari commotioni aut insciciæ, & inter illos abiectissimis.* Tandem Imperator ipse publicis legibus populum reprimere coactus est, & electionem Episcoporum ab illis ablatam, in Clerum ac primarios Ciuitatis cuiusque viros transferre. [z] Διορίζομεν ὁσάκις χρεία γένηται ἐπίσκοπον χειροτονηθῆναι, συνίστασθαι τὸν κλῆρον καὶ τοὺς πρώτους τῆς πόλεως, ἐν οἷς μέλλει ὁ ἐπίσκοπος χειροτονεῖσθαι, καὶ προκειμένων εὐαγγελίων, ὅπου περὶ τοιούτων προσώπων ψηφίσματα ποιεῖν, καὶ ἕκαστον αὐτῶν ὁμοῦ κατὰ τὴν θείαν λογίαν, καὶ ἐξορκίζειν εἰς αὐτοὺς ὅτι οὐδὲ διὰ δόσιν, οὐδὲ ὑποσχέσιν ἢ φιλίαν, ἢ χάριν, ἢ ἄλλην οἱανδήποτε προσπάθειαν, ἀλλὰ εἰδότες αὐτοῦ τῆς ὀρθῆς καὶ καθολικῆς πίστεως, καὶ σεμνοβίου, ἵνα ἐκ τῶν οὕτως ψηφιζομένων τριῶν προσώπων ὁ βέλτιων χειροτονηθῇ τῇ ὑπολήψει καὶ τῷ κρίματι τοῦ χειροτονοῦντος: *Sancimus* (inquit Iustinianus) *quoties opus fuerit Episcopum ordinari, Clericos & primarios viros ciuitatis, cui Episcopus est ordinandus, conuenire, & propositis Euangelys mox in tribus personis decreta facere, & eorum vnamquemque iurare, & inscriptis exprimere, quòd neque propter aliquod munus, neque promissionem, aut amicitiam, aut gratiam, aut aliam quamlibet affectionem, sed scientes eos rectæ & Catholicæ fidei, & honestæ esse vitæ, &c.* (EOS ELEGERVNT); *vt ex trium personarum, pro quibus talia decreta facta sunt, melior ordinetur electione & iudicio ordinantis. Si quis autem citra memoratam obseruantiam Episcopus ordinetur, iubemus hunc omnibus modis Episcopatu depelli; vt illum etiam qui contra hoc præsumpserit ordinare.* Quod si è Clero ciuitatis illius Episcopo carentis tres digni & idonei viri non existerent, electoribus in duobus, aut in vno delectum facere licebat, modò infra sex menses fieret, & electi ij essent, quos sacri Canones præscripserunt; alioqui in Metropolitanum eligendi ius transferebatur. Laicum inter cæteros nominari potuisse, Imperator ait; Laicum verò Constitutiones Ecclesiasticæ eligi non siuerunt, postulari tantùm permiserunt.

x Nazianz. in epitaph. patris

y φορᾷ δήμου καὶ ἀλογίᾳ.

z Nouel. constitut. 123. cap Sancimus.

Mihi

Mihi certè non videtur populi præsentiam ac testimonium hac lege prohiberi; multò enim post permansit; existimo potiùs electoribus fas non fuisse, sine approbatione populi quenquam offerre. Verùm hac ratione licentia eligendi, quem vellet, multitudini prærepta erat, & in Clerum & Primarios ciuitatis nominandi quosdam transiata potestas, si plebs electioni eorum consentiret; sin minùs, ius illud ad Prouinciæ illius Episcopum transibat. Atque tum demùm hęc regula in electionibus acriùs vrgeri cœpit, [a] *Docendus est populus, non sequendus.* Etenim Papæ ipsi non negarunt, [b] *Licet electio Sacerdotum sit, tamen fidelis populi consensum esse adhibendum.* [c] *Cum de summi Sacerdotis,* inquit Leo, *electione tractabitur, ille omnibus præponatur, quem Cleri plebisq; consensus concorditer postulauerit. Ita vt si in aliã fortè personam partium se vota diuiserint, Metropolitani iudicio is alteri præferatur, qui maioribus & studijs iuuatur, & meritis; tantùm vt nullus inuitis, & non petentibus ordinetur, ne plebs inuita Episcopum non optatum aut contemnat, aut oderit; & fiat minùs religiosa quàm conuenit, cui non licuerit habere, quem voluit.* Par ratio petitionis & consensus populi Gregorij tempore, ac multo post etiam habebatur. [d] *Si verum sit,* inquit Gregorius ad Antonium, *Salomitanæ Ecclesiæ Episcopum obijsse, experientia tua omni instantia, omniq; solicitudine Clerum & populum eiusdem ciuitatis admonere festinet, quatenùs vno consensu ordinandum sibi debeat eligere Sacerdotem.* Et ad Magnum de electione Episcopi Mediolanensis scribens, ait: [e] *Admone igitur Clerum & populum, vt ad eligendum nullatenus dissentiant Sacerdotem; sed vno consensu consecrandum sibi eligant Episcopum.*

a Dist.62. Docendus.
b Dist.63. Nosce.
c Leo epist.84 cap.5.
d Greg.epist. lib.2.cap.61.
e Ibid. ca.65.

Ordo tamen eligendi Episcopos in veteri Ecclesia per Clerum & populum, nunquam eam vim habuit, vt non multis modis ius ipsorum deserere, ac etiam amittere potuerint; veluti per *Petitionem*, cum neminem apud se idoneum haberent; per *Compromissum*, si consentire nequirent; per *Deuolutionem*, si spacio sex mensium electionem prætermitterent, aut contra leges vel Canones, siue in modo eligendi, siue in persona electa quid commiterent; maximè

verò corruptela, tumultu, aut vi interueniente electio irrita manebat, ipsíque eligentes pro ea vice, iure suo priuabantur. Quòd si vnà consentire non possent, ad Metropolitanum aliqui mittendi erant, qui rationes dissentiendi ex vtraque parte proponerent; isque tanquam honorarius arbiter controuersiam eorum dijudicabat. Nonnunquam duo vel tres communi consensu legebantur, qui primarium Prouinciæ illius Episcopum adirent, & nomine totius ciuitatis ex illius consilio electionem facerent. [f] *Si aptam* (inquit Gregorius) *non inuenietis, in quam possitis consentire personam, saltem tres viros rectos ac sapientes eligite, quos ad hanc vrbem generalitatis vice mittatis, quorum & iudicio plebs tota consentiat.* Idem alibi. [g] *Clerum Ecclesiæ Neopolitanæ conuenias, quatenus duos vel tres de suis eligere, & huc ad eligendum Episcopum transmittere non omittant: sed & sua nobis relatione insinuent, quòd hi quos transmiserint, omnium in hac electione vice fungantur.* Itaque populo ius eligendi Episcopum suum nullo verbi diuini titulo acquisitum erat, sed ex humanæ politiæ ratione pendebat; perque Canones Conciliorum, Constitutionesque Principum temperari ac restringi, & per *consensum, delictum*, aut *abusum* populi *deseri, transferri*, aut *amitti* potuit; imò nolentibus ijs, per superiores potestates, & publicas leges ex causa, minui, mutari, aut penitùs tolli. Etenim populi libertas, & prærogatiua non subijcitur solùm gladio, cui summam Deus authoritatem in terris impertiit, sed in gladio prorsus includitur; nec quicquam populo fas est (exceptis Dei mandatis, quæ supra omnium mortalium potestatem & arbitrium collocantur) quod leges patriæ prohibuerunt. Dubium ergo non est, quin populus iure, quod in electione Episcoporum suorum habuit, vltro cedere, ac meritò etiam cadere potuerit, idemque in Principem vtrouis modo ritè & legitimè transferri. Quòd si tanta vobis inquirendi libido sit, causas legem inducentes, æquæ an iniquæ fuerint, potiùs examinare debetis. Ita enim exploratum habebitis, vtrum mos hic eligendi, ad præueniendum turbulentas factiones, & periculosas seditiones, quas gliscente audacia ætas nostra facilè concitaret, prudenter & salubriter

f Greg. epist. lib. 2. ca. 54.

g Ibid. ca. 74.

lubriter inuectus fuerit; an importuna quædam dominatio sit in ius populi nulla de causa, nulloq; consensu introducta; quod sine summa Principis ac populi iniuria ne concipere quidem omnino potestis.

Principi tantum iuris in electione Episcoporum esse, semperque fuisse, quantum populo, nemo vestrûm (opinor) negauerit. Quę enim pro multitudine rationes afferuntur, pro Magistratu multò fortiùs concludunt. Si populum iure diuino Episcopum suum eligere oportuit, Princeps velut caput populi eodem iure primas inter eas obtinere debebit. Si omnia iura diuina pariter & humana attendamus, vnquamnè pedes capiti, gregem ductori, populum Principi præferendos esse censuerunt? h *Non est seruus supra Dominum suum*; ne in electionibus quidem Episcoporum. Nam si regula generalis sit, etiam particulare illud in se complectitur. Tametsi igitur dùm nulli Christiani Principes Apostolorum temporibus, & tercentis annis posteà fuerunt, qui ius illud vendicare sibi aut assumere curarent; tamen aduersus caput, ne caput sit, ac pedibus præsit, nulla temporis longinquitas valebit; quia diuina dispositio, qua caput in corpus imperium habet, perpetua atque æterna lex est, & quæcunque membrorum contraria vsurpatio, non præscriptio, sed confusio, & euersio est eius ordinis, quem cœli Dominus immutabili decreto confirmauit. Quanquam, in prima etiam Ecclesia cum vacatio à maioribus negotijs, & occasio popularium tumultuum Christianos Imperatores iure suo vti monuissent, Concilia ius & prærogatiuam eorum in electionibus Episcoporum non obscurè ferebant, totaque adeò Ecclesia non solùm singularem quendam & præcipuum ijs consensum detulit, verùm etiam legibus moderari, & conatus corruptelasque tam Clericorum & Episcoporum eligentium atque ordinantium, quàm populi fauentis atque opem ferentis tam nefarijs incœptis, frænare ac coercere permisit & obsecrauit.

h Math. 10.

Cum Valentinianus Imperator post mortem Auxentij Episcopos à se accersitos hortaretur, vt Pastorem qualem oportebat, Mediolanensis Ecclesiæ futurum eligerent; i *Sy-*

i Theod. lib. 4 cap. 6.

nodus ipsum (vtpote) sapientia ac pietate præstantem ψηφίσασθαι, *suffragio suo aliquem designare voluit. At ille: Maior*, inquit, *quàm vt à me præstari possit, res est; multóque melius fuerit vos decernere diuina gratia dignatos, & participes splendoris illius.* De Chrysostomo Constantinopolitanæ Ecclesiæ Episcopo electo, Sozomenus ait; [k] ψηφισαμένων δὲ τοῦτο τοῦ λαοῦ, καὶ τοῦ κλήρου, καὶ ὁ βασιλεὺς συνήνεσε, *Postquam itaque in hoc populus & clerus suffragia sua contulissent, etiam Imperator illud comprobauit; & qui eum adducerent, emisit.* [l] *Post mortem Sisinij visum est Imperatoribus propter homines inanium rerum appetentes, neminem ex illa Ecclesia (licet multi Philippum, plures Proclum designatum cuperent) ad Episcopatum illum eligere; sed aduenam Antiochia accersere constituerunt.* Maximiano, qui Nestorio successit, vita defuncto, [m] *Ne controuersia & tumultus in Ecclesia denuò cieretur, Theodosius Imperator, abiecta cunctatione, dum adhuc Maximiani corpus insepultum iaceret, per Episcopos qui ibi aderant, Proclum in sede Episcopali collocandum curauit.* Cum Pelagius ciuitate obsidione sic oppressa, vt nemini per castra hostium iter facere liceret, inconsulto Imperatore ad Episcopatum Romæ gerendum electus esset, Gregorius deprecandi causa ad Imperatorem posteà mittebatur. [n] *Nil enim tum à Clero in eligendo (Romano) Pontifice actum erat, nisi eius electionem Imperator approbasset.* Gregorius qui Pelagij excusationem proposuit, idem de sua aliorumque multorum electione testatur. [o] *Ecce serenissimus Dominus Imperator fieri Simiam Leonem iussit. Vnde necesse est, vt omnes culpas ac negligentias meas, non mihi (qui nolebam) sed suæ pietati deputet, qui virtutis mysterium infirmo commisit.* Idem vniuersis Episcopis per Illyricum: [p] *Quia per Epistolas quas ad nos direxistis, in personam Iohannis fratris & coepiscopi nostri consensum omnium vestrum, &* SERENISSIMI PRINCIPIS VOLVNTATEM *conuenisse cognouimus, magna nos exultatio habuit talem Deo authore ad Sacerdotij officium fuisse prouectum.* Et Mauricio Imperatori: [q] *Non paruæ potuit esse mercedis, quod Iohanne sanctæ memoriæ de hac luce subtracto, ad ordinandum Sacerdotem pietas vestra diù hæsitauit, & cum metu Domini consilium quæsiuit. Vnde aptum valdè existere in Pastorali regimine*

k Sozom. lib. 8. cap. 2.

l Socrat. lib. 7. cap. 29.

m Ibid. c. 40.

n Platina in Pelagio 2.

o Greg. Epist. lib. 1. cap. 5.

p Idem Epist. lib. 4. cap. 23.

q Idem Epist. lib. 6. c. 170.

regimine fratrem atq; consacerdotem meum Cyriacum existimo, quem ad eundem ordinem pietatis vestræ consilia longa genuerunt.

Neque verò Romani Imperatores authoritatem hanc rescindendi electiones, & Episcopos constituendi, Romæ & Constantinopoli tantùm habuerunt; aliorum locorum & Principum par erat conditio. Et licet minusculæ Ciuitates tantæ ijs curæ non essent, quantæ primariæ Imperij sedes, vbi domicilia sua ferè collocarunt, & quò sæpiùs se contulerunt, ius tamen illis vnum idemq; fuit in maioribus & minoribus Ecclesijs. Quòd si primarum ciuitatum Episcopos sine Imperatoris consensu eligi non liceret; multò minùs inferiores sedes, suffragante Canonum vel Scripturarum authoritate, à Principis potestate liberæ fuerunt & solutæ. Quæcunque igitur tunc temporis prærogatiua à maioribus Ecclesijs, velut Christianis Imperatoribus debita, in electione Episcoporum agnoscebatur; eadem à cæteris nullo modo ijs negari potuit; licet ipsi eam aliquando neglexerint, aliquandò etiam tot milliũ Episcoporum electionibus, quot per omnes Imperij fines constituti erant, implicari vel impediri noluerint. Quocirca Adrianus Pontifex Romanus ius illud Imperatori primus non concessit, vt quædam eorum historiæ comminiscuntur; multis seculis ante natum Adrianum in Ecclesia Christi receptum erat, & perinde ab alijs Principibus Christianis intra suas cuiusque ditiones, ac ab Imperatore in Dominijs suis vsurpatum. Liber ipse Pontificalis quingentis octoginta post Christum annis, tanquàm nouum quiddam & inauditum refert, Pelagium secundum [r] *absque iussione Principis ordinatum in Episcopum Romanum*, addita etiam hac ratione, *eò quòd Longobardi obsiderent ciuitatem Romanam*. Gregorius primus, qui proximè Pelagio successit, ducentis annis Adriano superior, [f] propriæ electionis commemoratione, & Gregorius Turonensis æqualis ipsius, cuius Diaconus id temporis Romæ agebat, cum Gregorius eligeretur, libro 10. cap. 1. historiæ suæ idem liquidò confirmarunt.

r Ex lib. Pont in vit. Pelag. 2

f Greg. Epist. lib. 1. cap. 5.

Itaque ius istud Adrianus, Imperio ad Carolum Magnum translato, vel continuauit, vel restituit, proposito anathe-

mate

mate si quis illud violaret; non autem tum primùm concessit, Imperatores Romani multò antè eodem potiti erant.

t Dist.63.cap. Adrian. t *Adrianus cum Synodo (centum quinquaginta Episcoporum & Abbatum) Archiepiscopos & Episcopos per singulas Prouincias à Carolo inuestituram accipere definiuerunt; vt nisi à Rege laudaretur & inuestiretur, Episcopus à nemine consecraretur: & quicunq; contra hoc decretum ageret, anathematis vinculo eum innodarunt.*

u Eadem dist. c. in Synodo. Leo octauus in alia Synodo annis plus centum triginta post Adrianum, u *Cum toto Clero & populo Romano, confirmarunt & corroborarunt Othoni primo Regi Teutonicorum, eiúsq; successoribus regni Italiæ in perpetuum, facultatẽ eligendi sedis Apostolicæ (Romanæ) Pontificem: ac per hoc Archiepiscopos, seu Episcopos, vt ipsi ab eo inuestituram acciperent; ita vt, si quis à Clero & populo Episcopus eligeretur, nisi à supradicto Rege probaretur & inuestiretur, consecrari eum non liceret.* Quod quidem priuilegium x *dandi Episcopatus & Abbatias per annulum & per virgam* Romanis Imperatoribus plus 300. annis à Carolo saluum fuisse, & Henrico quinto 1111. annis post Christum per Paschalem 2. restitutum, & ei posteà ciusque successoribus non sine summa perfidia, sanguinis effusione & violentia ereptum apparet.

x Sigeb. Chr. in anno 1111.

Quemadmodùm verò Imperatores Romani authoritatem hanc in electionibus Episcoporum annis 400. ante Carolum tenuerunt: ita Gallorum Reges eandem semper vsurparunt 300. annis antequam Imperium in manus eorum peruenerat. Post Licinium nonum Episcopum Turonensem y *decimo loco Theodorus & Proculus, iubente beata Chrodielde Regina, subrogantur, (hæc vxor erat Clodouei, qui Christianorum Regum Franciæ primus fuit.)* z *Vndecimus Dinisius Episcopus, qui per electionem præfati Regis ad Episcopatum successit. Duodecimus Ommatius,* a *hic ex iussu Clodomeri Regis ordinatus est.* Apud Auernos, *Theodoricus (vnus è Clodouei filijs) iussit sanctum Quintianum constitui, & omnem ei potestatem Ecclesiæ tradi; dicens, Hic ob nostri amoris zelum ab vrbe sua electus est.* b *Post hunc sanctus Gallus in eius Cathedram, regebpitulante, substitutus est.* Quo etiam defuncto, c *Cato à Clero & maiori parte populi electus*, pro Episcopo se gerebat;

y Greg. Turo. hist. l. 10. c. 31.

z Ibid.

a Idem lib. 3. cap. 17.

b Idem lib. 4. cap. 5.

c Idem lib. 4. cap. 6.

re

re autem ad Regem Theodoualdum perlata, [d] *conuocatis Sacerdotibus apud Metensem Ciuitatem, Cautinus Archidiaconus Episcopus ordinatur. Tunc ex iussu Regis traditis ei Clericis, ordinatisque qui cum eo pergerent Episcopis, Aruernos eum direxerunt; qui à Clericis & ciuibus libenter acceptus, Episcopus Aruernis est datus.* Idem Cato posteà iussu Regis Clotharij ad Turonensem Episcopatum electus erat; ita enim Clerus eum affatur, [e] *Non nostra te voluntate expetiuimus, sed Regis præceptione*; quo recusante, cum Turonenses alium Regi *suggererent*, Rex paulò commotior aiebat; [f] *Præceperam vt Cato Presbyter illic ordinaretur, & cur est spreta nostra iussio? Responderunt, ei, Petiuimus eum, sed noluit venire.* Interim dum hæc apud Regem aguntur, [g] *Aduenit Cato Presbyter, deprecans Regem, vt electo Cautino, ipsum Aruerno iuberet institui. Quod Rege irridente, petijt iterum vt Turonis ordinaretur, quod ante despexerat. Cui Rex ait: Ego primùm præcepi, vt Turonis te ad Episcopatum consecrarent, sed quantum audio, despectui habuisti Ecclesiam illam, ideóque elongaberis à dominatione eius: & sic confusus abscessit.* Similiter Mortuo Pientio Pictonûm Episcopo, Austraphius in spem venerat se loco illius successurum: [h] *sed Rex Charibertus in aliud vertit sententiam, & Pascentius ei succedit ex iussu Regis Chariberti, clamante Austraphio sibi hunc locum redhiberi.* Similia etiam multorum Galliæ Christianorum Principum præcepta mille ante nos natos annis, pro constitutione [i] Iouini, [k] Domnoli, [l] Nonnichij, [m] Innocentij, [n] Sulpitij, [o] Promoti, [q] Nicetij, [q] Desiderij, [r] Gundegisili, [s] Viri, [t] Charimeris, Fronimij, aliorumque Episcoporum in diuersis illius regni Ecclesijs, non ignauo Lectori in promptu sunt in historia Gregorij, qui Turonensis Episcopus factus est ante Gregorium primum Romæ electum. Vndè luce clarius apparet, alios etiam Principes præter Romanos Imperatores à prima Christianæ fidei professione, non solùm summam potestatem in electionibus Episcoporum habuisse, sed quos dignos eo honore iudicarunt, non expectatis populi aut Cleri suffragijs, propria authoritate constituisse.

d Idem lib. 4. cap. 7.
e Idem lib. 4. cap 10.
f Idem. lib. 4. cap. 15.
g Ibidem.
h Idem. lib. 4. cap. 18.
i Idem lib. 6. cap. 7.
k 9
l 5.
m 38.
n 39.
o Lib. 7. cap. 17 lib. 8.
p Cap. 20.
q 22.
r 39.
s Lib. 9. c. 23.
t 24.

Iam verò quid obstaret, quo minùs ius istud Christiani Princi-

Principes denuò sibi sumerent, quandoquidem Ecclesia nullo diuini iuris præcepto tenetur, vt populo Episcoporum suorum electionem deferat? vndè æquum est eligendi morem non ex populi arbitrio pendere, sed legibus cuiusque Nationis concedi. Bullingerus vir in legendis libris mirificè versatus, & singulari quodam iudicio præditus, adductis tum Scripturarum testimonijs, tum Cypriani verbis illis, quæ anteà latè commemorantur, simul etiam veteris Ecclesiæ ritum in Episcopis suis eligendis describens, ad hunc modum concludit: [x] *Quanquam ex illis colligere nolim, deligendi Episcopi ius ad promiscuæ plebis suffragia reducendum. Vtrum enim totius Ecclesiæ comitijs, an paucorum suffragijs Episcopum designari melius sit, nulla potest certa omnibus præscribi Ecclesijs constitutio. Sunt enim alijs regionibus alia iura, alij ritus & instituta. [y] Si qui abutuntur (iure illo) per tyrannidem, cogantur in ordinem à sancto Magistratu, vel transferatur ab eis ius designandi Ministros: Satius est enim eligendi munere Seniores aliquot ex Regis vel Magistratus iussu defungi, aduocatis consultísque illis, qui norint qualis sit functio Episcopi, quæ eius populi, aut Ecclesiæ ratio cui aliquis præficiendus est, qui item possint de ingenijs, eruditione & moribus cuiusuis iudicare.*

x Bulling. de Episcoporum instit. & funct. lib. 2. ad Henricum 8. Angeliæ. Regem.

y Ibidem.

Beza acerrimus nouæ disciplinæ patronus, populares electiones, velut à Dei ordinatione remotas, desertis vadimonijs relinquit; quinimò in ipsa Geneuensi Republica, popularis licet eorum status sit, populo tamen hanc facultatem non permitti asserit. Sic enim ait; [z] *Fuit essentialis & nunquam abroganda in Ecclesia Dei Diaconatus constitutio. Fuit quoque essentialis huius tunc primùm in Ecclesia constituendæ functionis modus, nempè electio: sed quòd tota multitudo simul fuit conuocata, & suffragium tulit, nec essentiale, nec perpetuum fuit. Postea verò, docente experientia, confusioni & ambitioni, crescente multitudine, hinc exortæ occurrendum esse: prudenter in Synodo Laodicena, prouinciali illa quidem, sed à sexta Synodo Oecumenica approbata, cautum fuit Canone 13 ne ad sacrum ministerium deligendorum electio turbis siue populis concedatur, minimè id quidem quasi electionum sacrarum consciam & approbatricem esse non oporteat Ecclesiam totam: sed quòd in ea re modus adhibeu-*

z Beza in respons. ad tract. de Minist. Euang. gradibus, c. 23. fol. 154. & 155.

adhibendus, id est, vt quod prius simul fiebat, distinctè fiat, prærogatiua quidem Pastorum consessui tributa, secundo verò loco piorum magistratuum cognitioni ex vero consensu aut dissensu præeunte, ac demum plebe de re tota palam certiorata, & si quam habet dissentiendi rationem, potestate causas illas legitimè explicandi facta: quem ordinem, Dei beneficio, religiose simul & prudenter adhuc in hac Ciuitate obseruatum, quum Democraticus quidam fanaticus Morellius Parisiensis ausus esset voce & scriptis reprehendere, meritò fuit illius scriptum & in hac Ecclesia, & Galliæ plurimis Synodis damnatum. Electio septem illorum in Actis Apostolicis certam & perpetuam regulam omnibus electionibus in Ecclesia non præscribit. Concilium Laodicense probè & prudenter prohibuit, populo quicquã esse in electione eorum qui ad sacram militiam conscriberentur. Pastorũ est electio, Magistratuum approbatio, relatio fit ad plebem; quæ si quam iustam contradicendi electis rationem habeat, in medio eam proponere & probare debet. Et cum Morellius plebi plus iuris in electione Pastorum suorum asciscere voluisset, non Geneuæ solùm priuato iudicio, sed multis Galliæ Synodis damnata est illius opino. Quæ quidem omnia Bezæ ipsius testimonio firmantur.

Forsan vobis quibusdam in rebus à more Geneuẽsi recedere videmur; nec immeritò id quidem. Illi enim in populari statu; nos sub Regali viuimus. Populi illic maior potestas; Hic Principis: ibi tamen eligendi Pastores suos multitudini facultas est adempta. Si qua autem improbandi causa populo fuerit, per Pastores ac Magistratus audiri & examinari debet accusatio eorum; minimè verò ijs conceditur dissentiendo irritam facere electionem, nedum eligere, quos ipsi voluerint. Iam igitur plus causæ in nostra, quàm illorum politia subesse, cur multitudo ab electione Episcoporũ suorum excludatur, cuiuis facilè potest liquere. Populus illic Pastores suos proprijs sumptibus alit; contrà Episcopi nostri, non populi impensa, sed Principum liberalitate dotati existunt. Pastorum illic ex eadem Ciuitate delectus habetur, moresque eorum ab omnibus satis perspecti sunt; Episcopi

ſcopi noſtri aliundè ferè acciti, & ne nomine quidem populo noti, cuius futuri ſunt Epiſcopi. Nobis igitur nulla cauſa eſt, cur locum populus in Epiſcoporum ſuorum electione habeat, quorum nec onere grauatur, nec notitiâ dirigitur, & de quorum vita ac moribus teſtimonium omninò dicere non poteſt: quæ omnes priſcis illis Eccleſiæ Patribus grauiſſimæ certè rationes fuerunt, cur tantum populo in electione Paſtorum ſuorum tribuerent. Poſtremò, ſi Principes populi ſui capita non eſſent, & diuino atque humano iure omnis externæ & publicæ adminiſtrationis, curam tam in ſacris quàm Ciuilibus cauſis creditam ſibi non haberent (quæ quidem rationes neceſſariò euincunt, electiones eorum fidei cõmitti debere, ſaltem, ſi onus illud in ſe ſuſcipere voluerint, cuius rationem Deo reddituri ſint;) vniuerſus tamen huius Regni populus, (quod nemo noſtratium poteſt ignorare) lege lata omne ius ſuum in Principem tranſtulit; eiuſque iudicio & prudentiæ ſubmiſit; quod tum iure, tum prudenter ab eo factum eſt, potiùs quàm diſcordijs & ſeditionibus illis, quibus Eccleſia olim laborauit, communem Reipublicæ ſalutem in diſcrimen vocaret, & factionibus & corruptelis inconſtantis & indomitæ multitudinis ianuam denuò aperiret. *Num in electionibus Epiſcoporum ambitioni vel largitioni locum non eſſe putatis, quia ad Principum poteſtatem traducuntur?*] Non negabitis (ſpero) factiones & tumultus hac ratione eſſe ſublatos. Quod autem ad largitionem attinet, vtrumq; ambitioſa capita & auaræ manus fœdus nonnunquam ineant, & ſub ſpecie commendationis Principum auribus abutantur & imponant: ratio tamen & officium à me, ac ſimiliter ab alijs omnibus exigunt, vt credamus, ac etiam affirmemus, Principes ipſos longiſſimè omnium ab hac turpi & nefaria pecuniæ tractatione abhorrere. Guntchranni Clotharij filij, & Gallorum Regis, plus mille abhinc annis, prudens & pium reſponſum, de omnibus Principibus verè Chriſtianis eundem mihi animum facit; qui mortuo Remigio Epiſcopo, quoſdam locum eius magnis largitionibus ambientes, his verbis repulit, [a] *Non eſt Principatus noſtri conſuetudo Sacerdotium vænundare ſub precio, ſed*

[a] Greg. Turon l. 6. c. 39.

neo

nec vestrum, eum præmijs comparare: ne & nos turpis lucri infamia notemur, & vos Simoni Mago comparemini. Neque verò timenda adeò corruptela est in Principibus, ac in inferioribus personis. Ij enim, vt ex alijs omnibus minima premuntur necessitate, sic minimum habent causæ cur Ecclesias venales proponant. Affluentia, magnificentia, conscientia eorum sponsionem pro integritate in electionibus seruanda interponunt; quo fit, vt multò minor in eos, quàm in populum, corruptelæ cadat suspicio: facilior enim aditus ad populum, quàm ad Principem, patet ambitioni. Et si doctrinæ vitæque præstantiam in Pastoribus spectes, tum ad eligendum maior campus, tum ad explorandum eos melior ratio Principi, quàm populo, suppetere videtur. Quandoquidē enim Episcopi ex eadē Ecclesia ciuitatevè non solent, aut plerumque non possunt eligi; quo pacto de vita aut merito eorum populo constaret, quibuscum nihil vnquam commercij fuit, & de quorum moribus aut doctrina nihil aliquando certi potuit habere?

Discrimen hoc inter nostra tempora, & Ecclesiæ præcedentes ætates dum quidam minùs animaduertunt, importunè admodum in electione Pastorum populi præsentiam & consensum efflagitant; obliti scilicet, populo plus iuris in electione Pastorum suorum tum fuisse, cum nulli adhuc Christiani magistratus essent, quàm posteà habere eos æquum fuerit. Quòd autem post etiam, cum pij Principes Ecclesiasticarum rerum curam susciperent, populi testimonium neglectum non est, ideò fuit, quia ij quos eligebant in oculis atque in auribus eorum semper versati fuerant, ac probitatis & integritatis eorum testes & spectatores ipsi quodammodo existebant; quod his nostris temporibus contrario modo se habet, quum ex Academijs alijsque huius Regni locis multi viri egregij, & Episcopali munere digni proueniant, non autem ex Ecclesijs ac ciuitatibus illis, quarum futuri sunt Episcopi. [b] *Requiritur in ordinando Sacerdote* (inquit Hieronymus) *etiam populi præsentia, vt sciant omnes & certi sint, quod qui præstantior est, ex omni populo, qui doctior, qui sanctior, qui omni virtute eminentior, ille eligitur ad Sacer do-*

b Hieron. cap 8. q. 1. c. Licet.

cerdotium, & hoc atteſtante populo. Hoc eſt autem quod & Apoſtolus præcipit in ordinatione Sacerdotis, dicens; Oportet autem illum & teſtimonium habere bonum ab his qui foris ſunt.

Si ob hanc cauſam populus in electione Epiſcoporum ſuorum locum olim habuerit; ceſſante cauſa, quid ni ceſſaret etiam effectus? Si teſtimonium ferre non poterit populus (vt in noſtra republica res ſe habent) quid opus ſit ipſius præſentia? Si ad conſtituendum alicubi Paſtorem authoritas populi neceſſaria forſan fuerit, nullo dum exiſtente Principe Chriſtiano; etiam hoc ipſo plus valet ad confirmandam electionem, & auxilium electo ferendum magiſtratus, quàm multitudo. Si conſenſus expectetur, ne quis populo inuito & recuſanti obtrudatur; conſtat populi conſenſum apud nos publicis totius Regni ſuffragijs ad Principem eſſe tranſlatum. Si iudicium requiratur, vt digni ab indignis diſcernantur; grauitas certè & prudentia Magiſtratus, temeritati & imperitiæ plebis meritò præferantur, quæ plerumque impetu non delectu ducitur, & leuiſſimis quibuſque, addo etiam iniquiſſimis, de cauſis mouetur & impellitur; veluti factione & adulatione, gratia & affectione, corruptela & largitione, multiſque pernicioſis illecebris; à quibus omnibus magiſtratus, ſi non prorſus ſe abſtineant, multò tamen magis, quàm impotens & efferata multitudo. Itaque quamcunque licet rationem cum animis veſtris cogitate, ſiue DISCERNENDI, TVENDI, aut IVRANDI rebus omnibus dignos & idoneos Paſtores, & electionem eorum multò tutiori loco penes Principem, quàm populum eſſe inuenietis. *Clerus Paſtores diſcernere & elegere; populus approbare, ac conſentire electis ſolebat. Et ſi verum quidem fateri volumus, homines eiſdem ſtudijs dediti, ſi non peruerſa quædam oculos ijs perſtringat affectio, de merito cuiuſque melius cognoſcere poterint.*] Ita quidem ius Canonicum; [c] *Electio Clericorum eſt, conſenſus Principis, petitio plebis*; ſed recentiores Papæ nunquam tumultuari & bellare deſtiterunt, donec tam Principem, quàm populum excluſiſſent, & ad Clerum, quem ſibi ad nutum paratum ſperabant, omnes electio-

c Diſt.62.cap. Breuiter. Diſt. 63.c.Nullus. ca.Adrianus. cap.Omnis. & Non licet.

electiones Episcoporum reuocassent. Verùm pace vestra dixerim, non sic ab initio fuit. Electionis formula mille ab hinc annis Romanis legibus præscripta, iubet [d] *Clericos & Primates ciuitatis conuenire, & propositis eis sacrosanctis Euangelijs,* ψηφίσματα ποιεῖν, *decreta facere in tribus personis, è quibus melior arbitrio ordinantis eligatur.*

d Nouel. constitut. 123. Sancimus.

Verba quibus veteres Græci scriptores ad omnes Electionis partes exprimendas vtuntur, velutì προβάλλεσθαι, προχειρίζεσθαι, αἱρεῖσθαι, ψηφίζεσθαι, ἀπλέγεσθαι, *proponere, nominare, eligere, decernere, designare,* in historijs Ecclesiasticis ad populum passim referuntur. Cum Eudoxius Constantinopoli vita functus esset, & *Ariani in locum illius Demophilum sufficerent,* Christiani illic, vt Socrates scribit, [e] εὐαγριον τινα προεβάλλοντο, *Euagrium quendam designabant*; vbi Sozomenus inquit, [f] ψηφίζονται *Euagrium quendam suffragijs suum eligunt Episcopum.* Nazianzenus de electione Eusebij ita refert: [g] *Populus in multas factiones diuisus erat,* ἄλλων ἄλλον προβαλλομένων, *alijs alium nominantibus*; (quo verbo [h] Socrates etiam in electione Ambrosij per populum vtitur) ac grauiter conquestus est, quòd illa tempestate [i] προβολὴ, *prima nominatio* Episcopi; φορᾷ δήμου καὶ ἀλογίᾳ, *violentiæ & imprudentiæ multitudinis* permitteretur. In electione Pauli ad Episcopatum Constantinopolitanum, Socrates ait, [k] *Populus in duas partes diuisus erat, Homousiani* verò Παῦλον εἰς τὴν ἐπισκοπὴν προχειρίζονται, *Paulum delegerunt Episcopum.* Concilium Nicenum decreuit, vt qui à Miletio creati fuissent, sanctiore ordinatione confirmarentur, & in locum demortuorum Episcoporum succederent, [l] εἰ ἄξιοι φαίνοιντο, καὶ ὁ λαὸς αἱροῖτο, *modo digni viderentur, & populus eos eligeret.* Mortuo Auxentio Mediolanensi, [m] *Populus* (inquit Sozomenus) *ad seditionem concitatur,* ἕτερον τὸν αὐτὸν αἱρούμενοι, *non vnum & eundem eligentes.* Cum Nectarius è vita excessisset, & Chrysostomus in locum eius electus esset, Sozomenus ait; [n] ψηφισαμένων δὲ τοῦτο τοῦ λαοῦ, καὶ τοῦ κλήρου, *postquam in hoc populus & clerus suffragia sua contulissent, Imperator etiam assensus est*; Socrates electum scribit, [o] ψηφίσμασι κοινῷ κλήρου τε καὶ λαοῦ, *communibus Cleri & populi suffragijs.* Amoto Nestorio, [p] *multi Philippo,* πλείους δὲ

e Socrat. lib. 4 cap. 14.

f Sozom. lib. 6 cap. 13.

g Nazianz. in Epitaph. patris

h Socrat. lib. 4 cap. 30.

i Nazianz. vt supra.

k Socrat. lib. 2 cap. 6.

l Socrat. lib. 1. cap. 9.

m Sozo. lib. 6 cap. 24.

n Idem, lib. 8. cap. 2.

o Socrat. lib. 6 cap. 2.

p Socrat. lib. 7 cap. 35.

οἱ δὲ τὸν Πρόκλον ἐπιλέγοντο, *plures verò Proclum elegerunt, atque Proclus certè priores tulisset, si non* quidam qui multum authoritate valerent, illi obstitissent, docuissentque Canonem Ecclesiæ vetare, Episcopum alicuius ciuitatis nominatum, ad alteram ciuitatem transferri: [q] *Quæ quidem sententia in medium prolata, atque ita se habere credita,* τὸν λαὸν ἡσυχάζειν ἠνάγκαζε, *populum quiescere coegit.* Itaque in prima Ecclesia populus *proponebat, nominabat, eligebat, atque decernebat,* perinde ac Clerus; & licet Presbyteri in discernendo plus iudicio pollebant, in eligendo tamen Pastores suos populus parem facultatem habebat; adeò vt si maior pars eorum consentiret, etiam contra Clerum vota plurium obtinerent; dummodo electi ij essent, quos Canones paterentur, nec ordinantes iustam improbandi causam haberent.

q Socrat. ibid.

Si cui satis iniquum videatur, populum hac in parte coniunctis passibus cum Clero incedere; ei ego in mentem reuocare velim, Apostolos in Actis, cum Ecclesiæ Hierosolymitanæ suaderent, vt septem eligerent quibus viduarum cura committeretur, 70 Discipulorum, qui & aderant, & pars communionis eius erant, mentionem aut distinctionem nullam feciſſe; sed approbatione ac manuum impositione sibi solùm reseruatis, discernendi eligendique partes toti fidelium multitudini tribuisse. [r] *Conuocata enim discipulorum multitudine dixerunt,* ἐπισκέψασθε, *dispicite ex vobis septem viros idoneo testimonio ornatos, plenos Spiritu sancto & sapientia, quos præficiamus huic negotio.* καὶ ἐξελέξαντο, *& elegerunt Stephanum (& sex alios) quos statuerunt coram Apostolis.* Itaque cum Apostoli electiones Clero ac populo Hierosolymitano promiscuè permiserint; si inde exemplum his sumatis, qua authoritate Episcopus Romanus eos excluſit? Si furor & impotentia plebis posteà effecerint, vt de potestate ipsius meritò detraheretur; ius tamen illu ad Principem, non ad Papam pertinuit; eóque iniquissimè ab eo factum est, qui sine consensu Principis aut populi, sibi illud vsurpauit; nec Christiani Principes quicquã à iure suo alienũ faciũt, dum electiones è manibus Papæ sibi vendicent, & cum eorum consilio,

r Act. 6.

qui

qui manus illis intra proprij Imperij fines imponant, in Episcopali sede successuros designent, quos ipsi dignos eo munere putauerint. Ita quidem in prima Ecclesia prisci Imperatores ac Principes fecerunt, vt pluribus anteà demonstraui. *Nunquam ij quidem omnem eligendi potestatem sibi sumpserunt; solùm consensum suum priùs adhibuerunt, quàm electio locum obtineret.*] Difficile admodùm & molestum erat omnes Episcopos per Imperium Romanum ab vno eligi ac nominari. Et propterea Imperatores hanc curam Magistratibus ac Clero cuiusque ciuitatis demandarunt, eo modo penè infinito labore & periculo se leuantes; tamen vbi res ita postulauit, ius suum in eligendis nominandisque ijs, qui Ecclesiæ præessent, apertè præseferebant. Cum Nazianzenus Episcopatu Constantinopolitano coram Patribus in secundo Oecumenico Concilio congregatis cessisset, Theodosius senior, [s] *Sacerdotes nomina eorum, quos ad ordinationem dignos iudicabant, chartæ inscribere iussit, ac sibi ipsi ex omnibus vnius electionem reseruauit. Antiochenæ Ecclesiæ Præsul* (vt qui primas illic obtinebat) singulorum nomina inscribens, quos ipse cum alijs idoneos putabat, *vltimo loco Nectarium adiecit, in gratiam Diodori* Episcopi Tarsensis, qui illum, quamuis ignotum, ob grauitatem morumque suauitatem ei commendauerat. [t] *Imperator igitur perlecto inscriptorum Catalogo, substitit in Nectario; & impresso vltimæ nomenclaturæ digito, rursus cunctos ordine percurrit, & Nectarium deligit. Hoc factum admirantur omnes, ac scisciantur, quisquam esset iste Nectarius, aut vnde, & quod sectaretur vitæ institutum? Cognito autem hominem ne baptizatum quidem esse, multò magis admirati sunt insolentiam iudicij in Imperatore. Ignorabat autem id opinor etiam Diodorus: neque enim ausus fuisset sciens, nondum baptizato dare suffragium Sacerdotij: Imperator verò postquam Baptismatis expertem intellexisset, in eadem sententia perstitit, multis Sacerdotibus reluctantibus. Atque ita Nectarius baptizatus fuit, & baptismatis habitu etiamnum indutus, communi Synodi suffragio Constantinopolis Episcopus declaratus est.* In hac electione populus se non interponebat; Episcoporum quisque de necessarijs suis aliquem nominabat; quem ordinari

[s] Sozom. lib. 7. cap. 8.

[t] Ibid.

cupiebat. Nectarius fortè Diodorum conuenit, vt literas ab eo, si quas vellet, Tarsum perferret, quo ipse iter erat facturus; qui reuerendam quandam in eo caniciem & vultum Sacerdote dignum intuens, confestim eum, licet aliàs nullo nomine sibi cognitum, tota mente amplexus est, ac summo studio Episcopo Antiocheno commendauit, rogans ne illius obliuisceretur, cum nomina pro Imperatore inscriberet. Episcopus Diodori petitionem animo [u] *ridebat*, eo quòd *multi viri spectatissimi in illa electione expeterentur*; tamen vt nonnihil ei gratificaretur, Nectarium vltimo loco inscribendum censuit. Imperator verò, vt qui omnes iuxtà ignorauit, in Nectarij nomine defixus ab eo dimoueri noluit, quanquàm nec per Canones eum eligi liceret, multique Episcopi ab instituto Principem reuocare contenderent. Hæc electio non solùm sine Clero ac populo, sed contra Canones ipsos, contraque quàm Episcopi, qui ibi aderant, voluissent, Principis voluntate & authoritate confecta fuit & absoluta; nihilominùs totum Concilium etiam Oecumenicum officij sui esse ducebat, Episcopum declarare ac consecrare eum, quem Imperator ita designasset. *Episcopi tamen nomina proposuerunt, quod hodiè Principes omninò negligunt.*] Episcopos ignorasse eum satis apparet; si enim cognouissent, per Canones nominare eum non potuissent. Quòd si Imperator ipse alios quosuis idoneos sciuisset, præter eos quorum nomina in scriptis legisset, æquè ipsorum alicuius ac Nectarij delectum facere potuisset. Quanquam non negauerim hanc præcipuam curam Principibus esse debere, vt eos eligant, quos vel propria experientia, vel publica aliorum commendatione moribus probis & honestis esse nouerint, & Ecclesiæ profuturos verisimiliter crediderint. Cum enim Spiritus sanctus palàm denunciauerit, quòd qui Episcopis aut Presbyteris manus imponunt, peccatorum eorum participes sint, si non penitùs eos explorent, & indignos etiam rejiciant; fateor equidem Principes, si electos à se examinationi eorum subjicere noluerint, à quibus ordinari debeant, periculum illud in se transferre, quod aliàs manus ijs imponentibus incumberet. Supra omnis humanæ potestatis ius & arbitrium Spi-

[u] Socrat. lib 7 cap. 8.

Spiritus ſancti præceptum eminet. [x] *Manus citò nemini impo-* x 1.Tim.5.
nas. Si enim *manus citò imponantur*, hoc eſt, ſi qui apertè indigni ad Eccleſiæ regimen admittantur; ſiue populus, ſiue Præſul, ſiue Princeps, prudens ſcienſque, author ſit, certò ſciat rationem Deo ſe redditurum. Improbos in peſtem & perniciem Eccleſiæ ferre quidem malum eſt, inferre verò peſſimũ. Quod non eò dico, quaſi Chriſtianis Principibus tutum non ſit Epiſcoporum electionem ſuſcipere; tantùm eos recordari velim, quòd vt ſummi faſtigium eſt honoris eligere, quibus Eccleſiæ adminiſtrationem creditam eſſe velint; ita non minùs oneris conſcientijs Principum imponitur, modis omnibus prouidere, ne quid venenoſum & impurum in domo Dei pedem figat, & vel præſentia ſua commaculet eam, vel conturbet negligentia. *Antiquiſſimæ patriæ noſtræ leges teſtes nobis ſunt, Electiones ab omnium ſecularium poteſtatum* [y] *vi, metu, aut prece, immunes fuiſſe; idemq́, huius Regni Principes conſenſu ſuo comprobarunt.*] Æquè antiquæ huius Regni leges teſtantur, Reges noſtros donationem & collationem Epiſcopatuum aliarumq́; dignitatum penès ſe habuiſſe, multò antè quàm libera conceſſa eſſet electio. Vbi verò Principes eligendi poteſtatem Clero dederunt, his conditionibus eos aſtrinxerunt; vt *eligendi licentiam à Principe peterent*; vtque facta ab ijs electione, nihil tamen ageretur, *niſi Regalis conſenſus acceſſiſſet.* Statutũ de Prouiſoribus beneficiorum apud Weſtminiſterium anno 25. Ewardi 3. habitum, idem vobis confirmabit; verba hæc ſunt: [z] *Supremus Dominus noſter Rex, & hæredes ſui* (ſi fortè Epiſcopus Romanus contra ius ſe interponere voluerit) *habebunt & pro illo tempore fruentur collationibus ad Archiepiſcopatus & alias dignitates electiuas, quæ de eius ſunt aduocatione (& patronatu,) quas progenitores eius habuerant, antequàm libera electio eſſet conceſſa: quandoquidẽ electiones primùm conceſſæ ſunt (clericis) per progenitores Regis ſub certa quadam forma & conditione, videlicet vt eligendi licentiam à Rege peterent, & poſt factam electionem, Regium conſenſum obtinerent, & non (aliter nec) alio modo. Quibus conditionibus non obſeruatis, æquum eſt rem reuerti ad priſtinam naturam (vel formam.)* Ex quibus apparet, Reges Angliæ ius conferendi

y Artic.Cleri. c.14.& Weſtminiſt.1.ca 5.

z Statut.de prouiſ.benefi. apud Weſtm. an.25.Edwa.3

rendi Episcopatus, aliasque dignitates anteà habuisse, quàm liberæ electiones concederentur; & cum huiusmodi electiones fieri permitterent, duas hasce prærogatiuas sibi retinuerunt: primùm vt *Regis licentia ad eligendum peteretur*; Deindè *vt consensus eius ad confirmandã electionẽ expectaretur*. Imò verò Henricus primus *Gulielmi Conquestoris filius per procuratorem suum* seriò Papæ significauit; [a] *Nolle se pro Regni amissione inuestituras Ecclesiarum amittere*. Atque ita nec Clerus nec populus vllam eligendi Episcopos suos in hoc Regno facultatem habuerunt, nisi à Rege concessam & illius authoritate firmatam, ex quo Principes nostri, in leuamen populi sui, & Ecclesiæ commodum prædijs & possessionibus eos dotare cœperunt. Nulla enim eligendi forma iure diuino præscripta, legibus huius Regni certò constant, Principes qui primùm Ecclesias fundarunt, & Episcopatus rebus omnibus locupletarunt; [b] *Habuisse, & habere debuisse custodiam eorundem tempore vacationis*, & [c] *præsentationes, & collationes earundem spiritualium præfecturarum, velut Dominos & Patronos* omnium agrorum & possessionum, siue quæ ad Cathedrales (quas vocant) Ecclesias, siue quæ ad Episcopos pertinent.

a Mat. Pariſi. in Henric 1. anno. 1103.

b Magna Charta c. 5. c In Parliamẽ. Edwar. 1. apud Kaerlil. an. 25 regni sui: citatur Edwar. 3. 25. in statuto de prouisoribus apud Westminst.

Quòd si priorum temporum memoriam inculcetis, cum Episcopi adhuc de oblationibus fidelium viuerent; exemplo Theodosij aliorumque mille ducentis abhinc annis probaui, Principes etsi non vt Patronos, tamen vt maiori potestate præditos, episcopos arbitratu suo designasse: qui licet omnes electiones ad suum, hoc est, ad Regalẽ consensum non reuocarent, eorũ nomine tamen [d] *Magistratus & Primates* cuiusq; ciuitatis prius consentire debebant, quàm electio locum obtineret; [e] imò vnà cum Clero electionem perficiebant, vt Imperialibus legibus est sancitum. *Non Principes solùm, sed Patroni in quaq; Ecclesia Pastores offerre solent, quos ipsi idoneos ad curam animarum suscipiendam putauerint; quo fit vt populus omni modo eligendi iure defraudetur.*] Absit verò vt illud in fraudem populi factum dicatis, quod tanta cum ratione ad commodum ipsius incœptum erat, iamque annis plus mille legibus constitutum, & communi omnium Gentium vsu pro-

d Theod lib. 4. cap. 20.

e Nouel constit. 123. Sancimus.

probatum permansit. Ius municipale Anglicanum originem Patronatuum non assequitur. [f] *Aduocationum & [g] Præsentationum in magna Charta* fit mentio, ceu rerum huius Regni legibus multo ante vim habentium. [h] *Actio, quam vocamus Quare impedit*, quę aduersus Episcopum instituitur, qui Clericum à Patrono oblatum admittere recusat, tam ratione *Citationum, quàm renuntiationum* in Statuto Marlebridgensi anno 52. Henrici tertij commemoratur. Exterarum Nationum leges nostris, quæ quidem extant, multò sunt antiquiores: In Cōstitutionibus Caroli Magni Gallicè & Germanicè scriptis, & ab Ansegiso Anno 827. in vnum collectis sic habetur. [i] *Statutum est, vt sine authoritate & consensu Episcoporum, Presbyteri in quibuslibet Ecclesijs nec constituantur, nec expellantur. Et si laici Clericos probabilis vitæ & doctrinæ Episcopis consecrandos, suísque in Ecclesijs constituendos obtulerint, nulla qualibet occasione eos reijciant.* Nec Patrono quidem sine Episcopo Clericum alicubi collocare, nec Episcopo Clericum à Patrono oblatum repudiare licebat, si is esset, quem Canones admitti iuberent.

f Magna Charta c.33.
g idem.c.13.
h Statutū de Marlebridge.
i Ansegisus legum Franciæ.l.1.c.84.

In Hispania, annum circiter septimum Recceſiunthi Regis, salutis verò 654. Concilium Toletanum ita decreuit; [k] *Decernimus, vt quamdiù fundatores Ecclesiarum in hac vita superstites extiterint pro eisdem locis curam permittantur habere, & solicitudinem ferre præcipuam, atque rectores idoneos in eisdem basilicis ijdem ipsi offerant Episcopo ordinandos. Quod si spretis eisdem fundatoribus, Rectores ibidē, præsumpserit Episcopus ordinare, & ordinationem suam irritam esse nouerit, & ad verecundiam suam alios in eorum loco, quos ijsdem ipsi fundatores condignos elegerint, ordinari.* Idem multò ante etiam per omne Imperium Romanum Imperialibus legibus est constitutū. [l] *Si quis Oratorijs domum fabricauerit, & voluerit in ea Clericos ordinare, aut ipse aut eius hæredes; si expensas ipsis Clericis ministrant, & dignos denominant, denominatos ordinari. Si verò qui ab eis eliguntur, tanquam indignos prohibent sacræ regulæ ordinari; tunc sanctissimus Episcopus, quoscunque putauerit meliores, ordinandos procuret.*

k Conc Toleta.9 can.2.
l Nouel.constit.123.c.18.

In hac lege Patronorum prærogatiuæ diuersæ rationes

afferuntur, quæ fundamenta eius iuris videntur, quod hodie retinent; nempè *Templi extructio, & expensarum Clericis ministratio.* Ante legem de Decimis latam, Clerici quidem in Ciuitatibus ex voluntarijs fidelium oblationibus viuebant; in villis autem, in arbitrio Domini ipsius erat, quantum vellet de agris suis priuatæ Pastoris sustentationi concedere; quum cæteris, qui eius coloni fuerunt, & agris colendis vacabant, nec tantæ essent opes, vt Templa suis sumptibus extruere, nec tanta facultas, vt de fructu & prouentu agrorum Domini partem aliquam Ministris possent tribuere. Adcò vt in viculis ac pagis rusticanis aut Templa non omnino ædificari, & Clericos rebus ad victum necessarijs destitui; aut Dominos cuiusque loci ad eam largitatem, honore & prærogatiua nominandi Rectores Ecclesijs suis, necesse esset prouocari.

Nec quicquam in verbo Dei ab hoc alienum aut abhorrens habetur. Cum enim populum Pastores suos velitis eligere, pueros, seruos aut mendicos hoc nomine, opinor, non accipitis; sed quibus plus est, & ad eligendum prudentiæ, & ad ministrandum abundantiæ. Posito igitur hæc ita esse, quemadmodum in prima Ecclesia se res habuerunt, quandò rustici & agricolæ cuiusque loci nullam in prædijs, quæ coluerunt, proprietatem aut dominium obtinebant, sed Domino soli inseruiebant, & ipsius arbitratu laborum suorum mercedem de fructibus terræ accipiebant; quid ab his hominibus Pastoribus concedi, aut ad vsum eorum confirmari potuit? Subijcite animis vestris memoriam & maginem huius Insulæ sæpiùs victorum armis expugnatæ, cum nemo liberum (quod aiunt) Tenementũ, aut ad vitæ terminum sibi haberet, sed omnes, excepto Domino, in seruitutem addicerentur; quis tum Rectorem eligere poterat, nisi loci Dominus, qui solus libertatem retinebat? Itaque ius Patronatus, siue nominandi Pastores, in hoc alijsque omnibus Christianis Imperijs Domino villæ reseruatum, multò prius & antiquius est, quàm agricolarum ad eligendum libertas aut auctoritas. Postquam verò villarum Domini, extructis Templis, & stipendijs sacræ militię assignatis, alijs

alijs liberam clientelam concesserant, alijs seruilem conditionem retinuerant; nunquid ea ratio diuini aut humani iuris esse potuit, vt beneficia deinceps à Dominis quorumlibet locorum concedenda prioribus eorum priuilegiis derogarent? Quod in perpetuam Fundatorum ac Benefactorum cuiusque Ecclesię memoriam, honorem, & hæreditatem per tot annorum centurias permansit, & apud omnes ferè nationes obtinuit, num curiosorum quorundam fuco ac fraude à iure diuino putabimus alienũ? Ex hac vestra nimia in impugnando Patronorum iure contentione, cuius nec institutum, nec finem animo percipitis, homines non omninò ignari facilè conijcient, qua iudicij grauitate reliqua disciplinæ vestræ structura nitatur.

Quare vt finem huic quæstioni faciamus, si expensarum ministratio cuiusq; parœciæ Pastoribus per Dominum soli initio facta, Ecclesiæ Christianæ satis idonea visa est ratio, cur ius Patronorum stabiliretur, & ij soli Clericos offerrent, quia soli iis prouidebant; Principis priuilegiũ in Episcoporum electionibus multò firmioribus extruitur fundamentis. Præterquàm enim quòd Principes nostri rerum omnium copiam iis suppeditarunt, cum Episcopatus prædiis & possessionibus locupletarent, vt populum Episcoporum onere ac sumptu leuarent; atque ea ratione tantum iuris illis, quantum quibusuis Patronis debeatur: gladii potestas, qua Princeps populo imperat, non populus Principi, non parùm habet momenti, cur in electionibus, perindè ac in alijs regendi muneribus, (nulla regula electioni Episcoporum iure diuino præstituta) Princeps suprà & sine populo, non autem populus sine aut contra Principem, summam authoritatem sibi vendicet. Postremò licet populus, olim permittentibus magistratibus, aliquam in electionibus Episcoporum vicem & locum habuerint; hodiè tamen ad euitandum tumultus & discordias, quibus Ecclesia Christi miserè diuexata sępissimè fuit, per leges publica huius Regni authoritate sancitas, perque proprium ipsius consensum, populi ius ac priuilegium Principis electioni subijcitur, & in ea prorsùs includitur; ita vt quemcunque Princeps nominaue-

minauerit, populus pro Paſtore ſuo æquè excepturum ſe obſtrinxerit, ac ſi ipſius ſuffragijs electus fuiſſet. Et ſi minùs conſenſiſſet, quod tamen in publico Parliamento fecit; in ſacro Canone prohibitum non lego, quin in omnibus Regnis Chriſtianis, orta de electionibus Epiſcoporum controuerſia, Princeps veluti Caput ac Rector populi, plus iuris in nominatione & electione eorum, quàm reliquus populus habere debeat. Si vna mente & voce conſentiant, nulla cauſa erit diſcordiæ; ſin in diuerſas partes diſtrahantur, (nulla etiam lege propoſita, cuiuſmodi nobis in vſu eſt) populũ Principi, non Principem populo par eſt cedere. *Si tutò atque impunè liceret aduerſus Epiſcopatuum per Principem conceſſionem, Athanaſij illud opponere poſſemus: Vbi* [m] *ille canon, vt è palatio mittatur is qui futurus eſt Epiſcopus? & quod in ſecundo Concilio Niceno ex veteri quodam Canone habetur;* [n] *Omnem electionem quæ fit à magiſtratibus, Epiſcopi, Preſbyteri vel Diaconi, irritam manere ex Canone dicente: Si quis Epiſcopus ſecularibus magiſtratibus vſus per eos Eccleſiam obtinuerit, deponatur & ſegregetur, & omnes qui cum eo communicant.* Conciliũ Pariſienſe etiam grauiter decreuit, [o] *Nullus ciuibus innitis ordinetur Epiſcopus, niſi quem populi & Clericorũ electio pleniſſima queſierit voluntate, non Principis imperio, neque per quamlibet conditionem contra Metropolis voluntatem; vel Epiſcoporum comprouincialium ingeratur: quod ſi per ordinationem Regiam honoris iſtius culmen peruadere aliquis nimia temeritate præſumpſerit, à comprouincialibus loci ipſius Epiſcopus recipi nullatenus mereatur, quem indebitè aſſumptum agnoſcant.*] Non perindè in diſciplinæ regulis ac in doctrinæ res ſe habet. In fidei cauſa quod ſemel verum eſt, ſemper & vbique verum eſt; in politia autem Eccleſiaſtica illud aliquando & alicubi recipi potuit, quod alio tempore, & loco forſan eſt prohibendum. Si quis Patrum aut Conciliorum affirmauerit, Scripturas ius eligendi Epiſcopum populo, non Principi tribuere, adeò manifeſto in errore tenetur, vt negligendũ eſſe omninò exiſtimem. Nullis enim argumentis doceri poteſt, populum ex verbo Dei authoritatem aliquam firmam ac neceſſariã in electione Paſtorum ſuorum habere. Et ſi de iure humano

m Epiſt. Atha. ad ſolitariam vit. agentes

n Nicen. Synod. 2. ca. 3.

o Conc. Pariſ. 1. ca. 8.

humano sit quæstio, quod ab alicubus Concilijs decretum fuit, ab alijs ex causa mutari potuit; quodque priores Principes ferendum aut omittendum censuerunt, sequentes pro temporum & locorum varietate, pari ratione reuocare, ac etiam simili iure sibi vendicare potuerunt. De Concilijs Augustinus ait; p *Ipsa plenaria (Concilia quis nesciat) sæpè priora posterioribus emendari, quum aliquo experimento rerum aperitur quod clausum erat, & cognoscitur quod latebat, sine vllo typho sacrilegiæ superbiæ, sine vlla inflata ceruice arrogantiæ, sine vlla contentione liuidæ inuidiæ, cum sancta humilitate, cum pace Catholica Christiana.* De edictis Principum ita certò constat, vt nemini in dubium veniat, an humanæ leges alijs aliæ cedere debeant. Omnes Principes parem gladij potestatem à Deo acceperunt, omnesque eandem iubendi libertatem, quam Antecessores sui, obtinent. Quemadmodum verò volentibus ijs de iure suo licet decedere; ita communi optimatum & populi consilio & consensu, quæ à prioribus Principibus conceduntur, infirmare possunt & rescindere, & quantum ex iure diuino fas est, Regiæ dignitatis & potestatis priuilegia renouare & augere.

p Augustin. de Baptis. contra Donat. lib. 2. ca. 3.

Itaque ad authoritates quas in hac causa adduxistis, facilè potest responderi; primùm Athanasium & Concilia illa de ijs temporibus loqui potuisse, cum nondum Christiani Principes electiones Episcoporum sibi in manus sumpsissent, sanctionibus suis Clero ac populo eligendi Pastores suos facultatem reliquissent. Atque tum quidem qui per priuatas Principis literas contra publicas Regni aut Reipublicæ illius leges aspirare contendebat, ambitionis & abreptionis reum, non Pastoris & Episcopi nomine in Ecclesia Christi dignum iudicarunt. Deindè non abs re fuerit, si Athanasium & Canones præcedentes non de electione, sed de examinatione atque ordinatione loquentes intelligamus, quæ iure diuino ad Episcopos, non ad Principes pertinent; tùm verò hoc est quod volunt, satis Episcopo non esse si Principis consensum & decretum habuerit; oportere eum examinari etiam atque ordinari ab ijs, quos Spiritus sanctus ad manus imponendas designauerit, quod à nemine quan-

quantumuis Principis approbatione delecto & munito fas est omitti. Idem enim cùm verba, tum testimonia eorum innuere videntur.

q In epist. ad solitar. vitam agentes.

Athanasio vehementer displicuit q *Constantium misisse ex Palatio futuros Episcopos, & per milites*, ac *duces* suos impetum in Ecclesias fecisse, cùm à nullo *Comprouincialium* Episcoporum probati & admissi fuissent. Secunda Synodus Nicena non contendit, Principes omninò eligere non debere, sed

r Nicen. Syno 2. ca. 3.

r *decretum* magistratus ad Episcopum constituendum ex se non sufficere. Quid ita? Quia iuxta Canones Nicenos, per Episcopos eiusdem Prouinciæ, vnà cum Metropolitano *approbari* eum atque *ordinari* oportebat. Iam verò quartus Canon Concilij Niceni, quem testis loco citant, non dicit quibus electionem ac nominationem Episcoporum velit tribui, sed ad quos examinatio atque ordinatio eorum spectare debeat. Concilium Parisiense eodem exemplo:

s Conc. Paris. ca. 8.

s *Non Principis* (inquit) *imperio ingeratur contra Metropolitani voluntatem*; Quòd si quis temerè ad eum honorem *per ordinationem regiam* aspirasset, ac non per Metropolitanum & Comprouinciales ipsius, nemini eum pro Episcopo suscipere licebat. Nec aliud vetus Canon innuit, cum ait:

t Canon. Apostol. ca. 30.

t Εἴ τις ἐπίσκοπος κοσμικοῖς ἀρχῆσι χρησάμενος, δι' αὐτῶν ἐκκλησίας γένηται, &c. *Si quis Episcopus secularibus potestatibus vsus, Ecclesias per ipsos obtineat, deponatur, & segregentur omnes, quicunque illi communicant.* Neque enim Principes ab electione excludunt, non magis quàm populum ipsum; tantùm vim prohibent, eò quòd Episcopum, iuxta Spiritus sancti præcepta, diligenter examinari, & ab his, qui manus imponendi potestatem habent, pacatè ordinari, non humana aliqua violentia vel authoritate decet inferri & intrudi.

CAP.

CAP. XVI.

Episcoporum in Synodis conueniendi ratio, & quis conuocandis moderandisq; Conuentibus illis in primo Ecclesiæ statu præfuit.

NEcessitas & authoritas Synodorum non tam in quæstione inter nos versantur, quàm personæ, à quibus indici & gubernari debeant. Ipsi, ni fallor, disciplinæ vestræ Patroni, Pastores aut Presbyteria sua summos doctrinæ ac morum Iudices in qualibet Paœcia constitui nollent, sic vt ab ijs prouocari non liceat; multò minùs nos vellemus. Quid enim, si Pastores aut Presbyteri cuiusuis loci hæresim pertinaciter defendere, aut iniuriam palàm facere tentauerint (quarum rerum exempla non ita rarò quidem cueniunt, etiam in ijs qui Christiani maximè videri volunt) nũ impietas & iniustitia tantas in Ecclesia vires habebunt, vt frustra quis obniti ijs, aut mederi conetur? Id verò si esset, domus Dei quauis latronum spelunca deterior euaderet. Latrones enim, ne deprehendantur, timent, & maleficiorum suorum pœnam euitant; quod Presbyteri multi nequaquam facerent, si nihil esset quod violentos & nefarios eorum conatus reprimeret. Quemadmodum igitur in ciuilibus negotijs ad iustitiam tuendam, & tenuiores iniuria prohibendos, leges ac magistratus constituuntur, sine quibus societates humanæ nullo modo possent subsistere: similiter in Ecclesia Christi, nullo existente Christiano magistratu, externam aliquam iudicij formam detegendis erroribus, resarciendisque iniurijs seruari oportet, sicubi singularem aliquam personam aut Ecclesiam illis infici, aut his opprimi contigerit; alioqui veritas æquitasque locum inter homines, vbi consistant, breui non inuenient.

Prima Ecclesia nullo alio remedio aduersus hæreses & iniurias vti consueuit, quàm quod à promissis ore Christi confirmatis, & ab ipso exemplo Apostolico in pari causa traditum

tum accepit. Christus mandans Discipulis suis, qui à fratribus aliqua afficerentur iniuria, vt post primam & secundam admonitionem, *dicerent Ecclesiæ*; quò maiorem vim & authoritatem concilijs & conuentibus piorum tribueret, addit; [a] *Vbi duo aut tres in nomine meo congregati sunt, ibi sum in medio eorum. Et quæcunque ligaueritis in terra, erunt ligata in cœlo; & quæcunque solueritis in terra, erunt soluta in cœlo.* Vtrùm nomen Ecclesiæ hoc in loco congregationem Seniorum ac Iudicum sub lege Mosaica, an Pastorum & Doctorum sub Euangelio designet, non magnoperè laboro; ordo quē Dominus noster in propulsandis iniurijs seruari præcipit, huiusmodi est, vt à priuata monitione ad testes, à testibus ad fidelium cœtus iretur. Id enim verbum ἐκκλησία manifestè significat, atque idem promissio apposita liquidò confirmat: *Vbi duo vel tres in nomine meo congregati sunt, ibi sum in medio eorum.*

a Math.18.

Nec alia Ecclesiæ magis accommodata ratio cogitari potuit. Quandoquidem enim controuersijs inter homines finem imponi necesse sit, ne perpetua contentio certum exitium pariat, & charitatis æquitatisque radices ex cordibus humanis penitùs euellat, si nec priuatis monitionibus, nec amicorum exhortationibus ad concordiam adduci poterint; quis alius potuit præscribi modus, quàm publica quædam & iudicialis cognitio & decisio eorum quæ in quæstionem vocantur? Iam verò Iudices aut *singulares*, aut *coniunctos* esse oportet: *singulares* etiam aut *summa potestate præditos*, aut mandatam à superioribus iurisdictionem deriuantes. Episcopus Romanus peculiarē & præcipuam sibi potestatem vendicat audiendi finiendiq; omnes causas Ecclesiasticas, siue ad fidē, siue ad ius alterius spectantes; cui si tā expeditū esset probare quod contendit, quàm superbum est quod sibi reseruat longiori disceptatione dignum videretur. Sed quo plus sibi arrogat, eò plus peccat; cum nullo iure aut exemplo, certum & indubitatum sibi iudicium sumat, in omnes homines causasque in terris, quæ veritatem aut Ecclesiam quoquo modo attingunt. Ac in rebus humanis Principes quidem soli atque summi sunt Iudices; & vbi fidem Christi profitentur, eorum

curæ

curæ ac potestati ex Dei mandato Ecclesiæ & fidei defensio committitur. Christus tamen gladium esse generalem & perpetuam gubernandæ Ecclesiæ suæ normam non constituit. Ita enim nulla sine Principe esset Ecclesia; & proindè nec Apostolorum ætate, nec tercentum annis post, Christus vllam in terris Ecclesiam habuit, cùm nullus Romanorum Principum, penes quos orbis terrarum erat imperium, ante Constantinum Christianæ religioni publicè fauerit aut consenserit.

Quare cùm nullos singulares & summos Iudices designatos inueniamus, ex quibus Ecclesia Christi perpetuò pendere, quorumque in causis ac controuersijs Ecclesiasticis iudicium expectare debeat; necesse est, vt aut omninò nulli sint, adeoque nec ordo nec concordia inter fideles, deficiente Christiano Magistratu, vel seruari vel haberi possunt; aut Pastores & Oecomonos Ecclesiæ Christi, quibus ea cura & dispensatio credita est, conuenire oportet, & cõmuni consilio atq; consensu eadem adiumenta generatim Ecclesiæ præstare, quæ cuilibet personæ & loco separatim impertiunt. Tametsi enim Pastores proprijs Ecclesijs ac ciuitatibus affixi sint; illud tamen communi studio, ac officio, quæ omnibus Christi membris debentur, nihil derogat, quin quoties opus fuerit, tam ijs qui foris sunt, consulendum, quàm iis qui domi, sit desudandam, vt familiam Dei, hoc est, Ecclesiam factis consultisque iuuent, & in pace conseruent. Fraterna hæc dubijs & periculosis in rebus consilij auxilijque communicatio aliquandò fit literis vltrò citroque missis; neutiquàm tamen adeò plenè perfecteque, ac vbi plures conueniunt, & accurato iudicio maturaque deliberatione cognoscunt & decernunt quæ Ecclesiæ paci & incolumitati meliùs conducere videbantur.

Eorum authoritas hac in parte firmissimis diuinarum humanarumque societatum fundamentis innititur, Seruatoris nostri promissione munitur, Apostolico exemplo, & Ecclesiæ Christi vsu perpetuo roboratur. Quicquid reuerentiæ & obedientiæ patri à liberis suis expectare liceat, eandem aut maiorem etiam fideles omnes fidei suæ Patribus exhibere oportet.

portet. Idem nomen, idem præceptum vtroſque continet; quid ni ergò idem honos vtriſque habeatur? Et ſi ius ſit, vt quiſque mercedis ſuæ modum iuxta operis præſtantiam accipiat; qui gignunt, enutriunt, & educant nos in Chriſto, quanto maiori honore digni ſunt, quàm qui nos procrearunt, & res ad hanc vitam ſolùm neceſſarias miniſtrarunt? Quid, quod Eccleſia eſt corpus Chriſti; atque ea ratione, vt in noſtris corporibus, ita in ipſius, non ſolùm membra communem curam totius gerunt, ſed præſtantiores partes quaſi duces ac magiſtræ reliquarum eſſe debent; veluti oculi ad videndum, aures ad audiendum, os ad loquendum, totius corporis nomine. Quare quos Chriſtus [b] *ſpeculatores & ductores* conſtituit, * *Lucem ac ſalem* Eccleſiæ ſuæ nominauit, non ad *monendum* ſolùm *ducendúmque*, ſed ad *illuminandum condiendúmque*, pro viribus ſuis, totum corpus, paratos eſſe decet & ſollicitos. Quicquid enim authoritatis ſeparatim atque diuiſim in proprijs Paræcijs & Eccleſijs à Chriſto acceperunt, eandem coniunctim in Concilijs & conuentibus ſuis retinent. Imò Dominus noſter tanto fauore paternam curam & fraternam concordiam Paſtorum in Eccleſia ſua proſequitur, vt in *medio eorum ſimul collectorum affuturum ſe*, & ſuo Spiritu eos ducturum promiſerit, modò conueniant, non ad voluntates & libidines ſuas explendas, ſed ad ſanctificandum nomen eius, errores ſcilicet conuincendo, lupis reſiſtendo, veritatem propugnando, & medendo vulneribus ac morbis illis, qui peſtem & perniciem corporis eius membris important.

b Heb.13.
* Matth.5.

Celeſtini Epiſtola ad Oecumenicum Concilium Epheſinum ſic habet; [c] *Spiritus ſancti præſentiam manifeſtat Synodus Sacerdotum. Verum eſt enim quod ſcriptum eſt, quia non poteſt veritas mentiri, quum in Euangelio extet huiuſmodi ſententia; Vbi duo vel tres erunt congregati in nomine meo, ibi ego ſum in medio eorum; quod cùm ita ſit, ſi tam exiguus numerus Spiritu ſancto non deſtituitur, quomodo non credemus eum multò magis nunc in medio veſtrùm eſſe, vbi tanta multitudo ſanctorum in vnum conueniunt?* Concilium Chalcedonenſe eandem etiam de his verbis ſententiam tenuit, [d] *Supercœleſtem ſponſam inter nos conuerſantem*

c Celeſtin. Epiſt. ad Con. Ephel.

d Relatio ad Conc. Chalc. ad Leonem actio.3.

santem nos cernere putabamus; si enim vbi sunt duo aut tres congregati in nomine eius, ibi se in medio eorum fore perhibuit, quantum circa Sacerdotes & quàm peculiarem affectum voluit demonstrare, qui patriæ & labori confessionis suæ notitiam prætulerunt? Reccaredus Hispaniæ Rex, qui primus Arianam hæresim abdicauit, 589. post Christum annis ad Concilium Toletanum ita scripsit; [c] *Valde necessarium esse perspexi beatitudinem vestram in vnum conuenire, habens sententiæ Dominicæ fidem, quæ dicit; Vbi fuerint duo vel tres collecti in nomine meo, ibi sum in medio eorum. Credo enim beatam sanctæ Trinitatis diuinitatem huic sancto interesse Concilio, & inde tanquam ante conspectum Dei, ita in medio vestri fidem meam protuli.*

c Conc. Tol. 3. ca. 2.

Hunc morem Apostoli exemplo suo Ecclesię commendarunt, cum occasione quæstionis in Ecclesia Antiochena cõmotæ, [f] *Apostoli & Presbyteri conuenerunt, vt dispicerent de eo negotio*; & vt verbis Domini fidem facerent, non Apostoli solùm, sed vniuersus cœtus in literis suis ita scripserunt; [g] *Visum est Spiritui sancto, & nobis.* Nam si verum sit, quod Apostolus dicebat; [h] *Spiritus sanctus vos Episcopos constituit, vt pascatis Ecclesiam*; & si Christus falli non potuerit, quandò ad Discipulos suos aiebat; [i] *Qui vos audit, me audit, &c.* id in Pastoribus simul coactis ac seorsim constitutis perindè verum esse oportet. Imò, in Christi nomine congregati certiores de diuina ope & auxilio possunt esse, quàm cum soli sint & solitarij, nisi fortè quisquam est, qui credat vnicuilibet posse Deum iustitiam inspirare, & innumeris in Conciliũ congregatis Sacerdotibus denegare, quod [k] Concilium Africanum incredibile putat & absurdum.

f Act. 15.
g Ibid. ver. 28.
h Act. 20.
i Luc. 10.
k Conc. Afr. c. 138. in epist. ad Celest.

Hæc per omnes ætates, tam antè, quàm post magnum Nicenum Concilium, ratio inualuit, qua verum à falso diiudicarent, res dubias expedirent, lites componerent, & iniurijs in Ecclesia resisterent. Hæc via proxima, si non vnica fuit ad purgandam domum Dei, quoad fieri potuit, ab impurissimis dedecorum & turpitudinum vasis, etiam tum, cum nulli adhuc fideles Magistratus ad opem Ecclesiæ ferendam existerent; ex quo autem Christiani Principes veritati nomina dederunt, ac eius patrocinium susceperunt, nullam

æquiorem tutioremuè ad dirigendum normam habuerunt aut habere potuerunt, quàm piorum & prudentum conuentus Pastorum. Montani hæresis, orta circiter annos 70. à morte beati Iohannis, in diuersis Concilijs Asiaticis examinata & damnata fuit, vt quidam illorum temporum vicinus testatur; [l] *Fideles per Asiam sæpenumerò, & multis Asiæ locis conueniebant, ac nuper natas doctrinas excutiebant, & prophanas pronunciabant, hæresimq; istam reprobantes Ecclesia eijciebant, & excommunicabant.* Posteà etiam ad annos plus minùs viginti multæ Synodi diuersis in locis circa celebrationem Paschatis coactæ sunt, veluti Palestinæ sub [m] Theophilo Episcopo Cæsariensi, & Narcisso Hierosolymitano; Romæ sub [m] Victore; in Ponto sub [m] Palmate; in Gallia sub [m] Irenæo; in Græcia sub [m] Banchillo Corinthiorum Episcopo; in Asia sub Polycrate. Huc ascribere licet Synodos temporibus [n] Dionysij Alexandrini Episcopi, [o] Cornelij Romani, [p] Cypriani Carthaginensis aduersus Nouatum, & de hæreticis baptismate repurgandis habitas. Synodus Antiochena annis sexaginta prior Nicena Paulum Samosatenum propter hæresim condemnauit, & Episcopatu priuauit; *Cum autem Ecclesiæ domo haudquaquàm abstinere vellet, Imperator Aurelianus* (licet Ethnicus) *interpellatus decretum in eum tulit. Ad hunc modum Paulus* [q] *summa cum ignominia per mundanum principatum Ecclesia expellitur.* Idem procul dubio per omnes Ecclesiæ ætates, pro rerum ac temporum conditione vsque ab initio obtinuit.

l Euseb.lib.5. cap.16.
m Euseb.lib.5 cap.23.& 24.
n Euseb.lib.7. cap.5.& 7.
o Idem lib.6. cap.43.
p Conc.Carth sub.Cyprian.
q Euseb.lib.7. cap.30.

Magnum Nicenum Concilium probè animaduertit, id quod decreto suo declarauit, quanta Synodorum vtilitas fuisset, semperque futura esset; [r] *Visum est (inquit) per singulos annos in singulis prouincijs bis in anno Episcoporum Concilium fieri, vt simul in vnum conuenientes omnes prouinciæ Episcopi quæstiones huiusmodi communiter examinent.* Concilium Antiochenum idem statuit; [s] *Propter Ecclesiasticas causas, & quæ existunt controuersias dissoluendas, visum est bis in anno per singulas prouincias Episcoporum Concilium fieri.* Huc etiam facit Oecumenicum Constantinopolitanum Concilium. [t] *Manifestum est quòd per singulas quasq; Prouincias prouincialis Synodus administ-*

r Conc.Nicē. can.5.
s Concil.Antioch.ca.20.
t Conc.Const. 1.ca.3.

ministrare & gubernare omnia debeat, secundum ea quæ sunt in Nicena Synodo definita. Concilium Chalcedonense Episcoporum negligentiam in eo coarguit, quòd præscriptum Synodorum numerum minùs seruarent. [u] *Peruenit ad aures nostras quod in Prouincijs constituta Episcoporum Concilia minimè celebrentur; & quod inde multæ, quæ correctione opus habeant, Ecclesiasticæ res negligantur. Statuit igitur sancta Synodus hæc, secundum Patrum regulas bis in anno in vnum conuenire per singulas Prouincias Episcopos, vbi singula, quæ emerserint, corrigantur.* Viarum longitudo, & Ecclesiarum tenuitas quibusdam in locis effecerunt, vt Episcopi semel tantùm in anno conuenirent. Ita Concilium Toletanum pro Hispania decreuit, [x] *Præcepit hæc sancta & vniuersalis Synodus, vt stante priorum authoritate Canonum, quæ bis in anno præcepit congregari Concilia, consulta itineris longitudine, & paupertate Ecclesiarum Hispaniæ, semel in anno in loco quem Metropolitanus elegerit, Episcopi congregentur.* Eodem modo Concilium Turonense in huiusmodi angustijs Galliæ consuluit. [y] *Placuit huic sanctæ Synodo vt bis ad Synodum annis singulis Metropolitanus & comprouinciales sui, in locum quem deliberatio Metropolitani elegerit, conueniant: aut si necessitas fuerit ineuitabilis, vel semel in anno, sine cuiuslibet excusatione personæ, sine cuiuscunque vtilitatis obstaculo, nullius occasione velaminis, habeat vnusquisque concursum. Si quis Episcopus (vt superius dictum est) ad Synodum venire distulerit, vsque ad maiorem Synodum à fratribus & comprouincialibus maneat excommunicatus, nec eum ex alia prouincia vllus Episcopus interea communicare præsumat.*

u Conc. Chalced. ca. 16.

x Conc. Tol. 3 ca. 28.

y Concil. Turon. 2. ca. 1.

Nulla Christiana respublica, nulla ætas vnquam fuit, in quibus Synodorum celebratio visa non fuerit necessaria, tam sub fidelibus Magistratibus ad consulendum dirigendúmq;, quàm sub infidelibus ad occurrendum impijs opinionibus, resistendum flagitiosis conatibus, & pacem & incolumitatem Ecclesiæ procurandam; vt apparet ex Concilijs vsque ab Apostolorum temporibus vbiuis gentium & locorum habitis, quoties maioris momenti quæstiones inciderent, quarum extant in diem hodiernum exempla, vt etiam ex

Synodis per singulas Prouincias quotannis celebratis, iuxta magnorum Conciliorũ Canones, Niceni & Chalcedonensis, quarum multitudo adeò infinita erat, vt literis mandari non potuerint, Neque verò Concilia tantum Synodos prouinciales celebrari præcipiunt, leges Imperatoriæ idem mandarunt. Ita enim Imperator; [z] *Vt autem omnis Ecclesiasticus status, & sacræ regulæ diligenter custodiantur, iubemus vnumquemque beatum Archiepiscopum & Patriarcham, & Metropolitam, Episcopos sub se constitutos in eadem Prouincia semel aut secundo per singulos annos ad se conuocare, & omnes causas subtiliter examinare, quas Episcopi, aut Clerici, aut Monachi adinuicem habeant, eásque disponere, & super hoc quicquid extra regulas à quacunque persona delinquitur, emendare.* Constitutiones Caroli Conciliorũ Antiocheni & Chalcedonensis authoritatem citantes, [a] *Vt comprouinciales Episcopi cum suo Metropolitano bis in anno propter causas Ecclesiæ Concilia celebrent,* [b] eundem morem seruari iubent, *& per singulos annos Synodum bis fieri.* Et nisi Pastori ac Presbyteris cuiusque Parœciæ licentiam hanc permittatis, vt quamcunque libet religionem profiteantur, quascunque velint iniurias inferant, nullumque non impietatis & tyrannidis flagitium liberè & impunè concipiant, quæ barbara & inhumana, si non diabolica esset confusio; oportet vt vbi nullus est Christianus Magistratus (quod non rarò euenit, ac etiam euenire potest) eandem Ecclesiæ Christi libertatem concedatis, quam omnis humana societas natura duce laudat & imitatur, vt totũ scilicet quamlibet partem regat & maior numerus minorem præponderet; quod quidem nullo modo fieri potest, nisi Pastorum conuentus & Concilia habeantur. *Tantum abest vt legitimarum Synodorum authoritatem recusemus, vt* [c] *Certum aduersus omnem ἀταξίαν remedium esse fateamur: illud verò merito improbamus, quòd potestatem conuocandi Synodos à magistratu ad Metropolitanum transferatis, eo modo non necessarium inter Episcopos discrimen ponentes; & solis quos dicitis, Episcopis suffragia in Conciliis tribuatis, cum cuilibet Pastori verbíque Ministro æquè ius sit in Conciliis sedere, & consensu suo authoritatéque decreta eorum confirmare.*] Quid iuris

z Nouel. constit. 123. c. 10.

a Legum Frãciæ, l. 1. ca. 13.

b Ibidem. ca 127.

c De Minist. Euang. grad. c. 23. fol. 159.

iuris Christianis Magistratibus in cõuocandis Synodis intra regnorum suorum fines tribuamus, facilè suo loco planum fiet; interim nobis dicatis oportet, quis Synodos in prima Ecclesia congregari fecit, antequam Principes Christianam fidem coluerunt. Num Magistratus, qui tum infideles erant? an Metropolitanus? Et vbi Principes veritatis tutelam susceperunt, num prouincialium Conciliorum gubernationem per legatos suos administrarunt, an primæ Ecclesiæ Ciuitatisque Episcopo in qualibet prouincia detulerunt? Literarum scientiam & multæ lectionis laudem vobis vendicatis; dicite igitur, siqua existimationis vestræ cura sit, quis prouinciales Synodos olim conuocauit, aut moderandis ijs vnquàm præfuit, præter Metropolitanos? Si ex perpetua Dei ordinatione necesse sit, vt ad euitandã confusionem in Presbyterijs vestris vnus aliquis primus, & cęteris superior sit, qui eorum regat actiones; quo pacto Synodi indici & gubernari poterint, si nemo sit qui Pastoribus conueniendi tempus & locum præfiniat, & vbi conuenerint, eorum cœtus moderetur? An nescitis, quòd qui ex diuersis ciuitatibus & regionibus confluunt, & rarò inter se commercium habent, magis rectore aliquo opus habeant, cuius authoritate in vnum cogantur, quàm quibus vsus & vita est communis? Et si defectus ordinis in Presbyterijs cum tanto Ecclesiæ detrimento & tam certa pernicie coniunctus sit, annon multò magis idem in Synodis expectandum? Alterum igitur necesse est, vt aut Synodos omninò reijciatis, adeoq; Presbyteris cuiusque parœciæ summam in causis Ecclesiasticis potestatem tribuatis; aut si eas recipere velitis, aliquos pariter conuocandis moderandisque eisdem præficiatis. *Magistratui eos conuocare licet; vbi verò conuenerint, actionum suarum præsidem & rectorem ipsi sibi eligant.*] Verumtamen cum magistratus non modò non protegat Ecclesiam, sed prosternat, vt cum hæresis & infidelitas summam rerum administrent, quis prouinciæ cuiusque Pastores ad consilium in rebus arduis ac difficilibus capiendum congregabit? Num Ecclesiam errore & iniuria obrui sinemus, nec quisquam publicè his obsistere, aut opponere se audebit? in fidei quæ-

ſtionibus, controuerſiarum ſalebris, factionum procellis, iniuriarum querelis, in ordinis denique æquitatiſque perturbatione, cuilibet loco & Presbyterio propria authoritate quiduis docere, audere, ac etiam ſtatuere licebit? Hæccine vobis Eccleſiæ Chriſti diſciplina, ac non potiùs pacis diſſolutio, veritatiſque omnis in domo Dei ſubuerſio videtur? Næ ego vos adeò dementes non puto, vt pernicioſam hanc anarchiam orbi Chriſtiano obtrudere velitis. Nihil opus eſt amentiſſimam hanc noſtram ætatem, laxatis habenis nouo aliquo furore impelli. Quanquam non id quærimus, quam nouam gubernandæ Eccleſiæ formam, poſt annos mille quingentos excogitare poſſitis; ſed quem morem prima illa & antiquiſſima Chriſti Eccleſia in conuocandis Synodis, componendiſque controuerſijs tam de religione, quàm regimine Eccleſiaſtico tenuerit, antequam Principes veritati manus dederunt; & ſi alijs, præterquàm Metropolitanis, primas in Synodis tributas fuiſſe ex hiſtorijs Eccleſiaſticis probare poſſitis, tantùm nomina, & loca notate, & palmam vobis deferemus. *Metropolitani poteſtatem ſuam omnem, ſi non originem ipſam, Niceno Concilio acceptam referunt; ante id tempus nullibi eorum facta eſt mentio.*] Si indè initium habuiſſent, nihil eſſet cur eos originis ſuæ puderet. Tota enim Chriſti Eccleſia, mille & ducentis annis, Nicenorum Patrum decreta & iudicium ſummo in honore ſemper habuit; vt nouæ iſtius diſciplinæ architecti; ſi antiquitate & authoritate cum ijs conferantur, longo interuallo à tergo ſint relinquendi. Verumtamen ſi diligentiùs hæc animo circumſpiciatis, multò ante Nicenum Concilium Metropolitanos fuiſſe inuenietis. Non enim tunc primùm excogitauit eos, ſed vt multò antiquiores agnouit Synodus, his verbis; [d] *τὰ ἀρχαῖα ἤθη κρατείτω, Mos antiquus perduret in AEgypto, Lybia, & Pentapoli, vt Alexandrinus Epiſcopus horum omnium habeat τὴν ἐξουσίαν, poteſtatem. Similiter & apud Antiochiam cateráſque Prouincias τὰ πρεσβεῖα σώζεσθαι ταῖς ἐκκλησίαις Priuilegia ſua cuique ſeruentur Eccleſiæ.* Cuiuſmodi autem prærogatiuæ fuerint, quas olim penes primæ Eccleſiæ Ciuitatiſque Epiſcopos eſſe voluerunt, licet omnes illic

[d] Concil. Nicen ca. 6.

illic non commemorentur, hæ duæ tamen in medio ponuntur. In 4. Canone; [c] τὸ κύρος τῆς γινομένων δίδοσθαι καθ' ἑκάστην ἐπαρχίαν τῷ μητροπολίτῃ, *Authoritas (siue confirmatio) eorum quæ fiunt, per singulas Prouincias ad Metropolitanum Episcopum pertinebit.* Et in dicto Canone 6. verba hæc proximè subsequuntur; [f] *Per omnia autem manifestum est, quòd si quis præter voluntatem & conscientiam Metropolitani Episcopi fuerit ordinatus, hunc Concilium magnum & sanctum censuit non debere esse Episcopum.* Itaque nec Synodos conuocari, nec Episcopos ordinari, iuxta Niceni Concilij Canones, sine Metropolitano licebat; nec potestas & prærogatiua eorum ab eo Concilio initium sumpsit, sed ἀρχαῖον ἦθος, *mos antiquus*, & qui ab initio fuit, & in 7 Canone παράδοσις ἀρχαῖα, *vetusta traditio*, ipsius testimonio perhibetur.

[c] Idem. ca. 4.

[f] Conc. Nicen ca. 6.

Concilium Antiochenum quindecim annis Niceno posterius, eodem modo ex Canonibus Nicenis concludit: [g] *Episcopum non ordinandum sine consilio & præsentia Metropolitani.* Ad Synodum autem celebrandam oportet ex omni Prouincia Episcopos per Metropolitanum congregari: [h] *Visum est bis in anno per singulas Prouincias Episcoporum Concilium fieri; in quo & Presbyteros & Diaconos præsentes esse oportet, & omnes quotquot se læsos existimant, & Synodicam expectare sententiam. Nec liceat aliquibus apud semetipsos Concilia sine Metropolitanorum Episcoporum conscientia facere.* [i] *Illa enim dicitur Synodus plenaria, in qua etiam Metropolitanus Episcopus affuerit.* Similiter etiam declarant, cuiusmodi Metropolitano in cæteros potestas fuerit. *Per singulas Prouincias Episcopos scire oportet, Episcopum Metropolitanum curam & solicitudinem totius Prouinciæ suscepisse. Quapropter placuit eum & honore præcellere, & nihil vltra sine ipso reliquos Episcopos agere, secundùm antiquum Patrum nostrorum Canonem, nisi hoc tantùm quod vnicuique Ecclesiæ per suam Diœcesim competit. Vltrà autem nihil agere permittitur citra Metropolitani Episcopi conscientiam, nec Metropolitanus sine cæterorum aliquid gerat consilio Sacerdotum.* Synodus Constantinopoli habita tempore Arcadij & Honorij Imperatorum, decreuit: [k] *Non oportere reum iudicatum (Episcopum) nec à tribus nec à duobus deponi, sed sententia maioris*

[g] Conc. Antioch ca. 19.

[h] Ibid. ca. 20.

[i] Ca. 16.

[k] Ex actis Constant. de Agap & Bagid. Reperitur post Conc. Atric. græco-latin. impress. anno 1559.

Concilij, & eorum qui eiusdem sunt Prouinciæ, καθὼς καὶ οἱ ἀποστολικοὶ κανόνες διωρίσαντο, *quemadmodum Apostolici Canones constituerunt.* In Concilio Ephesino oblata ab Episcopis Cypri querimonia, quòd Episcopus & Clerus Antiochenus [l] *voluissent sibi subijcere Episcopos Insulæ (Cypri) contra Apostolicos Canones, & definitiones sanctissimæ Nicenæ Synodi*, & postulatione interposita, *vt sicut initio à temporibus Apostolorum & constitutionibus magnæ Synodi Nicænæ superior insidijs & potentia permansit Cypriorum Synodus*, ita deinceps eundem statum retinerent; Concilium Episcopi Antiocheni conatum his verbis repressit, [m] *Innouationem* παρὰ τοὺς ἐκκλησιαστικοὺς θέσμους, καὶ τοὺς κανόνας τῆς ἁγίων ἀποστόλων, *prater leges Ecclesiasticas, & Canones sanctorum Apostolorum, quæ omnium libertatem tangit, renunciauit (nobis) Reginus (& qui cum eo sunt Episcopi) Prouinciæ Cypri. Vnde quoniam communia* [n] *mala maiore indigent cura, quippe maius dammum adferentia, habebunt qui sanctis Ecclesijs in Cypro præsunt, ius intactum & inuiolatum, secundùm Canones sanctorum Patrum, & antiquam consuetudinem, vt ordinationes Episcoporum per seipsos faciant. Idem & in alijs Diœcesibus, & in omnibus vbique Prouincijs obseruabitur, vt nullus Episcopus alienam inuadat Prouinciam, quæ non priùs ac ab initio sub illius, vel antecessorum suorum fuerit potestate. Placuit igitur sanctæ & Oecumenicæ Synodo, vt singulis prouincijs pura & inuiolata seruentur iura quæ* ἐξ ἀρχῆς ἀνωθεν, *iam inde ab initio habuerunt.* Constat igitur manifestissimis Conciliorum Prouincialium ac generalium testimonijs & exemplis, Synodos atque Metropolitanos conuocandis moderandisque Prouinciæ cuiusque Episcopis multò ante Nicenam Synodum constitutos fuisse, & ab vltima Apostolorum ætate secundùm antiquissimas Ecclesiæ leges ius suum retinuisse. De Synodis ante Nicenum Concilium conuocatis, & Prouincijs iam illis temporis distributis hoc ipso capite paulò superiùs clarissima protuli [o] documenta.

Iam verò quòd omnibus Christianorum & locis & seculis post Nicenum Concilium fideles hanc regendæ Ecclesiæ formam diligenter seruarint, sanctéque coluerint, adeò certum est & manifestum, vt nulla arte possit eludi vel obscurari.

l In libello Episc. Cypri Synodo Ephesinæ oblato.

m Edict. Concilij Ephes. post aduen. Episc. Cypri.

n πάθη.

o Sup. fol 450

rari. Concilium Arelatense secundum, recens à Niceno habitum in Gallia, ait; [p] *Nullus Episcopus sine Metropolitani permissu, nec Episcopus Metropolitanus sine tribus Episcopis comprouincialibus præsumat Episcopum ordinare.* [q] *Illud enim ante omnia claret, eum qui sine conscientia Metropolitani constitutus fuerit Episcopus, iuxta magnam Synodum (Nicenam) esse Episcopum non debere.* Similiter de Synodis; [r] *Ad Arelatensis Episcopi arbitrium Synodum (esse) congregandam, (&) si quis commonitus infirmitatis causa defuerit, personum vice sua dirigat.* [s] *Si quis autem adesse neglexerit, aut cœtum fratrum, antequam dissoluatur Concilium, crediderit deserendum, alienum se à fratrum communione cognoscat, nec eum recipi liceat, nisi insequenti Synodo fuerit absolutus.* Concilium Laodicense in Phrygia: [t] *Episcopos oportet iudicio Metropolitanorum, & finitimorum Episcoporum constitui ad Ecclesiæ principatum;* [u] *vocatus autem ad Synodum non contemnere, sed adire, & aut docere, aut doceri quæ sunt ad Ecclesiæ cæterorumq; correctionem vtilia.* Concilium Carthaginense secundum in Africa: [x] *Placet omnibus, vt inconsulto Primate cuiuslibet Prouinciæ tam facilè nemo præsumat, licet cum multis Episcopis in quocunque loco, sine eius præcepto Episcopum ordinare. Si autem necessitas fuerit, tres Episcopi in quocunque loco sint, cum Primatis præcepto Episcopum ordinare debeant.* Et quintum: [y] *Placuit scribendum ad singularum quarumque Prouinciarum Primates, vt quando apud se Concilium congregant, diem (præstitutum) non impediant.* Concilium Mileuitanum. [z] *Aurelius Episcopus dixit: communis hæc causa est, vt vnusquisque nostrum ordinem sibi decretum à Deo cognoscat, & posteriores (Episcopi) anterioribus deferant, nec eis inconsultis aliquid agere præsumant. Qua de re oportet eos qui putauerint spretis maioribus aliquid præsumendum, competenter esse ab omni Concilio coercendos. Vniuersi Episcopi dixerunt: Hic ordo & à Patribus, & à maioribus est seruatus, & à nobis, Deo propitio, seruabitur.* Concilium Regiense in Italia: [a] *Ordinationem quam Canones irritam definiunt, nos quoque vacuam esse censuimus, in qua prætermissa trium præsentia, nec expetitis comprouincialium literis, Metropolitani quoque voluntate neglecta, prorsus nihil, quod Episcopum faceret, ostensum est.* Idem rursus:

p Concil. Arelat. 2. can. 5.
q Ca. 6.
r Ca. 18.
s Ca. 15.
t Concil. Laodic. ca. 12.
u Ca. 40.
x Concil. Carthag. 2. ca. 12.
y Concil Carthag 5. ca. 7.
z Conc. Mileuit. ca. 13.
a Conc. Rhegien. ca. 1.

Nullus

b Ca.6. [b] *Nullus (Episcopus) ad Ecclesiam, quæ summum amiserit Sacerdotem, nisi Metropolitani literis inuitatus (ne à plebe decipiatur) accedat.* Concilium Tarraconense in Hispania. c Conc. Tarracon. ca.6. [c] *Si quis Episcoporum commonitus à Metropolitano, ad Synodum, nulla graui intercedente necessitate corporali, venire contempserit, sicut statuta Patrum censuerunt, vsque ad futurum Concilium cunctorum Episcoporum charitatis communione priuetur.* Concilium d Conc. Epaun. ca.1. Epaunense: [d] *Prima & immutabili constitutione decretum est, vt cùm Metropolitanus fratres vel comprouinciales suos ad Concilium, vel ad ordinationem cuiusque consacerdotis crediderit vocandos, nisi causa euidens extiterit, nullus excuset.* Et ne in exemplis infinitus sim, qui plura de Metropolitanorũ potestate tam in ordinandis Episcopis, quàm in Synodis conuocandis scire volet, legat Concilium Agathense, ca.35. Concilium Taurinat. ca.1. Conc. Aurelianens. 2. ca.1.2. quintum, ca.18. Conc. Turonens. 2. ca.1.9. Conc. Parisiens. ca.8. Conc. Toletan. 3. ca.18. quartum, ca.3. cum multis alijs, quæ breuitatis causa prætermitto. Ex quibus omnibus plusquam perspicuum est, Metropolitanorum in Ecclesia authoritatem, vt ante Nicenam Synodum suscepta, & vsu continuo confirmata fuit; ita per orbem Christianum vsque eò perdurasse, donec Pontifex Romanus Ecclesiæ libertatem funditus euertisset, omniaque ad nutum & arbitrium suum reuocasset. *Pontifex Romanus non imminuit, sed auxit potiùs hanc Metropolitanorum potestatem. Quis enim Synodos Prouinciales è medio sustulit, & Episcopos Archiepiscoposq; ad hoc superbiæ fastigium euexit, nisi Romani Antichristi Decretalia?*] Si minùs vos erubescatis, illud Antichristianæ superbiæ nomine appellare, quod sancta & Oecumenica Concilia, suadente communi vtilitate, admiserunt & decreuerunt, cuique pij & prudentes Principes, quò faciliùs leges eorum executionem haberent, libenter assenserunt; me tamen officij mei ratio erga Ecclesiam, ac Magistratum retinet, ne obtrectare aut derogare ei ordini videar, quem longo & sagaci rerum vsu tum in Concilijs, tum à Principibus constitutum inuenio. Quod ad Antichristum attinet, omnium officia sibi vsurpauit, omniumque iura voluntati & libidini suæ subiecit; quid præterea,

Me-

Metropolitanorum potestati addiderit, non video. Habeant id quod Concilia & Principes in prima Ecclesia eorum curæ committendum esse, nec vana, nec leui experientia didicerunt; & nihil ampliùs ijs concedi postulamus. Minimè, opinor, Antichristianæ superbiæ attribuetis, si Christianorum Principum de rebus Ecclesiasticis sapienter & vtiliter instituta iussi sint executioni mandare. *Hoc est quod iure reprehendimus, quòd Archiepiscopi libertatem Synodorum prorsus deleuerint, & ad se omnia reuocauerint.*] Imò, hoc est, quod multò iustius in vobis reprehendi potest; quòd tanta bile feruceatis, vt planè quid loquamini nescia-tis. Quis enim est qui Synodorum frequentiam coarctat & refrænat, aut potestatem ijs Canones condendi, & causas Ecclesiasticas definiendi adimit? Metropolitanus an Princeps? Videte etiam atque etiam, ne dum vehementer nimiùm atq; importunè flagitetis, vt Metropolitanus, sine Principis licentia, solus Synodos indicat, solus gubernet, nouam Synodorum formam erigatis, non tam ad dirigendum Magistratum quàm ad minuendam authoritatem Principis comparatam. Verum quidem est, nullas apud nos Synodos, sine Principis præcepto, conuenire aut deliberare posse, de quibuscunque rebus ad publicam vtilitatem huius Regni aut Cleri statum pertinentibus. Non enim diuersam à Principe, vel illo maiorem iurisdictionem habent, sed in omnibus ei subiectæ sunt, & iure diuino atque humano sic ordinatæ, vt ad veritatis & pietatis amplificationem Principi præbeant consilium, vbi & quandò eas ipse congregari iusserit. Alioqui nullam ex se, in Regno vbi Christianus rerum potitur, decreta ferendi potestatem habent, nec ius audiendi componendiq́ue controuersias in Ecclesia, nolente, aut non permittente Principe, sibi vendicare possunt. Vos ergò iudices constituo, si non ignorantiæ vestræ, ne dicam malitiæ certissima detis indicia, cum aduersus Metropolitanum ea de re declamitetis, quæ non in ipsius potestate, sed in Principis manu sita est; & (si sapiatis) plus silentij posthac in huiusmodi causis adhibebitis, ne sub nomine Metropolitani Principis ius conuellere videamini. Quòd si, posita morositate,

tate, verè ac sobriè intueri possetis, non solùm cuiusmodi res nostris temporibus mutatæ sint, sed qua de causa, & à quibus mutentur, multò minùs & vobis hæsitationis, & huic regno molestiæ allaturi essetis.

Antequam Principes Christianæ militiæ nomina dederunt, nullam (vt dixi) Ecclesia rationem habuit, qua verum à falso, æquum ab iniquo dijudicaret, nisi per Synodos & conuentus religiosorum & prudentum Pastorum. Idem mos, vsque ab Apostolis ad Constantinum Imperatorem perpetuò durauit, etiam tum cum persecutio maximè diuexaret Ecclesiam, & cum nulli per id tempus essent Christiani Magistratus, Synodi tamen in Ecclesia fuerunt: quæ ab Episcopis primarum ciuitatum in qualibet Prouincia indici atque gubernari solebant, quos prisca Concilia Metropolitanos nominarunt. Posteà autem, cum Principes ad fidem conuersi essent, Synodorum numerum augere cœperunt; nec generalium solùm Conciliorũ decreta, sed prouincialium etiam iudicia, vt ad pacem procurandam, & religionem vbique propagandam apprimè necessaria roborarunt. Quemadmodum enim legibus suis Ecclesiasticas causas ad Ecclesiasticos Iudices retulerunt; ita ne lites suspensæ & incertæ diutiùs penderent, Metropolitanis quibusque diligenter mandarunt, vt Prouinciarum suarum Episcopos bis in anno ad Concilium vocarent, ibique controuersijs & iniurijs in Ecclesia ortis examinatione & iudicio finem imponerent. Decreta Niceni Concilij de his alijsque similiter rebus, & sententias Episcoporum in Synodis suis ad eundem modum latas Constantinus (vt refert Eusebius) authoritate sua comprobauit, [e] τὰ τῆ συνόδῳ δόγματα κυρῶν ἐπεσφραγίζετο *Decreta (Concilij Nicæni) sigillo suo confirmauit.* Idem recitans leges ab eo in gratiam Christianorum sancitas, ait; [f] *Quæ ab Episcopis in publicis conuentibus æditæ erant regulæ, sua consignabat & confirmabat authoritate; ne reliquarum gentium præsidibus liceret, quæ ab ijs decreta essent, abrogare. Cuiusuis enim iudicis sententiæ, Sacerdotum Dei iudicium anteponendum esse.* Et *quicquid in sanctis Episcoporũ Concilijs decernitur,* [g] τοῦτο πρὸς τὴν θείαν βούλησιν ἔχει τὴν ἀναφοράν, *id totum* (inquit Constantinus) *diuinæ volun-*

e Euseb. de vita Constan. lib 3. cap 22.

f Idem lib. 4. cap. 27. de vita Constant.

g Idem lib 3. cap. 18.

voluntati debet attribui. De quatuor primis Oecumenicis Concilijs, ita Iustinianus; [h] *Sancimus vicem legum obtinere sanctas Ecclesiasticas regulas, quæ à sanctis quatuor Conciliis expositæ sunt, aut firmatæ, hoc est, in Niceno, Constantinopolitano, Ephesino, & Chalcedonensi. Prædictarum enim quatuor Synodorum regulas sicut leges obseruamus.*

h Nouel. constit. 131. cap. 1.

Postea, crescente multitudine litium & sic in immensum aucta, vt Episcopi nec sumptus itinerum tolerare, nec ab Ecclesijs tamdiu abesse potuerint, dum priuatæ cuique controuersię iudicialem finem imponerent, semel in anno Synodos indicere coacti sunt; commissis interea causis, quæ moram non ferrent, aut quas breui Synodorum spacio molestiores futuras prouidebant, Prouinciæ illius Metropolitano, vbi lites ortum habuerunt. Concilium in Trullo, ait; [i] *Ea quæ à sanctis Patribus nobis tradita sunt, nos valere in vniuersum volumus, ac renouamus Canonem, qui præcipit, vt quotannis fiant in singulis Prouincijs Synodi Episcoporum, quocunque in loco Metropolitanus Episcopus decreuerit. Quoniam verò propter barbarorum incursiones, ac alias ob causas, quæ incidunt, Ecclesiæ præsides non possunt bis in anno Synodos celebrare, visum est, vt omninò semel singulis annis ab Episcopis, propter causas ecclesiasticas, quæ vt verisimile est exoriuntur, in vnaquaq; Prouincia Synodus fiat annuatim eo in loco quem Metropolitanus Episcopus elegerit.*

i Conc. in Trull. ca. 8.

Concilium Nicenum secundum; [k] *Quoniam Canon est, qui dicit bis in anno in singulis Prouincijs canonicè inquisitiones per congregationes Episcoporum fieri oportere: propter vexationem, & quòd itineri perficiundo minùs sufficerent qui cogebantur, statuerunt sanctæ sextæ Synodi Patres, vt semel in anno hoc fiat, & delicta corrigantur. Hunc ergò Canonem nos quoq; renouamus; quod si quis Metropolitanus hoc fieri non curauerit, præterquam vi vel necessitate, aut iusta aliqua de causa, Canonicis pœnis subijciatur.*

k Synod. Nicæ. 2. ca. 6.

Concilium Africanum. [l] *Decreta Nicena siue inferioris gradus Clericos, siue ipsos* EPISCOPOS PROPRIIS METROPOLITANIS *apertissimè commiserunt. Prudentissimè enim iustissimeq; viderant, quæcunq; negotia in suis locis, vbi orta sunt, finienda; nec vnicuiq; Prouinciæ gratiam Spiritus sancti defuturam, quæ æquitas à Christi Sacerdotibus & prudenter videatur,*

l Conc. Afr. c. 138. in Ep. ad Celest.

tur, & constantissimè teneatur; maximè quia vnicuique concessum est, si iudicio offensus fuerit cognitorum, ad Concilia suæ Prouinciæ, vel etiam ad vniuersale Concilium prouocare. Idem alibi;

m Conc.Afr. c.127.&28.

[m] *Placuit, vt Presbyteri, Diaconi & cæteri inferiores Clerici in causis quas habuerint, si de iudicijs Episcoporum suorum questi fuerint, vicini Episcopi eos audiant. Quòd si & ab eis prouocandum putauerint, non prouocent nisi ad Africana Concilia, vel ad Primates Prouinciarum suarum.* Similiter Concilium Sardicense decreuit,

n Conc.Sard. ca.15.

[n] *Si quis Episcopus iracundius cum fuerit, statim Presbyterum aut Diaconum de Ecclesia exterminare voluerit, prouidendum est ne innocens damnetur, aut perdat communionem. Omnes (Episcopi) dixerunt; Qui electus est habeat potestatem confugiendi ad* METROPOLITANVM EPISCOPVM ILLIVS PROVINCIAE. Idem Imperialibus legibus est constitutum.

Latini Codices aliter habent.

o Nouel.Cõstit.123.c.22.

[o] *Si qui sanctissimorum Episcoporum eiusdem Synodi dubitationem aliquam inuicem habeant, siue pro Ecclesiastico iure, siue pro alijs de quibusdam rebus; prius Metropolita eorum cum alijs de sua Synodo Episcopis causam examinet & diiudicet; & si non rata habuerit vtraq; pars quæ iudicata sunt, tunc* PATRIARCHA *Diœceseos illius inter eos audiat, & illa determinet, quæ* ECCLESIASTICIS CANONIBVS ET LEGIBVS CONSONANT, *neutra parte eius sententiæ contradicere valente. Quod si à Clero aut alio quocunque aditio contra Episcopum fiat, propter quamlibet causam,* APVD METROPOLITANVM EIVS CAVSA IVDICETVR *secundũ sacras regulas & leges nostras. Et si quis iudicatis contradixerit, ad Archiepiscopum & Patriarcham Diœceseos illius causa referatur, qui secundum Canones & leges causam iudicet.*

Non ergò Antichristus, sed peruetusta Concilia, & pij Imperatores hanc Metropolitanis potestatem detulerunt. Videbant enim intolerandos sumptus & molestias, quibus Prouinciæ cuiusque Episcopi penè exhausti erant, dum apud Synodos tamdiù manerent, quoad priuatas omnes contentiones & querelas in quaque Prouincia exorientes componerent; nec quicquam causæ perspiciebant, cur totius orbis Episcopis bis quotannis negotium circa multiplices quorundam controuersias facesserent; magis autem illa ratione euen-

euenturum animaduertebant, vt lites aut longam procraſtinationem, aut leuem examinationem, & præproperam ſententiam acciperent; vndè vtique tam Principes, quàm Epiſcopi, non quò ſuperbiam Archiepiſcoporum augerent, ſed vt æquabilem & tolerabilẽ iudicij rationem litigantibus pariter & Iudicibus inſtituerent, non nouarũ legum ſanctionẽ, ſed iam factarum executionem Archiepiſcopi fidei commiſerunt. Tametſi autẽ Patres ad Concilia aut Primates cuiuſque Prouinciæ liberam prouocandi poteſtatem concedant; Imperator tamen non ignarus dilationum quæ cauſas diutius impedirent, priuſquam in Concilia adduci, & ratione atque ordine definiri poſſent; quodque multò plura incommoda inde ſequerentur, ſi omnes priuatæ contentiones à minoribus Synodis ad pleniora Concilia transferrentur; ad Archiepiſcopum omninò prouocandum decreuit.

Si mutationem hanc moleſtè feratis, quæ initio à Romanis Imperatoribus ſancita, vſque ad hodiernum diem legigibus patrijs continuata permanſit; vobiſcum reputate, quàm iniquum & intolerandum foret, vt omnes huius Regni Epiſcopi in vnũ conuenirent, & non laborem ſolùm, ſed ſumptum in audiendis, examinandis iudicandiſque tot controuerſijs, iniurijs, & contentionibus inſumerent, quot hodiè in omnibus Angliæ Conſiſtorijs verſantur. Forſitan Decimarum, Teſtamentorum, Legatorum, Sponſaliorum, Nuptiarum & ſimilium cauſarum iudicia à Synodis prorſùs remoueritis, quæ omnia antiquiſſimæ omnium Gentium leges ad Epiſcopalem referunt audientiam; atque ea ſolùm admitteretis quæ ad delicta coercenda pertinent; ipſa tamen experientia docet, quanto tempore cauſæ tam multitudinis quàm magnitudinis ratione pendeant in maximis Curijs Eccleſiaſticæ iuriſdictionis, licet Iudices bene multi toto anno legitimis (vt vocant) diebus iuri dicendo vacare ſoleant. Annon opus perquam laude dignum foret, veſtra cauſa efficere, vt Paſtores per cunctam Prouinciam conſtituti in vno loco perpetuò conſiſterent, & appellationibus tantùm inſeruirent, quæ ab omni parte frequentiùs interponerentur? Quis interim doceret, & Sacramenta

populo

populo miniſtraret? Quis tot centenis Paſtoribus communem vitæ cultum ſuppeditabit, quibus tantæ copiæ non ſunt vt familias ſuas domi, & ſeipſos foras alere poſſint? Quis legũ ſcientia eos erudiet, ſine qua multò plus iniqui, quam æqui facturi ſint? Quot etiam menſium vel potiùs annorum curricula præterlabentur, priuſquam tanta multitudo, aut eorum maior pars, de omni cauſa ad eos perlata, vna mente & voce conſentiant? Et vt hæc omnia incommoda perferrent, quid demum proficient, cum ad Principis vicarios ac delegatos ab ijs prouocare liceat? Si Synodi cæteris tribunalibus ſuperiores eſſent, etſi nihil dignum laboribus ac ſumptibus ſuis præſtarent, finem tamen litibus imponerent; nunc autem nihil aliud agent quam vt tempus deperdant, opes conſumant, & operam ſuam profundant, cum libera cuiuis ſit electio, vtrum in ſententia eorũ acquieſcere, an prouocando ab eadem recedere voluerit. *Multa his incommodis remedia, ſi ita liceret, inuenire poſſemus. Statuas enim quaſdam Synodos ex Paſtoribus, aliiſque laicis Senioribus, qui authoritate & prudentia cæteris præſtarent, ibique domicilium haberent, in qualibet Ciuitate conſtitui vellemus; penes quas omnium cauſarum iudicium eſſet, quæ in locis ijs ſubiectis verſantur. Ab his autem prouocatio ad Synodum Paſtorum & Seniorum in primaria aliqua huius Regni Ciuitate daretur; vt niſi maioris momenti cauſa incideret, Paſtores aliundè conuocari non eſſet neceſſe. Et vbi conueniſſent, moram ibi quam minimam facerent, ſed tempori ac ſumptui parcerent (quorum neutrum ijs opus eſt amittere aut effundere) ne Iudices potiùs contentionum inter homines, quam diuinorum myſteriorum diſpenſatores eos conſtituamus.*] Maximum diſciplinæ veſtræ fundamentum propria quidem inuentio videtur; vt ex eo facilè liquere poteſt, quàm nulla eius particula antiquitatem ſapit, nec vnquam in Eccleſia Chriſti locum obtinuit; partes etiam ac membra tanquam ægrotantium ſomnia inter ſe cohærent. Primò enim Paſtores & laici cuiuſque Eccleſiæ Seniores Presbyteria veſtra conſtituebant; iam verò eo inopiæ redacti eſtis, vt ad Synodos eos adhibeatis. Et cum nullo modo ferre potuiſtis, vt Epiſcopi Diœceſes ſub ſe haberent; nunc placere

placere vobis video, vt Presbyteria ditiones quasdam & Ecclesiasticam iurisdictionem extra Ecclesias Ciuitatesque suas sortiantur. Metropolitanos non ita pridem Antichristianæ superbiæ fastigium nominastis; modò ad reprimendam improborum audaciam temeritatemque in qualibet parœcia, coacti estis primarias aliquas Ciuitates admittere, earumque Presbyterijs Metropoliticam in continentes & adiunctas eis regiones iurisdictionem concedere. Atque hæc omnia vos ipsi, priuati cum sitis, excogitanda, ac etiam statuenda suscipitis; Principi tamen & vniuerso Regno nefas iudicatis, Ecclesiæ primogeniæ exemplum imitari, & optimorum ac religiosissimorum Imperatorum vestigia persequi, qui Metropolitanis conuocandi moderandique Prouincialia Concilia potestatem dederunt, & ad leuamen cæterorum de eiusmodi causis iudicare permiserunt, quas minoris momenti putarunt, quàm vt totis Synodis negotium facesserent. In quo cœcam & inconstantem animi vestri mutationem patefacitis, qui Ecclesiam à Presbyterijs Synodisque parochialibus ac prouincialibus gubernari libenter admittitis, & vtrisque Præsides & Rectores præficitis; ferre tamen non potestis, vt Principes antiquam hanc atque vsitatam Ecclesiasticæ administrationis formam per Episcopos ac Metropolitanos retineant, quam constat tot seculis in Ecclesia receptam, nec vnquam intermissam fuisse. Verùm obsecro vos, quis locus in Synodis erit laicis vestris Senioribus, aut quod suffragandi ius illis tribuetur? Quo exemplo, qua ratione hoc probare potestis? *Si in Presbyterijs, quid nî in Synodis etiam iudicare possint? Fortè Romanum celebrandi Synodos morem secutus, nullos sententias in Concilijs ferre sinas, præterquam Episcopos.*] Si vos tantum abesletis à nouitatis studio, quantum ego à Romana superstitione, facilè inter nos concordes essemus. Quanquam quicquid Ecclesia Romana aliquandò crediderit, aut vsurpauerit, non temerè abijciendum putarim. Vos pro certo sumitis Presbyteria in veteri Ecclesia laicis Senioribus permitta fuisse; verùm vbi ad probationes deuentum est, nihil in his firmum, aut solidum, sed tantùm opinationem ve-

ſtram inuenimus. Iam verò licet parœciæ cuiuſque Paſtores, ſingulares cum ſint, laicorum fortè Seniorum opem & conſilium deſiderare poſſint; Paſtores tamen in Synodis congregatos, vbi multitudo eorum magna, & dona multa ſunt ac varia, laicis Senioribus ad ducendum dirigendumque indigere, & abſurdum eſt, & à ſacris Scripturis longiſſimè diſcrepat. Qui enim p *Omnium gentium Doctores* à Domino legati ſunt? Paſtores, an laici Presbyteri? Quos q *Speculatores* domus Iſrael, r *Diſpenſatores* Dei, s *Epiſcopos* Eccleſiæ, & t *Ductores* gregis ipſius conſtituit? laicos Seniores, an Chriſti Miniſtros? Si in Eccleſia tanquam oues, & doctrinæ veritatem, & morum integritatem, à Paſtoribus ſuis u *audire, ac eos ſequi* oporteat: quo iure laicis Presbyteris docendi vel decernendi locum in Synodis tribuitis, vbi totius Prouinciæ ſiue Nationis alicuius Paſtores & Doctores ad ſacra conſilia congregantur? Nunquid laici Seniores, iuxta Chriſti præceptum, in Eccleſia diſcipuli, in Synodis autem Doctores erunt? Aut nunquid adeò mobiles & mutabiles ſunt Paſtorum dotes, vt in ſuggeſto ſinguljs credendum & obtemperandum ſit, in Concilio autem omnibus ſimul collecti laici Seniores legem imponant? Si ratione vel authoritate aliqua id contendatis, audiamus, quænam illa ſit; ſin neutra, magnam certè Eccleſiæ Chriſti facitis iniuriam, qui tam refractè ipſius Diſciplinæ repugnatis, & plus imperii vobis in Chriſtianos Principes & Eccleſias arrogatis, quàm quiſquã vnquam Patriarcha vel Pontifex. *Concilio Apoſtolico non Preſbyteri ſolùm interfuerunt, ſed* x *fratres omnes Eccleſiæ Hieroſolymitanæ, literæque definitiuæ omnium nomine ſcriptæ erant: vobis autem nullo modo ferendum videtur, vt laici Synodis & Concilijs veſtris interſint, quod Apoſtoli tamen non recuſarunt.*] Aliud eſt intereſſe Synodis; aliud in Synodis deliberare & ſententiam ferre. Si *Preſbyteros* vel *fratres* ad deliberandum cum Apoſtolis, ſtatuendumque de rebus illis in controuerſia poſitis, ad Synodum Apoſtolorum admiſſos exiſtimes, in maximo quidem errore verſaris. Quilibet Apoſtolorum multò grauioribus controuerſijs finem imponere, quantò magis totus Apoſtolorum

p Mat. 28.
q Ezek. 3.
r 1. Cor. 4.
s Act 20.
t Hebræ. 13.
u Iohan. 10.
x Act. 15.

lorum cœtus quæſtionem illam ſine aliorum ope & conſilio definire poterant? Rationem, cur totam fidelium multitudinem in Concilio adeſſe, & literis ſuis conſentire voluerint Apoſtoli, iam anteà notaui. In cauſa communi non contrariæ opinionis fautoribus tantùm, ſed vniuerſæ Eccleſiæ ſatisfaciendum erat. Alioqui tam populus, quàm Paſtores Iudæorum à Gentibus, licet credentibus, tanquam à profanis hominibus, abhorrendum ſemper iudicaſſent, donec circumciſæ fuiſſent; quo nihil aptius eſſe potuit ad Chriſti crucem infirmandam, & gratiam ipſius irritam faciendam. Itaque non ad deliberandum, aut definiendum, ſed ad ſatisfaciendum ijs qui contradicebant, & ad erudiendum alios, tota Eccleſia conueniebat; cumque Apoſtolos diſſerentes, & ſententiam ſuam explicantes audiuiſſent, reliqui vno conſenſu per literas ac nuncios ſimul agnouerunt, ita Spiritui ſancto viſum eſſe, ne Gentes circumciſione, aut legis Moſaicæ obſeruatione onerarentur, ſed maceriam, quæ in medio ſtabat, Chriſti ſanguine dirutam, [y] *& quondam alienos à republica Iſraelis, & extraneos à pactis promiſſionis, nunc conciues Sanctorum, & domeſticos fidei factos fuiſſe*, ſine Moſaicis Ritibus aut Ceremonijs. Ita enim beatus Lucas ipſe teſtatur, [z] *vt diſpicerent de eo negotio, Apoſtolos & Preſbyteros conueniſſe, & cum multa (vtrinque) diſceptatio fuiſſet, Petrum & Iacobum* ſententiam dixiſſe, cui reliqui omnes aſſenſerunt. *Conſtat igitur Preſbyteros ad deliberandum cum Apoſtolis in illa Synodo admiſſos fuiſſe; contrà, vos ſolis Epiſcopis ius ſuffragandi in Concilijs tribuitis.*] Mihi quidem pro certo eſt, Presbyteros de quęſtione illa in Synodo agitata commune conſilium cum Apoſtolis cœpiſſe; in eo autem controuerſia verſatur, cuiuſmodi ij Presbyteri fuerint. Laicos Presbyteros quia non lego, ideo nec Concilio illi interfuiſſe agnoſco. Neque prætereundem eſt hoc loco, eos de 70 Diſcipulis, & de Prophetis, qui Iacobo ad regendam Eccleſiam Hieroſolymitanam adiutores fuerant, eo nomine veriſimiliter notari. Nam cum tota Eccleſia illic in Apoſtolos, Presbyteros & fratres diuidatur; conſortes certè & cooperarij Apoſtolorum, ſiue Prophetæ & Euangeliſtæ fuerint, qui cum Paulo

y Epheſ.2.

z Act.15.6.

& Barnaba Antiochia venerunt, siue qui cum Iacobo reliquisque Hierosolymæ degerunt, potiùs Presbyterorum nomine intelligi debent, quàm in multitudine numerari. Quòd si illi cum vulgo censendi sint, quos titulo Presbyterorum magis dignos ibi fuisse statuetis? Laici (spero) Seniores in primo gradu ab Apostolis non sunt; alioqui imperitè Paulus fecisset, qui [a] *primùm Apostolos, secundò Prophetas, tertiò Doctores* enumerat, Gubernatores autem, quos laicos Seniores vos interpretamini, septimo loco disponit. Quanquam nisi noua quædam auxilia, & clariora pro ijs, quàm hactenùs, testimonia proferre valeatis, laici vestri Seniores nusquam à Paulo inter Ecclesiæ Rectores collocantur.

a 1 Cor 12.

Quod ad Presbyteros attinet, qui infra Apostolos erant, (quo nomine Prophetas, Euangelistas, Pastores, Doctores, aut quoscunque alios, modò non laicos Seniores, intelligere licebit) nec locum ijs, nec suffragia in Synodis negamus, quamdiu docendi aut loquendi ius in Ecclesia retinent. Synodos enim nihil aliud esse arbitramur, quàm conuentus & colloquia eorum, quibus Prouinciæ aut Nationis alicuius Ecclesiæ verbi & doctrinæ gratia committantur. Itaque ad Synodos nostras, vtì nostis, non Episcopi solùm, sed Decani, Archidiaconi, alijque Clerici, tam de Presbyterio primæ & Episcopalis Ecclesiæ, quàm de alijs Diœcesis partibus vocantur. Et licet Pontificij quidam solis Episcopis suffragia in Concilijs esse contendant; quantum tamen vetus Synodorum nostrarum institutio, cum noua & iam nata illorum opinione discordet, ipsi videtis. Nec desunt exempla ab vltima antiquitatis memoria, quibus Ecclesiæ nostræ morem defendamus.

In synodo Romana à Cornelio, anno Christi 255. aduersus Nouatum indicta, [b] *Sexaginta Episcopi, & plures Presbyteri atque Diaconi*, vt refert Eusebius, interfuerunt. A synodo Antiochena, quæ Paulum Samosatenum Episcopatu deiecit, anno Domini 270. *non* [c] *Episcopi solùm, sed Presbyteri & Diaconi*, vt ex ipsorum literis constat, scripserunt. In Concilio Elibertino propè tempus primi Niceni Concilij, præter

b Euseb. lib. 6 cap. 43.

c Idem, lib. 7. cap. 30.

ter Episcopos, [d] *triginta sex Presbyteri* memorantur. In Arelatensi secundo eodem ferè tempore [e] 12 Presbyteri cum Diaconis alijsque Clericis subscripserunt. Idem videre est in Concilijs Romæ habitis sub [f] Hilario, & sub Gregorio, vbi post 22 Episcopos, [g] Presbyteri 34; & in primo sub Symmacho, vbi post 72 Episcopos, [h] Presbyteri 67. subscripserunt. Similiter in 3.5.& 6. sub eodem Symmacho. His addatur Concilium sub Felice Romano quadraginta trium Episcoporum, & [i] *septuaginta quatuor Presbyterorum*; & alijs similiter in locis synodi Prouinciales facilè notari possunt, in quibus Presbyteri etiam locum habuerunt. Concilium Antisiodorense decreuit, vt [k] *omnes Presbyteri ad Synodum in ciuitatem venirent*. Concilium Toletanum quartum formam celebrandi synodos hoc modo describit; [l] *Episcopi conuenientes pariter introeant, & secundum ordinationis suæ tempora resideant. Post ingressum omnium Episcoporum atque consensum, Presbyteri vocentur, & corona facta de sedibus, Presbyteri à tergo eorum resideant, & Diaconi in conspectu eorum stent.* Concilium Tarraconense 1100 abhinc annis eundem ferè morem præscripsit, qui nobis hodiè in vsu est. [m] *Epistolæ tales per fratres à Metropolitano dirigendæ sunt, vt non solùm è Cathedralis Ecclesiæ Presbyteris, verùm etiam de Diœcesanis ad Concilium trahant.* Hoc autem quare nouum Pontificijs videatur, cùm in magno (vt ipsi vocant) Lateranensi Concilio sub Innocentio tertio, Episcopi solùm 482, Abbates verò & Priores Conuentuales duplo ferè totidem, nempe [n] *octingenti* commemorentur. *Si in prouincialibus Synodis de iure locum habeant, cur igitur à generalibus Concilijs excludantur?*] Multa *fieri possunt, quæ non prosunt tamen*. Dubium non est, quin omnibus Pastoribus & Doctoribus in Concilijs sedere & deliberare liceat; sed nihil est quod minùs expediat, quàm vt Pastores & Presbyteri toto orbe constituti; quoties definiendum quid aut decernendum in Ecclesia sit, in vnum locum conuocentur. Quemadmodum igitur in ciuili politia totius Regni corpore congregato, omnes personæ in eo non conueniunt, sed capita tantùm populi, & præcipui quidam viri à cæteris electi, vt reipublicæ

d Subscrip. Libert. Concil. fol. 282.
e Subscrip. Arelat. Conc. 2. fol. 293.
f Tom. 1. Con. fol. 951.
g Greg. epist. lib. 4. cap. 88.
h Tom. 1. Concil. fol. 1002.
i Ibid. fol. 959
k Conc. Antisiodor. can. 7.
l Conc. Tolet. 4. ca. 3.
m Conc Tarracon. ca. 13.
n Platina in Innocent. 3.

perſonam repræſentent, & de communi vtilitate conſilium ineant: eodem modo in Eccleſiæ gubernatione non modò ſuperuacaneum & valdè moleſtum eſſet, ſed etiam abſurdum & planè portentoſum, vt Paſtores & Doctores ex vltimis & omnibus terris accerſiti, relictis, ſeu potiùs deſertis gregibus & Eccleſijs ſuis, in vna ciuitate tamdiu manerent, donec omnia quæ illic neceſſaria viderentur, plenè poſſent pertractari. Iuſtitiæ verò non minùs, rationi autem magis etiam conueniens videtur, vt ex omni loco atque ordine quidam maiori dignitate prædíti, aut communi conſenſu electi, reliquorum nomine mitterentur, qui conſilijs ſuis Eccleſiam iuuare, & dubitantem dirigere meliùs poterint. Quamobrem prudenter admodum Chriſtiani Principes ad generalia Concilia non omnes totius orbis Presbyteros vocarunt, ſed primarios tantùm maioris cuiuſque Eccleſiæ ciuitatiſque Paſtores, & è locis remotioribus legatos quoſdam nomine reliquorum; atque hac ratione, etſi minùs præſentia, authoritate tamen & conſenſu totius orbis, decreta Conciliorum illorum confirmarunt.

Ita ad Concilium Nicenum primus Chriſtianorum Imperator, non omnes vbiuis locorum Paſtores & Presbyteros, ſed [o] τὺς πανταχόθεν ἐπισκόπους, *Epiſcopos vndique* per literas accerſiuit; atque eò aduenerunt [p] *ab omnibus Europæ, Aſiæ, atque Africæ Eccleſiis* ἀφ' ὅλου Θεοῦ λειτυργῶν τὰ ἀκροθίνια, *præcipui (vel præſtantiſſimi) inter Miniſtros Dei*; vnaquaque natione non omnes Epiſcopos ſuos (ita enim multò plures quàm 318 fuiſſent,) ſed τὺς παρ' ἑαυτοῖς ἐκλεκτοὺς, *lectiſſimos quoſque apud ſe* eodem mittente. Et licet [q] *infinitus illic Presbyterorum & Diaconorum numerus eſſet*, qui Epiſcopos comitabantur, Concilium tamen è 318 Epiſcopis ſolùm conſtabat, quia non cuiuſque loci Presbyteri, ſed Epiſcopi ab Imperatore accerſebantur. Similia etiam in tribus Oecumenicis Concilijs proximè ſequentibus exempla occurrunt; in quibus Epiſcopi ſoli de rebus in Concilium adductis decreta ſtatuerunt; Presbyteri autem, qui in Concilijs Conſtantinopolitano & Chalcedonenſi ſubſcripſerunt, Epiſcoporum legati

o Socrat. lib. 1 cap. 5.
p Ibid.
q Ibid.

legati & vicarij fuerunt, vt ex[a] Actis Concilij Chalcedonensis clariùs apparet.

[a] Vide subscript. Episc. act 1.3.6.16. Conc. Chal.

Sed quorsum ista commemorare attinet, quæ minùs ad rem propositam spectare videntur? De antiquitate & authoritate Metropolitanorum modò quæritur; hos autem non solùm in primis quatuor Concilijs receptos & confirmatos inuenimus, sed ab initio Ecclesiæ constitutos fuisse, & deinceps locum in ea semper tenuisse. Etenim si Prouinciales Synodos (quod negare non potestis) & olim in Ecclesia Christi fuisse, & nunc esse debere concedatis; Metropolitanorum parem antiquitatem & necessitatem fateri vos oportet, sine quibus Synodi in qualibet Prouincia nec ritè conuocari, nec rectè possunt gubernari.

Quòd si ad remouendos Metropolitanos, prærogatiuam indicendi moderandiq́ue Synodos singulos Presbyteros per vices tenere velitis, quem ordinem anteà in Episcopis excogitastis, in promptu responsio est: nos non spectare, quid post mille quingentos annos ex ingenijs vestris comminisci possitis; sed cuiusmodi gubernandæ Ecclesiæ forma ab Apostolis tradita, consentiente & constanti Christiani orbis approbatione & applausu retenta fuerit & confirmata. Ac per omnes quidem Ecclesiæ ætates in more positum fuisse probamus, non solùm vt quælibet Ecclesia & Diœcesis Episcopum siue Præpositum haberet; sed vt quæque Prouincia primariã quandã & *Matricem* (vt vocant) *Ecclesiam Ciuitatemq́;* agnosceret; cuius Episcopo tantum honoris & authoritatis in cæteros esset, vt vniuersos suæ Prouinciæ Episcopos per literas consulere, vel conuocare posset, si qua fidei vel pacis Ecclesiasticæ quæstio incideret; & etiam conuentus eorum moderaretur, vt quæ communi consilio decreta essent, ab omnibus in Prouincia sua faceret obseruari. Hic vetustissimus Ecclesiæ mos & ordo fuit, antequàm Principes vlli Christianam fidem amplecterentur; Ex quo autem illi gladij potestatem ad doctrinæ & Ecclesiæ defensionem conuertere cœperunt, Synodorum is vsus erat, vt Christianos Magistratus dirigerent & informarent in rebus Ecclesiasticis, atque ita demùm Metropolitanorum fidei & authoritati

ritati tam Constitutionum Imperialium, quàm Synodalium decretorum per Prouincias suas mandata fuit executio.

Hanc regendæ Ecclesiæ rationem si molestè & indignè feratis, totam Christi Ecclesiam, à prima origine & propagatione ipsius ad hanc nostram ætatem, eadem opera condemnatis, vestramque prudentiam (si ita appellare liceat, ac non potiùs nouitatis & contentionis ardorem) pluris æstimatis, quàm omnium Martyrum, Confessorum, Patrum, Principũ & Episcoporum, qui ab Apostolis hucusque in Ecclesia Christi vixerunt, docuerunt, gubernarunt, decesserunt. Nescio, an tanta sit animi vestri fiducia, vt tot sanctissimis clarissimisq; Ecclesiæ luminibus nõ tenebras solùm offundere, sed vos ipsos anteferre nõ dubitetis: ad me quod pertinet, serio & ex animo opto, vt Ecclesia Dei his nostris diebus eorum pietatem & prudentiam imitetur; nec Christiano orbi fucum quis faciat, quasi omnes Christi fideles ante nos Antichristianæ superbiæ fautores fuissent, donec in fine mundi, quo & fides & charitas plurimorum defecerunt, nos ad eam disciplinæ perfectionem Ecclesiæ restituendam nati essemus, quam nec Apostoli vnquam præscripserunt, nec antiqui Patres aut Concilia agnouerunt, nec vniuersa Christi Ecclesia ante hæc tempora vel auditione percepit, vel cogitatione comprehendit. *Non desunt nobis Patrum & Historiarum ab vltima antiquitate testimonia, quibus superbam & tyrannicam Metropolitanorum Archiepiscoporumq; dominationem grauissimè exagitant. Socrates palam scribit;* [f] *Episcopatum Romanum, vt etiam Alexandrinum, quasi extra Sacerdotij fines egressos, iam ante ad secularem principatum fuisse delapsos. Nazianzenus non solùm de malis & incommodis, quæ ab his graduum differentijs oriuntur deplorat, sed ardentissimis votis exoptat, ne quod eiusmodi discrimen omninò existeret, vt ex virtutibus, non ex honoribus æstimatio fieret. Verba digna sunt, quæ adscribantur.* [t] *Propter hanc (Episcoporum nimirùm antecessionem) res omnes nostræ iactantur, ac perturbantur; propter hanc fines orbis terræ suspicione & bello flagrant, eóque surdo, ac ne nomen quidem habente. Propter hanc periculum est, ne qui à Deo sumus, ab hominibus esse censeamur, ac magnum illud & nouum no-*

f Socrat lib. 7 cap. 11.

t Nazian. oratio post redit. in vrbem.

men amittamus; Vtinam verò nulla esset throni prærogatiua, nec prælatio & violenta authoritas ac præeminentia, vt ex sola virtute cognosceremur. Nunc autem dextrum hoc latus, & sinistrum, & medium, sublimior item & inferior sedes, ac rursus illa præeundi, vel eodem gradu incedendi inuecta consuetudo, nos in multas partes confregerunt, multosq; in foueam impulerunt, atque ad horum locum abduxerunt, non plebeiorum tantùm, sed etiam Pastorũ, qui cum magistri Israelis essent, hæc ignorauerunt.] Plures antiquorum Patrum facilè inuenias, quibus contentio, ambitio & superbia multorum in prima Ecclesia Episcoporum meritò displicuerunt; sed qui vocationem eorum improbauerit, planè neminem. Itaque quò acriùs eorum vitia insectantur, eò grauiores officij eorum testes sunt. Si Socrates aut Nazianzenus à Concilij Niceni iudicio dissentire, vel toti Ecclesiæ Christi ante & post se repugnare saltem in animo habuissent, tanti non sunt eorum nomina, vt cæterorum antiquitati authoritatiq́ue pares esse possint. At verò neuter eorum Concilij prudentiam, aut Ecclesiæ consuetudinem in eo vituperat; tantùm quorundam incertis locis Episcoporum ambitionem coarguunt, qui Christiana maiorum suorum moderatione non contenti, potestatem & superbiam suam, modis quibus poterant omnibus augebant.

Verùm criminationem istam paulò accuratiùs inspiciamus. Socrates Episcopos, Romanum atque Alexandrinum, muneris Episcopalis limites egressos τῆς ἀρχιερωσύνης, *ad principatum* delapsos ait. Querimoniæ causam hanc adfert, quia Celestinus Pontifex Romanus [u] *Nouatianis Ecclesias abstulisset, & Episcopum illorum clam in ædibus conuentus agere coegisset.* *Qua in re Socrates* plus æquo in Nouatianos propensus fuit; vtinam verò Episcopus Romanus in nullo magis ab officio suo discessisset. Illud ipsum [x] Cyrillo Alexandrino vitio vertit; quàm iustè viderint qui rectè sapiant. Si ad alia, quàm oportuit, aspirauerint, absit vt ego cuiusuis insolentiam extenuem aut defendam: Sin aliud nihil offenderint, quàm quòd Nouatianos represserint, & Ecclesias ei abstulerint; in culpa potiùs est ille qui superbiæ maculam innocentibus aspergit, dum schismaticorum partes tueri contendit.

u Socrat. lib. 7 cap. 11.

x Idem lib. 7. cap. 7.

Nazi-

Nazianzenus in tantos turbines ac fluctus Ecclesiæ inciderat, hinc hæresi, illinc discordia pacẽ ipsius perturbante, vt omninò secedendum putaret. De Concilijs illorum temporum Arrianis & ambitiosis laborantium ita ait; [y] *Ego si vera scribere oportet, ita animo sum affectus, vt omnia Episcoporum Concilia defugiam, quoniam nullius Concilij finem lætum faustúmque vidi, nec quod depulsionem malorum potiùs, quàm accessionem & incrementum habuerit. Pertinaces enim contentiones & dominandi cupiditates, ne vllis quidem verbis explicari queant.* Nõ quo Concilia prorsus improbaret (quod in tali viro non minimum imprudentiæ vitium fuisset) sed tempestatis illius morbos & molestias notat, Ecclesia tam miserè sub Valente afflicta & discerpta, vt multorum annorum curatione ad sanitatem reduci vix potuerit. Eodem modo in verbis, quæ à vobis citantur, non Episcoporum officium & vocationem vt inutilem aut pernicioſam Ecclesiæ conuellit; sed potiùs ostendit, multos eò ambitionis & discordiæ prouectos fuisse, vt orbem terrarum perturbarent, & Christianum nomen tantùm non funditus extinguerent. Adscribam verba: [z] *Præfecturam nobis extorquebunt? fuit quidem tempus, cum eam nonnulli etiam cordati & prudentes viri suspiciebant, & expetebant; at nunc eam fugere, vt mihi quidem videtur, primariæ cuiusdã & singularis est prudentiæ.* Deinde sequuntur verba quæ à vobis adferuntur; *Propter hanc enim res omnes nostræ iactantur ac perturbantur, propter hanc fines orbis terræ suspicione & bello flagrant, eóque surdo, ac ne nomen quidem habente. Propter hanc periculum est, ne qui à Deo sumus, ab hominibus esse censeamur, ac magnum illud & nouum nomen amittamus.*

y Nazian. Ep. 42. ad Procop

z Nazian orat post redit in vrbem.

Quænam incitamenta habuerit Nazianzenus & quibus iniurijs prouocatus fuerit, vt hæc diceret, ex vita ipsius perspici potest. Primùm contentio longè periculosissima, quam Maximus ad Episcopatum Constantinopolis aspirans excitauit; deindè Episcopi Alexandrini leuitas & inconstantia, qui cum ipsum priùs in illa sede confirmasset, quosdam tamen postea submisit, qui Maximum ex aduersa parte ordinarent; tum denique quòd AEgypti Orientisq; Episcopos omnes à se alienos animaduerteret; qui etsi eum meritò

ritò vituperare non possent, tamen indignabantur & ægrè ferebant eum ibi sine ipsorum consensu Episcopum fuisse constitutum. Videns igitur se ab amicis & familiaribus proditum; ab Episcopo Alexandrino post mortem Miletij derelictum; tot etiam viros non alioquin malos, inimicissimos sibi factos, quòd præsentiam eorum non expectasset, ac tantam inter Episcopos ipsos de electione ipsius contentionem excitatam; fortiter sapienterque in Concilium prodijt, atque ita eos allocutus est. [a] *Viri collegæ, & compastores sacrosancti gregis Christi, turpe fuerit prorsusq; à vobis alienum, si qui pacis documentum alijs præbetis, intestinum ipsi bellum inter vos excitetis. Quonam enim modo alios ad concordiam adduxeritis, ipsi circa sententias vestras & decreta discrepantes? Ac vos per Trinitatem etiam obsecro, vt mutua vestra negocia præclarè & pacificè constituatis. Quòd si vobis vllo modo dissidij causa sum, Ionam Prophetam vitæ integritate non supero; Proijcite me in mare, & cesset à vobis hæc turbulenta tempestas. Quicquid vobis visum fuerit, tametsi à culpa immunis, libenter perpertiar, si quidem hac ratione concordia vestra repræsentari ac resarciri possit. Throno exturbate, vrbe eijcite, tantùm veritatem & pacem amate.* Itaque vt Christiano viro dignum erat, Ecclesiæ vnitatem propria salute chariorem habuit, vitámque priuatam in quiete ac solitudine honori dignitatique tam tumultuosæ prætulit.

[a] Greg. Pres. in vit. Nazian.

Nazianzenus initio turbarum istarum à ciuitate abfuerat; post reditum autem, cum Maximus & partium eius assectatores multa ei minitarentur, confestim orationem illam ad populum habuit vndè hæc verba deprompta sunt. Hinc concludere licet, multos Nazianzeni tempore factiosos, multos ambitiosos fuisse, quales nec anteà defuerunt, nec vnquam defuturi sunt; contra Episcoporum verò ac Metropolitanorum legitimam potestatem, grauissimorum Conciliorum decretis præscriptam atque definitam (quam ille improbare nec voluit, nec potuit) nihil ex his verbis inferri potest. Ac ne parùm candidus sententiæ illius interpres videar, verba ipsa perpendamus.

Fuit (inquit) *tempus, cum præfecturam hanc nonnulli etiam cordati*

cordati & prudentes viri ſuſpiciebant; at nunc eam fugere, vt mihi quidem videtur, primariæ cuiuſdam & ſingularis eſt prudentiæ; non quòd minùs legitimam quàm anteà putaret, ſed propter turbas, contentiones & diſſidia, quibus Eccleſia id temporis laborabat. *Propter hanc* (inquit) *fines orbis terræ ſuſpicione & bello flagrant, eóque ſurdo, ac ne nomen quidem habente*; hoc eſt, quorum nec cauſa cernitur, nec inuenitur remedium. *Propter hanc* (inquit) *periculum eſt, ne qui à Deo ſumus, ab hominibus eſſe cenſeamur, ac magnum illud & nouum nomen amittamus.* Hic clara voce profitetur *à Deo fuiſſe*; hoc eſt, vocationem eorum à Deo conſtitutam & firmatam. Itaque cauere eos iubet, ne diſſidijs & contentionibus ſuis viderentur non à Deo, ſed ab hominibus initium habuiſſe. Iam locus iſte, num Epiſcoporum inſtitutionem refellere, an potiùs confirmare videtur? Quid magis in laudem eorum dici potuit, quàm quòd à *Deo, non ab hominibus fuerint*? Poſt hæc autem quicquid adijcit, non officij, ſed perſonarum accuſationem continet. Quorum enim vocationem approbauit, eorum tamen vitia meritiſſimò reprehendere potuit. *At verò nomen (Epiſcoporum) nouum appellat; ac ne vlla omninò inter eos Throni prærogatiua aut prælatio eſſet, vehementer exoptat, vt ex virtutibus quiſque cognoſceretur.*] Non tam de Epiſcoporum officio detrahit *noui* appellatio, quàm prædicatio *magni* ad laudem dignitatemque facit. Sit enim *nouum*, modò *magnum*, & vtrumque à Deo. Quo ſenſu autem Nazianzenus nomen Epiſcopi nouum appellet (ſi tamen Epiſcopi nomen intelligat, vt quidam veſtræ diſciplinæ patronus notat, & non Chriſtiani, quod mihi magis probatur) non ita facilè inter nos conuenit. *Si nouum nomen* eo modo accipiat, quo Eſaias, vbi ait, [b] *Et indetur tibi nouum nomen, quod Iehouæ os præfixerit*; aut quo Beatus Ioannes, cum Angelum Eccleſiæ Pergamenſis Chriſti verbis alloquitur; [c] *Dabo illi calculum album, & in calculo nouum nomen ſcriptum*; ſi, inquam, ad horum vtrumuis referatur, quo verbo magis nomen Epiſcopi laudare potuit, quàm cum *magnum* ac *nouum* dicat, idque à Deo? Quòd ſi per *nouum* innuere velitis (vt mihi certè velle videmini) nomen illud non

b Iſaiæ 26.

c Apocal. 2.

à Deo profectum, sed ab hominibus excogitatum, in eas vos angustias conijcitis, vt & testem vestrum extremæ obliuionis insimuletis, & vos non minoris ignorantiæ coarguatis, cùm hæc [d] (*nempe Episcopi*) quasi explicandi causa verbis ipsius apponeretis, ac si nomen Episcopi Nazianzeno nouum, aut tunc primùm auditum fuisset. Quî enim Nazianzeno nouum esse potuit, cuius tam antiqua, tam frequens ac solemnis in sacris literis facta est mentio? Annon Petrum referentem audierat, [e] *Et Episcopatum eius alter accipiat?* Et in eodem Scripturæ libro; [f] *Vos Spiritus sanctus Episcopos constituit?* Atque alibi etiam; [g] *Oportet Episcopum esse inculpatum?* Et [h] *Conuersi estis ad Pastorem & Episcopum animarum vestrarum.* Quo pacto igitur nomen illud nouum diceretur, quod toties in scriptis Apostolicis celebratur? sed nisi me fallit animus, Christiani nomen eo verbo, non Episcopi Nazianzenus intelligit; ad quam me sententiam adducunt etiam verba proximè præcedentia, vbi ait; *κινδωνεύομεν ἀνθρώπων εἶναι παρὰ Θεοῦ γεγενότες, καὶ τὸ μέγα καὶ καινὸν ἀποβαλεῖν ὄνομα, in discrimẽ venimus ab hominibus esse qui a Deo nati sumus*; (*ita enim παρὰ Θεοῦ γεγενότες potius significat:*) *& magnum & nouum nomen amittere.* Iam à Deo nascimur non Episcopi sed Christiani; & dissidijs ac contentionibus efficere possumus, vt eo nomine prorsus iudigni iudicemur, quod verè magnum & tamen nouum est, si sacris Scripturis fidem adhibemus.

d De minist. Euan. grad: cap. 23.

e Actor. 1.
f Act. 20.
g 1. Tim. 3. & Tit. 1.
h 1. Pet. 2.

Forsitan Episcopi nomen *nouum* fuisse dicetis; quia in Scripturis omnium Presbyterorum habetur commune, quod hîc solis Episcopis attribui videtur. At hoc & falsum est, & à sensu Nazianzeni longissimè remotum. Neque enim summi Pastores tum primùm Episcoporum nomine à reliquis Presbyteris secernebantur; distinctio hæc multis sæculis (vt refert [i] Hieronymus) à Marco Euangelista Alexandriæ permanserat. In omnibus etiam ante natum Nazianzenum historijs & scriptoribus Ecclesiasticis nullum tam tritum & peruulgatum est verbum ad Præsidem & Rectorem Presbyterij notandum, quàm nomen Episcopi; vt in eo sensu ne illius quidem ætate nouum esse potuerit. Quid, quòd summum Nazianzenus incommodum putat, si magnum ac

i Hieron Epi. ad Euagrium.

nouum

nouum illud nomen amitterent, & perindè esse, ac si à Deo non esse viderentur? At si nomen illud nouum esset, & ab hominibus nuper inuentum, aut à vero & veteri vsu non ita pridem detortum, sine magno detrimento amitti potuisset; id quod Nazianzeni verbis planè repugnat. Quare per *magnum & nouum nomen* ipsum Christianorum nomen potiùs intelligit, ab Esaiæ verbis similitudine ducta, vbi Ecclesiam alloquitur: [k] *Et indetur tibi nouum nomen*: aut si ad Episcopos referri voluit, potiùs laudi tribuit, quia *magnum*; quam contumeliæ, quia *nouum* sit; atque hac ratione *magnum & nouum* ducit, quia Spiritu sancto authore in nouo Testamento primùm vsurpatum fuerit. *Imò, nullam inter Episcopos prærogatiuam aut prælationem esse voluit, & authoritatem eorum tyrannicam appellat.*] Optat sanè si fieri posset, vt Episcopi non secundum Ecclesiarum suarum nobilitatem, sed virtutum & meritorum præstantiam maiores essent; non quò primum improbet, sed alterum plus laudet, [l] *Vtinam verò*, inquit, μήδ' ἀξιώρια, μήδ' τις τότε ἀξιτίμησις, ἢ τυραννικὴ ἀξιωμία, ἵν' ἐξ ἀρετῆς μόνης ἐγνωσκόμεθα, *Nulla esset throni prærogatiua, nec prælatio, & violenta authoritas, vt ex sola virtute cognosceremur.* Si hoc postremum in nostra potestate foret, optandum quidem esset, vt prius illud è medio tolleretur. Ita enim solis dignis & idoneis ad summos honores aditus pateret; cum alioqui deterrimi quique persæpè sint primi, qui in administrando æquè insolentes esse solent, ac in assequẽdo impudentes fuerunt. Hæc summatim sunt quæ illic à Nazianzeno dicũtur; in quibus quid reprehendere possim, planè non video. Cum Ecclesia Dei felicissimè ageretur, non si omnes æquales essent, vt vobis quidem in votis est; sed si vt cuiusque vita maxima cum integritate coleretur, ita maximo honore afficeretur. Hac enim ratione, nec ambitio Ecclesiam obsideret, nec corruptela expugnaret, nec vastaret discordia; sed Duces cũ sapientia & diligentia præirent; reliqui verò cum pace & alacritate sequerentur; cũ, vt nunc res se habent, honoris studium & contentio multos, non ex infimo solùm, sed ex summo gradu funditùs euerterint. Ita quidem Nazianzenus. [m] *Nunc autem* (cum Ciuitatum, non virtutum ratio habe-

k Esay 62.

l Nazianz. Orat. post redit. in vit.

m Ibidem.

habeatur) *dextrum hoc latus & sinistrum, & medium, sublimior item & inferior sedes, ac rursùs illa præeundi, vel eodem gradu incedendi inuecta consuetudo nos in multas partes confregerunt, multósque in foueam impulerunt, atque ad hircorum locum abduxerunt, non plebeiorum tantùm, sed etiam Pastorum, qui cum magistri Israelis essent, hæc ignorauerunt.* Non igitur Episcoporum officium generaliter improbat, nec graduum eorum differentias damnat; illud solùm vitio vertit, quòd dum quidam ad honores plus æquo contenderent, *in foueam impulsi, & ad hircorum locum detrusi* fuissent. Alioqui enim seipsum priùs condemnasset, qui summum dignitatis locum in ciuitate non modò assecutus est, sed aliquandiù etiam retinuit, licet ad pacem Ecclesiæ conseruandam eodem posteà se abdicauit.

Postremò quòd meliorem, si fieri posset, rationem exoptat, non iam positam reijcit aut excludit, cum ne expectari quidem potuisset, vt optio illius locum haberet. Nam honores secundum merita cuiusque distribuendi consilium, ad diuinam quàm humanam conditionem propius accedit, & optandum magis quàm sperandum est. Quin etiam ex eo quod optare videtur, non minori incommodo Ecclesia laboraret, si non executio pariter ex voto succederet. Non enim ambitionis & contentionis flammas restingueret, vt frustrà vos somniatis, imò augeret potiùs, dum quisque de se optimè sentiens, cæterorum virtutes & merita parui faceret, & conclucaret. Quòd si ad hanc litem dirimendam aliorum iudicia & suffragia adhibeatis, neque sic tamen huic calamitati subuenietis. Nam si omnes, sepositis corruptelis & partium studijs, præstantissimo semper ad honores eligerent, etiamsi nemo quicquam optaret, Ecclesia Christi facilè floreret; & nisi hoc priùs præstare possitis, frustrà quidem optata interponitis. *Fieri non potest, quin Pastorum æqualitatas ambitioni eorum finem imponat.*]Si cuiusque Reipub. Ciuitates, Ecclesias, & Parœcias ad tantam æqualitatam reuocare possetis, vt earum nulli plus minusvè alijs esset, aliquem fortassè ambitioni modum par locorum conditio afferret; quòd si minimum in rebus ipsis discrimen

re-

relinquatis, in animis hominum facilè delectum & cupiditatem inuenietis. Iam quandò aut quomodò ad hanc exquisitam æquationem hæc omnia reuocabitis, vobis, quibus plus ad fingendum est ingenij, excogitandum relinquo. Mihi verò videtur, citiùs vos Ciuitates & Ecclesias omnes reædificando exæquaturos, quàm præsentem rerum statum ad parem similemque mensuram redacturos. Quòd si tantam locorum dissimilitudinem & discrepantiam tolleretis, vt nunc res sunt; generalem tamen æqualitatem inter Pastores & Ministros Ecclesiæ ponatis, quid documenti nobis hæc ætas mundi nouissima sit paritura, diuinare nolo; hoc certò scio, vnicum in prima Christi Ecclesia aduersus schismata & dissidia remedium fuisse, etiam tum cum dona Spiritus sancti multo quàm nunc, vberiora & præstantiora fuerunt; non vt omnes inter se pares existerent, sed vt quidam inspectionem moderationemque reliquorum haberent. Hunc morem ab Apostolorum temporibus descendentem, ad vitanda confusionis contentionisq; pericula quasi rectissimã & tutissimam viam vniuersa Christi Ecclesia hucusque retinuit & vsurpauit. Itaque certè à Hieronymo animaduersum est; [n] *Propterea inter duodecim vnus eligitur, vt capite constituto schismatis tollatur occasio.* Si verisimile non fuerit vt duodecim inter se conuenirent, nisi vnus cæteris præpositus esset; miror quid vobis in mentem venerit, vt totius orbis Pastores pari iure & honore vtentes, concordes futuros existimetis. Deindè, si in singulis Presbyterijs ex Dei ipsius ordinatione, vnus aliquis primus ac princeps esse debet, nè dissensione & tumultu laborent; quo pacto omnes Regni alicuius aut Prouinciæ Episcopi simul conuenire, deliberare, & decernere possunt, nisi sit qui Conuentus eorum iudicat & moderetur? *Ferre id quidem quodammodo possemus, nisi Metropolitano imperium et dominationem in cæteros tribueretis:*] Maiorem Presbyterijs vestris dominandi licentiam conceditis, cum eos, plusquam Regali potestate, quiduis pro arbitrio statuere finitis, quàm nos Episcopis aut Metropolitanis. Nobis enim leges sunt partim ex Synodorum decretis, partim ex Principum edictis compositæ, quibus definitum

n Hiero. cont. Iouin. lib. 1.

finitum est, quid Episcopus siue Metropolitanus à singulis exigere & expectare debeat; non quicquid ipsis libuerit, sed quæ priorum Conciliorum Canones, & Christianorum Principum constitutiones ad Dei gloriam & Ecclesiæ vtilitatem ijs præstari mandauerint. Quòd si legum executio, secundum vos, dominationis & imperij nomen mereatur, cum ab oppressione & iniuria iudicantium ad Principis delegatos prouocare liceat; quo satis imperioso nomine Presbyteriorum vestrorum dissolutam iudicandi potestatem appellabimus? vter maiorem dominandi licentiam habet, is cui, vt libet, iudicium ferre licet; an qui secundum leges iudicare tenetur, velut rationem summo magistratui redditurus, si quid contra eas deliquerit? Quanto liberior, meo iudicio Episcoporum potestas sub Synodis esset, vbi ipsi aliquid haberent authoritatis, quàm sub legibus, à quibus ne transuersum vnguem possunt discedere? Quæ à Presbyterio decreta sunt, rectori ipsius exequenda permittitis, nec imperium tamen ei tribuitis. Quæ igitur hæc dementia est, vt Ecclesiasticarum legum executionem, ad Diœcesanum aut Metropolitanum iure spectantem, tyrannicam in fratres dominationem nominetis?

Nullásne esse leges velitis; sed vt quæq; res inciderit, statim ad Presbyterorũ arbitrium referri? At hoc planè tyrannicum esset, & in republica Christiana non ferendum. Sin verò scriptis legibus res Ecclesiæ gubernari velitis; his autem, qui sibi putant iniuriam fieri, patrio more institutoque prouocationes ad Principem concedatis; legum executio potiùs onus quoddam hominibus impositum, quàm honos ab ijs expetendus videtur; & nisi aliquos id muneris susciperé oporteret, eo carere satiùs esset Episcopis, quàm tot legum & pœnarum iugum, addo etiam & periculum, subire, quibus eorum iudicia subjiciuntur. *Aliorum in his opera vtuntur.*] Par est vt aliquos adiutores habeant, nisi placeat vobis plus eos temporis in humanis legibus addiscendis, quàm in sacris Scripturis recognoscendis insumere. Eoq; ineptè mihi facere videmini, qui tam acriter in curiam de Arcubus aliaque Ecclesiasticæ iurisdictionis Consistoria inuehimini.

Nam si Presbyteria aut Synodi vestræ de tot ac tantis causis periculo suo iudicium facerent, quot in illis quotidiè versantur, pari honore ea afficeretis, ac nunc dedecore; summæque imprudentiæ esse agnosceretis, repugnare ijs, quibus carere non potestis. Sed quid plura; præsertim de his, quorum vsum in repub. Christiana experientia melius quam oratio demonstrabit? Mihi satis est, Metropolitanis multò ante Nicenum Concilium locum authoritatemque in Ecclesia fuisse, qua Synodos conuocare, & electionem ordinationemque Episcoporum intra Prouincias suas dirigere debuerint. Hoc enim dato, cætera eadem cogente necessitate, quæ Concilia ac Principes olim impulit, libenter ijs concedetis. Si à præscripto institutoque antiquæ & Catholicæ Christi Ecclesiæ discedendum omninò putetis, priùs nobis dicatis oportet, quis Prouinciales Synodos indicendi ac regendi in noua vestra politia ius habebit; & vtrum Presbyteri vestri omnium causarum summi cognitores & iudices erunt, non expectatis Synodorum conuentibus aut iudicijs. *Synodos, atque his conuocandis moderandísque rectores quidem libenter admittimus; cæterùm ad tollendam ambitionem, prærogatiuam hanc Prouinciæ cuiusq; Pastoribus per vices communicari velimus.*] Rem dignam vobis facturi estis, si Ecclesiastica officia ita constituatis, vt Diaconi assiduè vices commutent, Episcopi post hebdomadæ spacium, finito mense, Presbyteri; & anni quarta parte, Metropolitani; vt Ecclesiæ administratio ad singulos velut in orbem redeat. Et, ni fallor, non multùm abestis ab istis ineptijs. Annui namque apud vos Diaconi & laici Presbyteri sunt; Episcopos verò Apostolorum etiam ætate hebdomaticos fuisse arbitramini; quanto autem tempore Metropolitanus locum tenebit, nondum vobis constat; quanquam longiùs vna Synodo neminem, opinor, præesse sinetis. Verùm qua ratione, quouè exemplo hunc morem defenditis? Exempla fortasse, vt non magni æstimatis, ita nec quæritis. Nam si exempla apud vos aliquid haberent ponderis, recepta & longo vsu confirmata veteris Ecclesiæ consuetudine contra vos probatur, Metropolitanos per vices non successisse. Quinimò nomẽ ipsum idem ostendit

dit. Nam si metropolitanus sit *Metropolis* Episcopus; Metropoli eadem manente, Metropolitani prærogatiua per vices ad alios transferri non potuit.

Mirum verò videbitur rationem à vobis scisciatari, quibus nihil est propositi prꝛter voluntatem vestram, nec cuiusquam iudicium, nisi vestrum ipsorum vel tanti facitis; audite tamen, quid de hac præsidendi vicissitudine grauissimus quidam disciplinæ vestræ patronus censet, quam non modò idonea non sit ad resistendum ambitioni adulationiq́ue, sed apta solùm ad contemptum pariendū, factionesq́; in Ecclesia concitandas. Ita enim ait; [o] *Dicamus ergò primatum illum ordinis per mutuæ successionis vices, ipsa tandem experientia compertum fuisse, non satis virium, nec ad ambitiosos Pastores, nec ad auditores alios quidem vanos, alios verò adulatorio spiritu præditos compescendos habuisse, communicata videlicet singulis Pastoribus per vices huius primatus dignitate. Itaq; quod singulorum secundum successionẽ commune fuit, visum fuit ad vnum, & eum quidẽ totius Presbyterij iudicio delectum transferre, quod certè reprehendi nec potest, nec debet; quum præsertim, vetustus hic mos primum Presbyterum deligendi, in Alexandrina celeberrima Ecclesia iam indè à Marco Euangelista esset obseruatus. Alteram causam affert Ambrosius, longè maximi momenti, nempè quòd primatu sic ad singulos per vices perueniente, singulis Pastoribus non semper ad hanc gubernationem suscipiendam idoneis compertis, ita fieret, vt indigni interdum præessent, quæ res tum Presbyterij contemptum secum trahebat, tum aditum factionibus aperiebat.*

o Beza resp. ad tract. de Minist. Euan. grad. fol. 143.

Quantum hic ab Ambrosij mente discedatur, anteà à me dictum est. Non enim ait, *Presbyteros primatum per vices tenuisse*, sed decedente primo, sequentem *ordine successisse*. Quarè manifestò quidem errasse (ne quid grauius dicam) videtur, quisquis Ambrosij verba primus in eum sensum deflexit. Interim Bezæ ipsius confessione constat, *primatum hunc ad singulos per vices peruenientem, factionibus aditum aperire, non ambitionem* Pastorum reprimere; atque morem hunc *deligendi primum aliquem (ad vitæ terminum,) in Alexandrina Ecclesia à Marco Euangelista* initium habuisse, (sex annis ante

Petrum & Paulum morte affectos, & triginta sex antequam beatus Iohannes è vita migrauit;) in quibus nihil est, *quod (illius iudicio) reprehendi possit, aut debeat.*

Quàm verè hæc affirmauerit, si vel ipse sententiam suam reuocare voluisset, aut vos verbis ipsius fidem non tribueritis, ratio manifesta & certa experientia docebunt. Primùm enim necesse est in circulari hac mutatione, vt omnes digni atque indigni suo ordine ac tempore præsint. Quod si difficile sit è multis vnum aliquem integris atque incorruptis moribus eligere, quàm prorsus non credendum, vt omnes cuiusuis Ecclesiæ Presbyteri cõstantes veritatis & æquitatis fautores existant? In hac tamen vestra volubili regendi ratione, omnibus, quantumuis impijs & indignissimis, tantum temporis & facultatis ad negligendam aut opprimendam Ecclesiam tribuitis, quantum bonis & pijs Pastoribus ad opem ei & auxilium ferendum. Deindè, quid à quoquam boni fiet, cùm in qualibet actione vnus ordiri, alius progredi, tertius finem imponere debebit; vt si in quodlibet horum temporũ improbus quis & iniurioſus inciderit, iudicium facilè possit peruertere? Sed fingamus eos minimè malos esse, tamen nisi eodem modo affecti & instructi fuerint, quandò in eadem sententia, ac veluti in eisdem vestigijs pariter incedent? Si qua autem inter eos partium oriatur contentio, facilè vobis veniet in mentem, quàm turbulentis, quàm contrarijs iudicijs & decretis hebdomatici siue menstrui vestri Rectores alij alijs repugnabunt, & secum ipsi dimicabunt. Quis aduersus Presbyterum aut menstruum Episcopum quicquam audebit facere, quod sibi vicissim ab illis non expectabit? Aut quid tanta firmitate ab vno stabiliri potest, quod pari temporis spacio non possit ab alio rescindi? Hoc est Ecclesiam Christi ridendam præbere, eamque per vices cuiusque voluntati & libidini permittere. Si mihi non credatis, at vestris credite testimonijs; *contemptum secum trahit, & factionibus aditum patefacit.*

Quod autem ad ambitionem attinet, quæ alterum quidem est incommodum, cui mobilis hæc præfectura tanquam remedium adhibetur, eodem modo huic malo medemini,

mini, quo is, qui, vt calorem in vna parte restinguat, totum corpus in febrim ardentem conijcit. Nam vt honoris studium & contentionem in vno aliquo compescatis, omnes cuiusque Prouinciæ Pastores eisdem facibus inflammatis; pari dignitate singulis pro tempore proposita, quam nos vni atque vnico. Ita ambitionem, eam cum alijs communicando, sedatis; quod perindè est, ac si quis minùs ægrotaret, quia alij eodem morbo laborent. Nam si vnus Metropolitani nomen dignitatemque sustinere sine aliqua superbiæ nota non possit; nullo modo à cæteris expectari aut admitti potest sine eiusdem prauitatis suspicione. Tanta enim vicinitas est inter eiusdem rei expectationem & possessionem, vt si vna mala sit, altera vitio carere non possit. Quare, aut concedatis, vni in omni Presbyterio atque Prouincia Episcopi ac Metropolitani prærogatiuam piè & legitimè posse mandari & committi; aut concludemus, non posse eam ab omnibus, vt vos vultis Pastoribus vbique per vices sine summa insolentia vsurpari. *Vos plus Episcopis & Metropolitanis vestris tribuitis, quàm nos; quo fit, vt superbiam eorum augeatis.*] Nullam ijs iure diuino potestatem damus, nisi quam vos Pastoribus & Rectoribus vestris, si quos velitis, tribuere oportet. Et ad Magistratus quod attinet, non est nostrum definire, quibus legum suarum executionem credere, aut cuiusmodi honorem ministris suis deferre voluerint, modò nihil à Dei verbo alienum statuant. Primùm igitur vocationes eorum agnoscite, deindè officia ad antiquos Ecclesiæ Canones reuocate; & si quicquam plus authoritatis habeant, quàm per rectam rationem, & manifesta veteris Ecclesiæ exempla liceat, minimè de eo certabimus. Interim libertatem hanc Christianis Principibus reseruamus, vt, salua Spiritus sancti voce, & Apostolicæ Christi Ecclesiæ prudentia, quoscunque velint consiliarios atque adiutores adhibeant, & suo iudicio, non alieno arbitrio, beneficia sua in alios conferant. Ecclesiæ enim ijs administratio commissa est, non vt disciplinam ipsius arbitratu suo mutent aut innouent; sed vt diligenter sapienterque ea, veluti rationem eius tremendo Iudici reddituri, ad Ecclesiæ & populi commodum

vtantur. *Longo post Apostolos tempore Prouinciæ secerni, & Metropoles institui cœperunt; itaque tanta Metropolitanorum antiquitas non est, quantam ijs tribuere soletis, vt apparet ex Canonibus vulgò Apostolicis dictis, Canone 33. vbi summus honos in qualibet Prouincia certæ alicui Ecclesiæ ciuitatiuè nominatim non conceditur.*] De tempore, quando Metropoles in singulis Prouincijs primùm institui cœperunt, etsi nihil certi affirmem, Oecumenicum tamen Ephesinum Concilium, ita ait: P *Placuit sancto & generali Concilio, vt vnicuique Prouinciæ iura sua, quæ antiquitùs & ab initio ad eam pertineant, integra & inuiolata seruentur, secundùm iam inueteratum & antiquum morem: vnoquoque Metropolitano licentiam (aut libertatem) habente, vt ad suam cautionem, actorum excipiat exempla*: ita enim hæc verba, ἀδειαν ἔχοντος ἑκάστῳ μητροπολίτῃ τὰ ἴσα τῷ πεπραγμένῳ, πρὸς τὸ οἰκεῖον ἀσφαλὲς ἐκλαβεῖν, conuertere licet, licèt aliqui alium sensum sequantur. Quòd si Canones illos Apostolorum nomen præferentes acriùs hìc vrgeatis, non reijciam; non quòd ab Apostolis scriptos existimem, sic enim in sacro Canone ponerentur; sed quòd eorum multi veterem Ecclesiæ disciplinam vsque ab Apostolorum ætate continuatam exprimant, (quisquis primus eorum scriptor fuerit) licet multa in ijs subdititia, multa etiam corrupta sint, & proindè eatenùs solùm fidem merentur, quoad cum primi temporis historijs, & antiquissimorum Conciliorum decretis consentiunt.

p Con. Ephes. decret. post aduent. Episc. Cypri.

Canon autem qui à vobis citatur huiusmodi est; q *Scire cuiusque gentis Episcopos oportet* τὸν ἐν αὐτοῖς πρῶτον, καὶ ἡγεῖσθαι αὐτὸν ὡς κεφαλὴν, *quinam inter ipsos primus sit, ipsumq; pro capite quodāmodo habere*; ita vt, *neque ij sine voluntate illius quicquam agant, nec ille citra omnium voluntatem aliquid faciat*. Quod quidem argumento esse vultis, aliquamdiu post Apostolos prærogatiuam illam inter Episcopos eiusdem Prouinciæ penes singularem aliquem locum ciuitatemvè non fuisse. Sed si id vobis concederetur, quod ex isto Canone non efficitur; constat tamen vnamquamque Nationē, non audito adhuc (vt vos vultis) Metropolitani nomine, Prępositum ac primū aliquē habuisse; ex quo fit, vt vnius tantùm Principis Pastorum

q Can. Apost. 33.

rum in quauis Prouincia ſuperior poteſtas Metropolis inſtitutione prior ſit & antiquior, quàm illis etiam temporibus Concilium Nicenum atque Epheſinum in vetere more poſitum fuiſſe teſtantur. Verùm quid hac veſtra ratione proficitis, ſi tum, cum nondum Metropolis priuilegium ciuitati cuipiam erat affixum, ſuperior tamen aliquis ad conuocandum moderandumque Synodos in qualibet Prouincia Epiſcopus extiterit. Non enim de loco, ſed de officio quæritur, quamuis hanc ego potius teneam ſententiam, fuiſſe quaſdam præcipuas ciuitates, ac aliarum quaſi parentes & rectrices etiam ante Apoſtolorum ætatem, quas Metropoles poſteà nominabant. Vbi enim Coloniæ deductæ in tantam creſcebant amplitudinem, vt ciuitates euaderent, eam ciuitatem vt matrem agnoſcebant, à qua ducebant originem. Deindè vt quæque ciuitas potentia & rerum omnium abundantia cæteras anteibat, ita maximè finitimas vel in amicitiam recepit, vel ſub ditionem redegit; quæ duo, ſcilicet Coloniarum deductio, & vicinarum vrbium ſubiectio, certiſſima fuerant & antiquiſſima Metropoleων fundamenta, multis & locis & ſeculis ante natos Apoſtolos. Si concedatis inter Apoſtolorum diſcipulos quoſdam ea poteſtate præ cæteris præditos fuiſſe; nihil refert, vtrum ob virtutes, an propter ciuitates ad illud faſtigium euecti fuerint. Tales certè fuerunt; & eorũ nutu & arbitrio Synodi prouinciales habebantur. Cùm verò miranda illa Spiritus ſancti dona ab hominibus defecerunt, quæ prima forſan Eccleſia ſpectauit in eligendo præcipuos quoſdam cæterorum Epiſcoporum moderatores, ætates proximè ſubſequentes, vt viros præſtantiſſimos celeberrimis ciuitatibus præfecerunt; ita Eccleſiarum illarum Epiſcopos τὰ πρεσβεῖα prærogatiuam inter fratres habere voluerunt, vt conueniendi tempus ijs præſcriberent, pariterque de communibus Eccleſiæ negotijs tractarent. Quem quidem honorem quatuor prima Oecumenica Concilia cuique Eccleſiæ confirmarunt, & inuiolatum, tanquam vetuſtam conſuetudinem *ab initio* in Eccleſia conſtitutam, ſeruari iuſſerunt.

Concilium Nicenum decreuit, [r] τὰ πρεσβεῖα σώζεσθαι ταῖς [r] Nicen. ca. 6.

ἐκκλησίαις, *vt honor suus vnicuique seruetur Ecclesiæ.* Idem iterum:[s] τῇ μητροπόλει σωζομένου τοῦ οἰκείου ἀξιώματος, *manente metropolitanæ ciuitati propria dignitate.* Synodus Constantinopolitana, vt refert Socrates,[t] *Niceni Concilij fidem stabiliuit, & partitis Prouincijs Patriarchas constituit.* Ita Nectarius Constantinopolim & Thraciam sortitur. Ponticæ Diœcesis Patriarchatum Helladius Cęsareę Cappadocię Episcopus, Gregorius Nissenus, & Otreius Miletenæ in Armenia accipiunt; Asiæ curam susceperunt Amphilochius Iconij, & Optimus Antiochiæ Pisidiæ; Aegyptum Timotheus Alexandrinus obtinuit; Orientalium Ecclesiarum regimen ad Pelagium Laodiceæ, & Diodorum Tarsi perueniebat: *honoris primatu Ecclesiæ Antiochenæ reseruato, quem Miletio tum præsenti tribuerunt:*[u] *seruata regula quæ suprà scripta erat de vnaquaque Diœcesi.* De Concilio Ephesino modò dictum est; in quo, cum Episcopi Cypri querelam interponerent, vim sibi ab Ecclesia Antiochena factam [x] *contra Apostolicos Canones, & definitiones Nicenæ Synodi*; & peterent, vt Cypriorum Synodo ius suum integrum & illæsum maneret; *sicut initio à temporibus Apostolorum* semper fuisset; Patres hunc Episcopi Antiocheni conatum, *vt*[y] *contra consuetudines Ecclesiasticas, & Canones sanctorum Apostolorum* factum cohibuerunt. Magnum Concilium Chalcedonense reprehensa Episcoporum quorundam ambitione, qui ad augendam potentiam suam Principis diplomata obtinuerunt, de vna Prouincia in duas diuidenda, & vt vice vnius duos etiam Metropolitanos haberent; edixit, vt nullus Episcopus, sub gradus sui periculo, quicquam eiusmodi impetraret; & vim suam retinentibus Imperialibus literis antea concessis,[z] δῆλον ὅτι σωζομένων τῇ καθ' ἀλήθειαν μητροπόλει τὰ οἰκείων δικαίων, *veræ Metropoli ius suum inuiolatum maneret*; nouitijs illis nomine tantùm contentis.

[s] Ca.7.

[t] Socrat.lib.5. cap.8.

[u] Conc.Constan.1.ca.3.

[x] Exemplar suggest.Epist. Cypri.in Con. Ephesino.

[y] Decret.eiusd Synod.pro Episc.Cypri.

[z] Conc.Chalced ca.12.

Itaque primarum ciuitatum earumque Episcoporum prærogatiua antiquissima in Ecclesia fuit, & vt vestram ipsorum interpretationem Canonis illius Apostolici, quem citastis, veram esse concedamus, nondum constitutis Metropolitanis, primi Episcopi in qualibet Prouincia electi fuerunt; ex

quo

quo sequitur, officium etiam tum necessarium Ecclesiæ visum fuisse, cum de locis nihil actum esset, quibus priuilegium illud tribueretur.

Quibusdam verò Metropolitanorum institutio à Timotheo & Tito duci videtur; eò quòd Titus toti Insulæ Cretæ præesset; & Timotheus non Ephesi solùm, sed Asiæ etiam curam sustineret. De Tito Chrysostomus ita ait: [a] *Vnus ex Pauli socijs hic fuit; vir probatus. Neque enim (aliter) integram illi Insulam permisisset, & tam multorum Episcoporum iudicium commisisset.* De Timotheo Theodoretus: [b] *Ei curam Asiæ commisit diuinus Paulus.* Idem etiam de vtrisque: [c] *Ita Cretensium Titus, & Asianorum Timotheus (Episcopus erat.)* Ephesum sanè Metropolim fuisse ex primo Concilio Ephesino apparet; vtrum verò prærogatiuam hanc loci præstantia, an successione à Timotheo adepta fuerit, nihil certi & definiti ausim affirmare. Timotheus, vt Theodoretus mihi videtur asserere, totius Asiæ curam gerebat; multæ tamen aliæ ciuitates præter Ephesum, vt [d] Iconium, [e] Antiochia Pisidiæ, [f] Cyzicum, Sardis, Rhodos, Metropolitanos illic habuerunt. Siquis igitur nefas existimet, ad vnum curam & inspectionem aliorum Episcoporum referri, huic Titi exemplum opponere licebit, cui [g] *integra Creta Insula*, vt Chrysostomus ait; atque [h] *Insulæ circumiacentes*, vt Hieronymus refert; & potestas [i] *constituendi Episcopos in qualibet Cretæ ciuitate*, vt Paulus affirmat, commissa erat. Quòd si cui locorum istorum authoritas non probetur, ego illis minimè repugno; mihi autem antiqua, manifesta, & perpetua primæ Ecclesiæ consuetudo in eligendis Præpositis siue Metropolitanis, ad conuocandum dirigendumque in qualibet Prouincia Pastorum Concilia, certissimo quidem est argumento, hunc morem aut ab Apostolis eorumque discipulis receptum & posteris traditum fuisse; aut tantam necessitatis rationem in prima Ecclesiæ administratione habuisse, vt totus deinceps orbis Christianus eundem semper retinuerit. *Etsi officium fortè ferendum esset, nomen tamen Archiepiscopi in tertio Concilio Carthaginensi, & magno Concilio Africano manifestò quidem prohibetur; nec vnquam in Ecclesia auditum fuit ante Concilium Chal-*

a Chrysost. hom. 1. in ep. ad Tit.

b Theod. præfat in 1. ep. ad ad Tim.

c Idem. in 1. Tim. cap. 3.

d Socrat. lib. 5 ca 8.

e Ibid.

f Vide subscript. Conc. Chalced. act. 3

g Chrysost. vt supra.

h Hieron. de script. Eccles. in Tit.

i Tit. 1.

Chalcedonense annis 455. à Christo habitum. Verba vtriusque Concilij adijciam, quibus huiusmodi omnes superbiæ tituli excluduntur. [k] *Ne quis primæ sedis Episcopum* ἐξαρχον τῶν ἱερέων, *ἢ ἀκρον ἱερέα, ἢ τοιοῦτόν τι ποτὲ, principem Sacerdotum, aut summum Sacerdotem, aut aliquid huiusmodi appellet, sed tantùm primæ sedis Episcopum.*] Si officium necessarium & legitimum sit, de nominibus citò inter nos conueniet. Si enim mihi persuasum esset, Archiepiscopi appellationem nihil aliud significare quàm Regem & Principem Episcoporum, simplicitas & integritas Ecclesiæ Christi facilè me ab eo nomine reuocaret; sin autem idem planè denotet, quod in his Concilijs non vsurpatur solùm sed laudatur, nihil causæ est cur quisquam eo offendatur. Nam vt ad Canonem illum reuertamur, quem antiquum sanè, etsi minùs Apostolicum esse [l] confitemini; annon Metropolitanum [m] τὸν πρῶτον, *primum* appellat, & ὡς κεφαλὴν, *pro capite quodammodo* iubet ab eiusdem Prouinciæ Episcopis haberi? Concilia Carthaginense secundum, ca. 12; tertium, ca. 7. 28. quintum, ca. 7. 10. Concilium Mileuitanum, ca. 21. 22. 24. Africanum, ca. 40. 43. 44. 65. 73. 87. 88. 92. verbo πρωτόνων pro cuiusque Prouinciæ Primate vtuntur.

k Conc. Carthag. 3. c. 26 & African. ca. 6. vel. 36.

l De Minist. Euang. grad. ca. 24 fol. 170.

m Can. Apost. 34.

Iam verò si ἀρχὴ in compositione *primum ac præcipuũ* significet, tam *ordinis* & *dignitatis* quàm *temporis* & *imperij* respectu, qua ratione *Archiepiscopi* nomen plusquam *Primatis* repudietur, quod toties tamen in Concilio Africano occurrit? Si composita ex ἀρχὴ perinde *ordinem inter socios, & peritiam præ cæteris, ac potestatem in subditos*, denotare negetis; vt ethnicos Scriptores omittam, ex quibus hoc abundè probari potest, (attestante Cicerone, [n] *Qui Archipirata dicitur, nisi æquabiliter prædam dispertiat, aut occiditur à socijs, aut relinquitur;*) vt etiam *Archiatrum*, *Architectum*, *Archetypon*, & similia multa vobis remittam, quid de verbo [o] ἀρχάγγελος *Archangelus* vobis videtur? nunquid ordinem quendam & honorem inter Angelos, an potestatem & imperium in eos designat? Aut si cœlestium rerum nimis in sublimi posita sit cognitio; quid verbum πατριάρχης *Patriarcha* vobis significat? Nunquid [p] Abrahamus, Isacus

n Cicer. Offic. lib. 2.

o 1. Thess 4. & epist. Iudæ.

p Heb. 7.

&

& Iacobus, quia Patriarchæ, ideo Domini ac Principes Ecclesiæ, *an primi aut præcipui patres* in Ecclesia erant? Quid ? 12. Patriarchæ Iacobo geniti, num eos posterorum suorum Dominos, an 12. Tribuum primarios patres appellabitis? [r] Dauidem, an Patriarcham dicetis Regni & Imperij sui ratione, vel potiùs Propheticam eius veritatem & virtutem intuentes? Hanc sine dubio significationem doctissimi Patres secuti sunt, cum nomina hæc [f] Archiepiscopos, [f] Archimandritas, [f] Archidiaconos in Ecclesia esse, & dici fiuerunt, non quòd Dominos ac Principes Episcoporum, Monachorum, & Diaconorum, sed *primos inter eos* esse voluerunt.

q Act. 7.
r Act. 2.
f Vide Conc. Chalcedon.

Etiamsi verò ἀρχὴ potestatem aliquam semper designaret, quod nunquam tamen probare poteritis, num idcircò sequitur ita ad dominationem & potentiam inclinare, vt cum Episcopis communicari non liceat? Nullane potestas & authoritas Episcoporum officio coniuncta vobis videtur? Christus eos [t] ἐπὶ τῆς θεραπείας αὐτῦ, *supra familiam* ipsius constitutos ait; & Beatus Paulus [u] προϊσαμένυς ἐν κυρίῳ *præsidentes in Domino* appellat. Forsan dicetis ad gregem hoc, non ad compastores referri. Quid ergo Concilium Nicenum; annon Metropolitano [x] τὴν ἐξυσίαν, *potestatem* infra Prouinciam suam tribuit? Concilium Sardicense cui 300. Episcopi multò ante Africanum Concilium interfuerunt, eum ἐξάρχυ τῆς ἐπαρχίας, *Rectoris Prouinciæ* titulo ornat; atque addit, [y] λέγω δὴ τῦ ἐπισκόπυ τῆς Μετροπόλεως, *dico autem Metropolis Episcopum.* Primi Concilij Constantinopolitani Patres, vt refert Socrates, πατριάρχας κατέξησαν, *Patriarchas constituerunt*, & πατριαρχίαν *patriarchatum* ponit pro officio quod sustinuerunt. [a] Ignatius, Nazianzenus & [b] Chrysostomus, quos patrij, id est, græci sermonis multo peritiores opinor fuisse, quàm quenquam hac nostra ætate, quantumuis græcis literis quàm maximè eruditum, nomen ἀρχιερέως *summi Sacerdotis*, Episcopis etiam tribuere non dubitant. Nazianzenus in oratione quam ad dictum Concilium Constantinopolitanum de eligendo sibi successore habuit, referente Theodoreto, ita ait; [d] *Quærite aliquem dignum laude virum*

t Math. 24.
u 1 Thess. 5.
x Conc. Nicen. Canon 6.
y Conc. Sardic. ca. 6.
z Socrat. lib. 5. cap. 8.
a Ignat. Epi. ad Philad. & Smyr.
b Nazian. in Epit. patr.
c Chrysost. hom. 21. ad populum.
n Theodoret. lib. 5. cap. 8.

virum, intelligentia ea præditum, vt & committi ei multitudo, & ab ipso recte institui posse videatur; atque hunc ἀρχιεπίσκοπον προβάλλεσθε *Archiepiscopum constituite*; Et de Maximo Theodoretus scribit, quòd idem Concilium[e] ἀρχιεπισκοπικῆς ἀξίας *Archiepiscopali dignitate eum priuauit.*

e Ibidem.

f De minist. Euang. grad. c. 25 fol. 182.

Quod dicis,[f] *ante Chalcedonense Concilium, circiter annum Christi* 455. *celebratum, nullam subscriptionem Synodicam te comperisse, in qua Archiepiscopus qui quam inscribatur*; aut ego plane nihil video, aut tu in magno errore versaris. Non enim hanc subscriptionem solùm in generali Concilio Ephesino ante Chalcedonēse inuenio; sed in literis authoritate & nomine totius Consilij scriptis Episcopus Romanus, Alexandrinus, atque Ephesinus eo titulo exornantur. Prima Sessio eiusdem Concilij ità habet. g *Synodo congregata in Ephesiorum Metropoli, ex edictis religiosissimorum Principum, & sanctissimis Episcopis residentibus in sacratissima Ecclesia vocata Mariæ (nomine) Cyrillo (Episcopo) Alexandrino* διέποντος τὸν τόπον τῆς ἁγιωτάτης καὶ ὁσιωτάτης ἀρχιεπισκόπου τῆς ῥωμαίων ἐκκλησίας Κελεστίνου, *(sustinente vel) obeunte locū sacratissimi & sanctissimi Ecclesiæ Romanorum Archiepiscopi Celestini.* Ac ne librarij vitium hoc putes, idem in mandato, quod eius Concilij Patres legatis suis dederunt, cum eos Constantinopolim ad Imperatores Theodosiū & Valentinianum pro restitutione Cyrilli atque Memnonis miserunt; ac etiam in petitione, quam ad Principes pro ijs interposuerunt, apertissimè cernitur.[h] *Permittimus* (inquiunt ad legatos suos) *vestræ sanctitati polliceri quidem (orientalibus Episcopis) communionē, si laborare vobiscum voluerint,* εἰς τὸ ἀποδοθῆναι ἡμῖν τοὺς ἁγιωτάτους ἀρχιεπισκόπους Κύριλλον καὶ Μέμνονα, *vt restituantur nobis sanctissimi Archiepiscopi Cyrillus & Memnon.* Eundem titulum in relatione ad Imperatores missa tribuunt Celestino.[i] *Hæc sancta (inquit) & vniuersalis Synodus, cui assidet,* ὁ τῆς μεγάλης ἡμῶν ῥώμης ἁγιώτατος ἀρχιεπίσκοπος Κελεστῖνος *magnæ vestræ Romæ sanctissimus Archiepiscopus Celestinus.* Et quanquàm Synodus Africana à nomine ἐξάρχος in Concilijs suis omninò abstinendum censeat, generale tamen Concilium Ephesinum *Cyrillum ac Memnonem* [k] τοὺς ἐξάρχους τῆς ἁγίας συνόδου, *Duces siue Rectores sacræ Synodi*

g Init. Synod Ephes. græcè conscript.

h Mandat. quod Synod. ded legat. Constantin. proficil. c. 73.

i Relat. Synod. ad Reges. missa cū legat c. 109

k Relat. Synod ad Reges de. gestis oriental c. 70.

nodi sæpiùs appellant.

Prudenter feciſtis quòd de Concilio Chalcedonenſi non dubitaſtis; toties nomen *Archiepiſcopi* in 1.2.3.4.5.8.10.14. & 16. *actione* occurrit, non in ſubſcriptionibus ſolùm, ſed in ipſius Concilij decretis, vt ſalua conſcientia diſſimulari non potuerit. Iam verò ſi tria hæc Oecumenica Concilia, Conſtantinopolitanum, Epheſinum, & Chalcedonenſe, omneſque Græcos Patres & Theologos, quotquot ijs interfuerunt, adeò expertes fuiſſe credatis; primùm eruditionis, vt vim verbi ἀφχὴ in compoſitione ignorauerint; deindè religionis, vt ad augendam quorundam hominum ſuperbiam Chriſtum honore ſuo ſpoliare, ac titulos eius aliò transferre voluerint, me à vobis diſſentire patienter feratis: adeò durus eſt ſermo, vt nullo modo poſſim tolerare. Si vel mediocrem his vernaculæ linguæ ſcientiam, atque aliquam ſaltem in fidei rebus intelligentiam concedatis, habeo quod volo. Tum enim non ſolùm Metropolitanorum munus & officium æquè vetuſtum & neceſſarium eſt Eccleſiæ, ac Synodorum celebratio & moderatio, id quod quatuor prima Oecumenica Concilia ſententijs ſuis agnouerunt & confirmarunt, verumetiam nomina & loca eorum pleno totius orbis Chriſtiani conſenſu ab initio retenta & approbata, nec vnquam ante hanc noſtram ætatem in quæſtionem fuerunt vocata. *Ambitio & contentio Epiſcoporum & Primatum Eccleſiam iam olim miſerè diuexarunt, optimaq; Concilia (Nicenum non excipio) impediuerunt & perturbarunt.*] Cui mirũ hoc videri poteſt, ſi inter tot millenos Epiſcopos, tot annorũ centurijs toto orbe diſperſos, aliqui ambitioni contentionique dediti fuerint? Aut quis tandem præſtare poſſit, ne eiuſmodi peſtiferę & nocentes herbæ æquè inter Presbyteros, ac inter Epiſcopos ortum & locum habeant? Fortè in vna aliqua ciuitate, magiſtratu Paſtorum diſcordias ſeueriſſimè vindicante, decem vel duodecim Presbyteri concordiæ cancellis aſtringi, aut citò publica authoritate cohiberi poterint; verùm ſi cum primæ Eccleſiæ Concilijs & Patribus totius orbis adminiſtratio nobis eſſet inſtituenda, quantæ non dico contentiones factioneſque, ſed ſeditiones & tumultus ex æquali veſtra

Presby-

Presbyterorum potestate prouenirent, ac redundarent? Si omnes per Angliam, Galliam, & Germaniam Pastores ac Presbyteri tantùm ad liberam Synodum vocati coirent, non quæro à vobis quando inter se conuenirent; sed si linguæ eorum similiter se habeant ac calami, pluribus certè opus esset pacis custodibus ad pugnas præueniendas, quàm librarijs ad decreta eorum perscribenda. Pro vno veteris Ecclesiæ Theophilo & Dioscoro, viginti nobis orirentur. Citiùs hominum officia, quàm vitia fugiamus; mutato Episcoporum munere, non facilè mutatur animus. Et vbi omnes inter se pares sunt, non minùs à superbia & discordia periculum est, quàm si vnus tantùm superior existeret; imò, si totam Christi Ecclesiam vsque ab Apostolis animo perlustremus, vnius in quaque Prouincia potestatem magis æquabilem & tolerabilem inueniemus, quàm tot præfectorum in mutabili vestro Presbyterorum regimine morosam temeritatem.

Deus sacram nobis curam inspiret, vt pacem, quam ab eo accepimus, piè & studiosè colamus; eamque animi humilitatem, quam ipse edocuit, erga omnes præstemus; ne aut arrogantes nimiùm aliorum iudicia præ nostris contemnamus; aut plus æquo nobis confidentes, nostra ipsorum inuenta sub diuinorum præceptorum nomine venditemus; ita

Domine propter Christum Iesum suppliciter
& enixè oramus.

Δόξα ἐν ὑψίστοις Θεῷ καὶ ἐπὶ γῆς εἰρήνη,
Amen.

FINIS.

ADMONITIO AD LECTOREM.

CAndide Lector, ſicubi occurrunt minutiora errata, oro vt ad ea conniueas, præſertim vbi verborũ ſenſus per ſe ſatis clarus & perſpicuus eſt. Minutiora voco, quando litera ponitur alia pro alia, exempli gratia, pag. 53. *lin.* 35. debelitata *pro* debilitata: *aut quando litera vel punctum tranſponitur, veluti pag.* 5. *lin.* 4. gubernaſſee, tiam, *pro* gubernaſſe, etiam: *vel vbi litera deeſt aut redundat, vt pag.* 11. *lin.* 28. quatur *pro* quatuor: *pag.* 19. *lin.* 4. accerimè *pro* acerrimè. *Denique ſi quid peccatur in accentibus, ſiue Græcis, ſiue Latinis, noli Authori (quem conſtat longè doctiſſimum eſſe) aſcribere, ſed aut Scribæ aut Correctoris infœlicitati. Si quæ huiuſmodi deprehendas, prudentiæ & iudicio tuo relinquimus. Cætera quæ aut obſcura videntur, aut incongrua, ſequenti ſerie notanda duximus. Eiuſmodi ſunt:*

In Epiſt. Dedicat. pag. 3. lin. 3. nullus, lege, nullas. pag. 6. lin. 2. manibus pedibus, adde, que.

Pag. 2. lin. 1. cauſæ. p. 24. l. 30. ab. p. 26. l. 18. quid. p. 30. l. 26. adminiſtrationes. p. 31. l. 19. ſint. p. 37. l. 22. ſacerdos. p. 49. l. 10. ab. p. 72. l. 6 teſtamenti. p. 78. l. 24. Apoſtolos. p. 81. l. 7. fratre. p. 94. l. 3. vocationi. p. 126. l. 35. pertinuiſſe. p. 133. l. 13. interpellarit. p. 134. l. 18. multos. p. 141. l. 12. Barnabæ. p. 143. l. 29 minimum. p. 147. l. 1. eſſet. & l. 36. corpori. p. 151. l. 14. fuiſſe. p. 169 l. vlt inconſultas. p. 176. l. vlt. facta. p. 187. l. 36. coniuncta. p. 188. l. 38. dele *que* poſt gubernandi. p. 194. l. 29. erunt. p. 203. l. 10. σοιμὴν. p. 204 l. 1. εἰτεν. p. 205. l. 9 numerum. p. 229. l. 1. poſt proximos deeſt feceramus. p. 232 l. 33. ea. p. 234. l. 24. ruralibus. p. 243. l. 17. Eccleſiaſtici. p. 244. l. 25. præripere. p. 247. l. 15. receperunt. p. 248. l. 15. admitterentur. p. 263. l. vlt. viſitatos. p. 272. l. 10. Apoſtolos. p. 280. l. 34. ordinaſſent. p. 281. l. 22. manuum. p. 300. l. 13. laicis. p. 309. l. 13. firmauit. p. 312. l. 34. Primo, pro viri nomine. p. 316. l. vlt. condecet. p. 355. l. penult. Diaconus. p. 358. l. 34. æquiſſimum. p. 372. l. 23. laicos. p. 373. l. 19. κανόνος. p. 381. l. antep. vnaquaque. p. 384. l. 25. alterutram. p. 395. l. 34. adiecerint. p. 403. l. 9. authoritatum. p. 404. l. 10. explicatam. p. 412. l. 3. deeſt *qui* in principio lin. p. 416. l. 26. ſedis. p. 429. l. 21. opinio. p. 432. l. 29. eligere. p. 435 l. 26. quiſnam. p. 447. l. 24. deſudandum. p. 477. l. 20. γενόνος. pag. 479. li. 29. præſtantiſſimos.